




Synodus Gangrensis,

EVANGELICÆ PROMVLGATIONIS ANNO CIRCITER TRECENTESIMO congregata. *Iam tot abiere secula, Seculi præsentis errores, Multásque multorum superstitiones & impietates condemnans. Explicata commentariolis Ioannis Quintini Hædui, Iuris doctoris, & ordinarij professoris, in fœcunda sanctorum studiorum parente, Parisiorum Vniuersitate.*

EX GRATIANI DISTINCT. XXX.







PARISIIS,
Apud Andream Wechelum, sub Pegaso, in vico Bellouaco: Anno Salutis, 1560.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGII SENTENTIA.

CAutum eſt authoritate Regia, nequis alius præter Andream Wechelum, iuratum in alma Pariſienſi Academia Librarium, hanc Synodum Gangrenſem latinè verſam: cum commẽtariis Io. Quintini Hædui, antè decennium ab æditione proximũ in hoc Francorum regno imprimat, néue alibi impreſſam vẽdat. Ac ſi Regij diplomatis ſententia, operis initio præfigatur, finíue poſtponatur, vt omnibus clarũ, notum, indictum habeatur. Secùs qui faxit, & libris ipſis, & mille librarum Pariſ. multâ pœnas pendito. Datum Rhemis, Regio conſenſu ſubſignatũ Do. Villamoro ſupplicum libellorum magiſtro præſente. 3. Id. Iun. 1557.

Coignet.





ANno Do.1558. poſtridie eius Dominicæ, quâ ſuos admonet Eccleſia, Vt quaſimodo infantes geniti, rationabiles, & ſine dolo, lac concupiſcant. 14. Calend. Maij, hoc eſt, octauo decimo die menſis Aprilis: qui ſacer eſt Apollonio. qui fuit apud Romanos τῶν πιστῶν ἐπὶ παιδείᾳ, καὶ φιλοσοφίᾳ διαβοώμενος, id eſt, inter Chriſti fideles & eruditione, & philoſophiâ celebris, multique nominis. dum Commodus regnaret circiter annum Domini. 190. Ille dum cauſſam de religione Romæ dixiſſet in Senatu, (ῥώμης enim συγκλητικὸς erat) & elegantiſſimam fidei ſuæ apologiam exhibuiſſet, quia ſententiam mutare nollet, Ipſius decreto Senatus, capite truncatus eſt. Vt ſcribit Euſebius cap. 21. lib. 5. Hiſto. Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. θεοφιλέστατος μάρτυς orationibus ſuis & intereeſſione nos adiuuet. Hôc (inquã) die, poſt ferias Paſchales ad ſolitũ profitendi munus rediuimus: & pro more ſic exorſi ſumus. 1. Pet. 2.



Onorabiles mihi συμπρεσβύτεροι, & Auditores Chriſtiani — Studiũ, quo vos huc agi tam frequentes & confertim video (priſcorum, ſcilicet, Eccleſiæ Canonum audiendorũ gratiâ) meum pariter incitat, vt quantum valeam (quod minimum eſt) attamen quantum valeam, his explicandis totum me dedam. Qui Scientiarum Dominus eſt, IESVS CHRISTVS, *hæc verè ſancta, ſoláque viris eccleſiaſticis digna ſtudia promoueat. Hôc noſtrarum canonicarum prælectionum fælici (prout opto) principio ſic vos eſſe ſalutatos volo. Iam de cæteris.*

HActenus Gratianus integris duabus distinctionibus.27. & .28. more suo de cœlibatu Sacerdotum disputans, & hos modò cœlibes vixisse, modò per varios patrum Canonas in coniugio fuisse probans, demum Canones Canonibus conciliat, & ad sua legem quámq; tempora reducit. Hæreticos præcipuè dicit caussam dedisse tam multis támq; variis patrum synodis & conciliis. Nam, dum se maioribus anteponunt, & omnia subinde nouare contendunt, Aliâ Patres viâ non poterant impudentibus occurrere, quàm veterum leges desuetas in cõsuetudinem reuocando, suísque decretis confirmando, vel nouas aduersus innouatores promulgando. Gratianus id ostendere volens, inter alia profert antiquum Gangrense concilium, sanè sanctũ. quod Eucriniâ præsenti, quam nunc vobis interpretandam capio, quæ trigesima est in Decretorũ synopsi, ferè totum conclusit. De cuius authoribus, de tempore, de loco dicemus in ipsius Concilij procemio statim sequenti. Nunc aliud hîc animaduertamus.

A Gnosticis non aliud (quamuis & alia) sed non aliud magis discerpitur Conciliũ, quàm Gangrense: quod ad se θρησκειομάστιγες magna pro parte distrahunt. Quum de vetitis enim carnibus, & imperato ciborum delectu rixantur aduersus Ecclesiam: Quũ Presbyteros volunt esse coniugatos: Quum Virginitatẽ Deo promissam despiciunt, & minoris multò quàm nuptias faciunt: Quum suas masculorum, fœminarúmq; nocturnas coitiones &

cœ-

cœnas cohiberi nolunt: Quum distinctos habitus Ecclesiasticorũ ordinum rident: Quum mandatis ab Ecclesia ieiuniis detrahũt (quæ ferè tota est istius Gnosticæ Theologiæ summa) Gangrense cõcilium vnicè sibi patrocinari contendunt. Et postquam duas romphæas suas distomas (vti putant) ITA SCRIPTVM EST. ET NON LEGITVR. In dissentientes vibrarint, ad conciliũ Gangrense mox accurrunt. Et quod, authore nullo, somniant atque nouant impij, piissimorum, Sanctissimorúmq; veterum patrum suffragio probatum videri volunt. Quæ res vna potissimùm fecit, vt illud accuratius explicare vobis ipse proposuerim: docerémque, præter eius antiquitatem, non aliud esse, quô magis nouatores, & Ecclesiasticarum ceremoniarum contemptores percellantur.

SEd interim, quia libet istis καινοτρόποις, & omni vi iam quidam nituntur, (ne Nouatores habeantur) sese veterum tam Conciliorum, quàm scriptorum catholicorum sententiis, & authoritate defendere: Nec erubescunt auxilio sibi palam viros illos aduocare, quos domi sibi certò sciunt & fatentur aduersarios esse: Christi nomine Christum, scilicet, oppugnantes. quod proditorum est. Quia sic, Omni posito rubore, se gerunt (inquam) Gnostici perfidi, Secúmque sanctos illos & Apostolicos viros stare iactitant: Hic rogo, Si qua bona fidei mica superest in ipsis, eâ mihi respondeant. Ad Ecclesiam Christi catholicã pertinere ne putant antiquos illos doctores, quorum sequimur in sacris Bibliis, in Canonicis & Euan-

gelicis literis expoſitiones? Item, Concilia nunquid in Dei ſpiritu conueniſſe credunt omnia, quorum legibus ac teſtimonio fides & doctrina noſtra confirmatur? An hos omnes, velut alienos à ſyncera Chriſti religione, repellunt? Medium veritatis & mendacii nullum eſt. Anguſtius hoc ſtratum, quàm quod duos capere poſsit. aut hoc, aut illud oportet vt reſpondeant. Si prius. cur in grauiſsimis, & longè maximi momenti rebus (in Sacramentis, videlicet, omnibus) ab eis diſcrepant? Vtique ſecundum præiudicia tot authoritatũ, Scripturas intelligi oportebat: non ſecundum ingenia Gnoſticorum. Sin poſterius. cur ad Chriſti gloriam promouendam vocant eos, quos habuiſſe Chriſti ſpiritum non exiſtimant? Hiſtorias igitur, Scripturas, & Synodos Eccleſiaſticas, aut non proferant, aut prolatis cum Eccleſia catholica (ſicut & nos) credant.

NOs itáque ne tantillũ quidem mouere debet, Auditores Chriſtiani, quòd in iſtorum falſariorum labris & in ore ſemper Euangelium, ſemper Apoſtolus, ſemper ipſe Chriſtus, Concilia frequenter & Antiqui patres audiantur. Aliter populo nõ imponeretur. Exemplo familiariter accipe, quod dicere volo. Si ſe πλάνος quiſpiam, qui nec ipſe curaret, neque viam ſciret, nos tamen Romam ducturum pollicitus eſſet, in via nihil certè, quàm Romam loquitaretur ille nobis, etiam ſi Româ procul nos ageret auerſos. Interim ſua duntaxat, & non ea, quæ pertinerent ad iter noſtrum, quærens. Atque ſic ille de-

uius

uius in deuia nos abduceret. Idem tibi persuasissimum de prædicantibus istis Gnosticis habeto. Regnum Dei, Regnum Cœli, Verbum Domini, Verbum Dei, loquaciter populis inculcant. veruntamen, Quisquis applicabitur illis, descendet ad inferos: & qui recesserint ab eis, Saluabuntur.

Parœmiastes hebræus nobis proposuit Sapientiã, quæ Prouerb.
post apparatum publicè conuiuium, vocat omnes ad cap. 9.
mensam suam, dicens — Si quis est paruulus, diuertat ad me. Et vecordibus loquuta est. Venite, comedite panem meum: & bibite vinum, quod miscui vobis. Idem statuit ex aduerso nescio quam mulierẽ stultam, clamosam, illecebris plenam, & nihil omnino scientem: quæ similiter, & iisdem penè verbis, trãseuntes inuitat ad epulas suas, haud publicas tamen, clamitans — Quis est paruulus, diuertat ad me. Vecordibus etiam dixit, Aquæ furtiuæ dulciores sunt. Et panis absconditus suauior.

Hîc admirabilem ceu duarum mulierum consideremus antithesin, Auditores Christiani, Sapientis vnius, & alterius Stultæ. In excelso stat vtráque loco. Clamat vtráque: Paruulos & insipientes ad conuiuium vocat vtráque. Sed illa mensam suam posuit in propatulo. Famulas benignas habet conuiuij ministras. Accubituros iubet ἀφροσύνην relinquere, φρόνησιν quærere, per vias intelligentiæ rectas ambulare, vt viuant, & in seculum re-

gnent. Hæc verò stulta mulier mensam similiter instruxit, sed in abscondito, velut amans in tenebris & cantare (sicut in Prouerbio dicitur) & saltare. Pro puellis autem, quæ cum simplicitate, & puellari quadam comitate ministrare solent accumbentibus, ibi sunt γηγενεῖς, Terrâ geniti homines, ipsimet in terra perditissimi, & alios ob terram miserrimè perdentes: (aptissimè vertit antiquus interpres in Gigantes). In hoc illecebrosæ mulieris conuiuio præcipitur nihil de Prudentia quærenda, de imperitia fugienda. Solùm suis illa compotoribus dulciora pollicetur, inescans homines, donec hamum vorarint.

HOc in loco mihi quidē Spiritus graphicè depinxisse videtur, hinc Hæresin (ni fallor) illinc Ecclesiam Christi. Hæresis est illa clamosa, tumultuánsque mulier, quæ quum nihil nouerit, attamē persuasiones habet, Ecclesiæ, néque loco, néque verbis cedere volens. Ex alto in sublimi sedens (Elatâ, scilicet, ac meretriciâ fronte, quæ superbiam significat Hæreticorum) nihil, quàm Scripturas, & Euangelia ructat, & apponit inuitatis ab eâ: sed incognito sapore, quem virorum Sanctorum, Patrúmque nostrorum nullus ad hoc æui gustauit, aut gustare voluit vnquam. Sed quia, velut ἀπόκρυφα, clanculum propinantur incautis, nouitatum fame languentibus, Ideo iucundius átque multo suauius deuorantur. Epulis istis adesse Gigantes ibi Dei Spiritus affirmat. Si Gigantes, propter quos venit diluuium super terram, re-

rebelles Dei sunt (ut ait Hieronymus) & omnes Hæreses contrariæ veritati rebellant Deo, Omnes Hæretici Gigantes ergo sunt: qui gaudent in errore suo: & tunc maximè gloriantur, quando Ecclesiæ contumeliam fecerint. Hæc est illa cœli militia, cui Dominus exercitum præcepit, ut impleant eius furorem contra scelera Sacerdotum. Initio ca. 24 Esa. To. 5.

ALterius iam cognoscamus apparatum mulieris: & utriúsque mensas inter se componamus. Epulum publicè dat omnibus, & in aperto conuiuatur Sapientia. quæ foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarũ clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua. Quæ doctrina est catholica, Publica nostræ fidei confeßio, Prædicanda super tecta. Sed Hæretici susurros miscent, & in angulos fugiunt, aliis alij conspirantes in aurem. Non ergo sunt Ecclesia Catholica: quæ per orbem diffusa est. Imò, quæ sit ipsamet orbis & οἰκουμένη (sicut ait Hieronymus) ex vniuersitate gentium cõstans. Paruulos & insipientes inuitat Sapientia. quod etiam facit Hæresis. At illa paruulos aduocat, quos ipse Dominus custodiens ad se similiter vocat: & vetat, ne venire prohibeantur. quibus dat intellectum. quibus & Sapientiam præstat. quibus denique mysteria sua reuelat ignota sapientibus. Qui, videlicet, Paruuli sunt omni malitiâ. prout exponit Apostolus. Hæc autem paruulos quóque vocat, sed qui diligunt infantiam. propterea, Stultitiam poßidebunt, & Auersio illorum perdet eos.

Hi stultæ mulieris paruuli sunt, illæ vulpes patuulæ, quas ab hortis suis Ecclesia, tanta cum solicitudine vult & mandat eijci. Cantic. cap. 2. Vulpeculas Chrysostomus intelligit Hæreticorum discipulos. Apponit Sapientia (quæ nobis est Ecclesia) panem, clamans illa, Venite, comedite panem meum, panem vitæ & intellectus. panem, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Panem, de quo dicit ille magnus Apostolus — Panis, quem frangimus, Nónne communicatio est corporis Christi? qui panis viuus est, ac de cœlo descendit. Hæresis quóque Panem ponit. sed quem Dominus in Osea detestatur: Luctus & lachrymarum panem. de quo qui comederint, contaminabuntur, Nec intrabunt in domum Domini. Panem luctus dicimus hîc (vt ait Hieronymus) Verba mortifera, quibus Hæretici loquuntur iniquitatem contra Dominum. Qui panis non ingreditur in domum Dei. Hæreticorum nempe conciliabula, non appellantur domus Dei, sed speluncæ latronum sunt. hæc ille. Nemo profectò de tam furfuraceo & insipido pane comederet vnquam, nisi malâ seditionum boulimiâ permultis laborantibus in occulto ministraretur. Nec audet Hæresis adhuc (tanta vis est conscientiæ) qualem qualem panem dicere suum, quem se sublegisse nouit de clibanis Catholicorum. Clanculario Pani iungit Hæresis (meracum nihil habens, quod misceat) Aquas duntaxat, & eas furtiuas, ad bibendum. Aquæ sunt istæ Samariæ, de quibus vaccæ pingues dicunt suis Dominis — Afferte nobis, & bibemus.

Ca 9. Vbi Hierony.

Aquæ

Aquæ & pocula ſignificant Doctrinam. Vaccæ pingues ſunt Hæreſiarcharum ſectatores: qui Dominos ſuos, appellant Hæreticæ factionis, peruerſorúmque dogmatum principes, Arium (videlicet) Aërium, Iouinianum, Vigilantium. Qui niſi priores poſterioribus huiuſce noſtri ſeculi Gnoſticis Aquas (varias, puta, doctrinas) effudiſſent, Hi certè non haberent, quod modò biberent, & quo populos inebriarent. Sed in hæreſibus poſtea notis, tamquàm nouis, impiè nugari cœperunt: & ab illis Dominis & Patriarchis ſuis malè inuenta per multiplices libros & prædicationes corroborarunt. De quibus aquis, tamquàm de Samaritanæ puteo, quicúmque biberint, iterum ſitient, aridarúmque faucium demum ſiccitate peribunt. In aquarum námque multarum diluuio non appropinquatur ad eum. Quid eſt (vt interrogat Auguſtinus) Aquarum multarum diluuium? multiplicitas incertarum, diuerſarúmque doctrinarum. quales ſunt Hæreticorum. Sed vna eſt Dei Aqua. ſiue Baptiſmi ſit illa, ſiue doctrinæ ſalutaris aqua. De qua quiſquis biberit, non ſitiet amplius: ſed fiet in eo fons Aquæ ſalientis in æternam vitam. Sic illa mater, honoris plena, procedens obuiam filio, ὕδωρ σοφίας πότισει αὐτόν. Quâ & aquâ palam ſuum quóque vinum miſcet: ad quod poſtea bibendum, nos multa cum benignitate vocans, Venite (ait) Bibite Vinum, quod miſcui vobis. Bibite (inquam) vinum de vite Chriſto, cuius vinitores Apoſtoli. Bibite vinum, quod Hominis cor inenarrabili & glorificatâ lætitiâ ſingulariter lætificat: atque Deum nō mi-

Amos. ca. 4. Vbi Hierony.

Pſal. 31. vbi Auguſtinus. To. 8.

Eccle. 15.

nori. Bibite vinum, quod Dominus Iesus, In quâ nocte tradebatur, discipulis suis tradidit bibendum. Deníque, Bibite vinum, quod vtribus veteribus (id est, elatis veterum rhetorum scientiâ Gnosticis) despectis, quia rimosi sint, vtres nouos desiderat — Paruulos, puta, qui simplicitate veritatis & obedientiæ contenti, comedunt in lętitia panem suum, & vinum suum cum gaudio bibunt. In cuius cibi fortitudine credunt, imò certò sciunt, Maiores suos ambulasse, Viámque suam seculis plus mille quingentis fœlicissimè peregisse, donec ad montem Dei peruentum sit ab eis.

Post oblatas epulas mulier illa sapiens, Ecclesia, quasi pro bellariis, dat accumbentibus monita salutis: cohortans vt infantiā relinquant, & per vias prudentiæ constanter ambulent. Aduersariæ verò conuiuatricis sublatis mensis, nō aliud ibi canitur, quàm quòd eius conuiuæ in profundis inferni.

TAM multa (fortasse nimia, vobísque tædiosa) de duabus istis diuini parœmiastæ mulieribus disserere conor, Auditores Christiani. Non aliud efficere satagens, quàm (si modò per imbecillitatem meam possim) vobis vt ostendam, Solo Christo oppugnari Christum solere, Nec aliter posse. Legémque Dei, non nisi legis ipsius authoritate præsumptâ, per Gnosticos opprimi, Mendaciúmque solo Veritatis patrocinio defendi.

Câ-

Catholicus omni cũ modestia & humilitate sequitur humilem & obedientem Christum suum: In quo néque decor, néque species est exterior vlla, Legi seruientẽ, Maioribus inter homines obedientẽ. Gnosticus econtrario proponit etiam Christum, sed alium quemdam longè diuersum: Sermone in primis ornatum, & blandiloquentẽ. Ciceronianum (puta) Gallicanum, vel alterius cuiuslibet linguæ deliciis comptum, séque iactitantem. Leges maiorum, vel omnino dissoluentem, vel nouo sensu distrahentem. Nec sui desunt isti nouo Christo buccinatores, qui clamitent vndiquáque rectè pergentibus in itinere suo, & Christum quærentibus, Ecce hic est Christus. Ne fallaris, auditor Chistiane. Christus vnus est, inueniendus & adorandus in vna sola Ecclesia catholica, per orbem totum in omnes gentes diffusa, non in angulos aliquos conclusa. Cui seditiosi Gnostici, suis in gurgustiolis & phygadeuteriis latitantes non communicant: nec habent omnino, quod in commune conferre queant. De via tamen vniuersos ad se vocare non erubescunt. Impudentiam ne mireris. peruetus est, innata Gnosticis est. Illa nempe temeraria mulier, in quam deuiantes offenderunt, ἐνδεὴς ψωμοῦ (prout illic describitur) indigens átq; destituta cibo quocúmq;, transeuntes tamẽ (quia Sapientiam viderat hoc fecisse) nõ erubescit ad conuiuium similiter inuitare, Dulciora multò, iucundioráq; promittens.

Néque suos, omnium fallacissima bestia, fefellit hâc parte. Quid enim libentius, átque suauius audit Caro?

quid magis prurit auribus? quàm, Ne te maceres ieiuniis, mea Delicatula. Ne cibis vllis cōcupitis abstineas. Ne te diuturno mœrore conficias, ideo quòd peccaueris. Nescio quas Pœnitentias, Contritiones, Confeßiones, Satisfactiones tam molestas ne curaueris. Animã tuam Presbyteris ne humiliaueris. Precibus, & quotidianis eorundem sacrificiis ne te fatigaris. Coniugalibus te quoquomodo, dum tetra libido venas inflarit, ne subtrahe deliciis. Quid vis vlterius? Nihil tibi, Caro, denega. Comede. Bibe. Ride. Naturam ducem sequere. Noster enim Christus hâc nos libertate donauit. Néque tam morosus est, ac difficilis, vt nos duris illis solicitudinibus angi perpetuò velit. Audisse me concionantem, Pontificibus & Romano clero maledicentem, ritibus antiquis detrahentem, Nouos introducentem, satis est. Et vbiuis locorũ (ne templa forsitan requiras) cantillasse mecum, Buccellámque sumpsisse, Sacramentorum, Sacrificiorúmque omnium pondus & instar habet. Hæreticos intrepidè dicas istiusmodi Prædicantes, auditor Christiane. Omnis enim, Quæ prurit auribus doctrina, quæ carni blanditur, & corpori placet, Hæreticam dicere nemo dubitet.

In latebras meritò se coniiciũt, qui talia sic impiè & impudenter effutiunt.

AQuas hîc Epicureorum furtiuas, & clancularios panes apertò videtis. quibus, etsi mortiferis, auidißimè tamen caro vescitur. Ne mors autem latens, & à potionatis venenum deprehendatur, Embammatis ea multis condiunt, Euangelicis (videlicet) ac sanctis scripturis:

quas

quas plusquàm dapsiliter, & prodigè venefici ferculis & missibus suis infundunt. Et Apostolis non contenti, Sanctorum quóq; doctorum scripta plurima similiter apponunt, vt virus occultetur. Concilia priscorum dapibus illis fallacibus infarciunt. Antiquorum synodos & historias deceptis epulonibus inferũt. In summa, quò splendidi conuiuatores omnibus toxica speciosiùs misceant, & luculentiorẽ fucum faciant inuitatis, vetera multa perfidiosissimè, nec minus impudenter suggerunt: quæ sanctis illis patribus, non dico in mentem, sed in buccam venisse tantùm abest, vt nauseabundi boni quique viri, magno cum stomacho, visis illis, protinus expuant. Verumtamen, dum sic Epicurei Christianorũ carni placentia loquuntur, & de Christo Chrestum quemdam fingunt, Per istiusmodi Chrestologias seducunt innumeros. In quibus & cum quibus tantùm abest, vt Christũ addiscas, vt etiam si scias, ibi dediscas. Non est ille certè, quem Gnostici suo sibi pœnicillo formant, Cypriani vel Cornelij, Basilij vel Hieronymi Christus: Vel alicuius illorum Christus, quos Antiquitas & Ecclesia prima viros excellentiâ doctrinæ, sanctitatéque vitæ conspicuos produxit. Ad eorum libros & scripta prouoco, si meæ fidem quis cum Gnosticis non habet sententiæ.

QVare, Sympresbyteri mihi venerandi, & auditores Christiani, caueamus à personatis istis & laruatis Verbi Prædicantibus (audire sic enim malunt, quàm Prædicatoribus) qui Scripturæ folia verborúmq;

flosculos pro fructibus, Canonum cortices pro veris stirpibus exhibent. Oratiunculę duæ sunt, perbreues admodum, sed immanium parentes hæresum—. Non legi-
Ioan. vlt. *tur. & — Scriptum est. Infirmat Euangelista priorem.*
1. Cor. 11. 2. Pet. vlt. *qui dicta, mandata, factáque signa multa fuisse dicit, quæ scripta non sunt. ergo non leguntur. Ex traditione tantummodo maiorum creduntur. Posteriorē (quâ suam tueri volebat & diabolus imposturam) damnant ipsimet Apostoli planè, qui præter scripturæ verba, recurri volunt ad Ecclesiæ fidem, Mores, & Expositionem, Si qua nobis occurrant intellectu difficilia. Quam ob rem, Patrum Canonas & Scripta cum Patribus ipsis interpretemur, & ea non immutemus quę semper habuerunt interpretationē certam. Speciosis illis Euangelizantium pedibus Euangeliũ sequamur: quibus tam bene maiores nostri, viâ gradientes Regiâ, cucurrerũt. Nemo nos à tam fœlici cursu remoretur, aut impediat, Ne vel angelus de cælo, si non pari gressu cum patribus ambulet. Nec ad illam Thrasonicam mulierē diuertamus, quæ nos Chri-* γυνὴ ἑταιρεία *sti verbis à Christo longissimè diuertit: patrúmque demum priuat hospitio, dum callida patrum vocibus abutens ad aliud nos insigne ducit hospitatum. Quod ostendere conabor Eucriniâ totâ trigesimâ sequenti. quæ sese post quadragesimales nostras prælectiones offert explicandam. Dominus Iesus concedat, vt omni curâ nostrâ*
Eccle. 32. *hîc explicitâ, recumbamus, & lætemur propter vos, qui tam multi conuenitis: & vt coronam gloriæ demum recipiamus. Amen.*

Quam-


Vamuis alacritas ista & attentio vestra, quam modò præsens in vobis video, vidíque semper, de futura mihi non incognita diligentia vestra certissimam coniecturam faciat, Ego tamẽ impræsentiarum tentabo, Numquid stimuli addere possim. Compendiosâ nunc tabellâ proscribã, quid in singulis locis & Canonibus ipsi tractaturi sumus. Interim Clepsammos hic noster effluet.

In epistola prosphωnetica statim videbimus, Episcopos salutari, Dominos Reuerendissimos. Exinde —

Quænam sit euocandarũ synodorum caussa. Et qui sententiam dicant in Synodis. Præterea, quòd, Vestis neminem sanctificat. Postea sequuntur & alia. Videlicet —

Hæretici se solos sapere, propterea Gnostici dicti: Se solos in Christũ credere: penésque se solos Ecclesiam Christi consistere iactant. Ars ista est Diaboli.

Nullius rei natura (scilicet) οὐσία, hoc est, ipsa rei essentia est mala.

Non Diuitiæ (quod vulgò tamen dicitur) sed diuitum malitiæ suffocant Religionem.

Hæresis vna in homine manere sola nequit: Aliam mox accersit: quæ protinus & aliam: rursus & hæc alias: do-

nec omnes ad exedendum cadauer mortui Vultures, & Aquilæ conuolarint.

De Gnosticis, & eorum scriptis non aliter iudicandum, quàm de Gentilibus aut Turcis, & eorum libris. Nec enim sunt illi, Sicuti nec isti, Christiani.

Animus vnus & idem est omnium Hæreticorum (scilicet) Ecclesiam confodiendi. Tela verò varia sunt.

Episcopos oportet esse, Abactores quidem Luporum (scilicet) apertò grassantium in Ecclesiam Dei peccatorum: Venatores autem & indagatores Vulpium (videlicet) insidiantium Hæreticorum.

Quomodo recipiantur Hæretici pœnitentes: Et pertinaces quomodo puniantur.

Ecclesia licitè seculi potestates & gladios auxilio sibi vocat & armat in Gnosticos.

Lex ipsa, non iudex, condemnat Hæreticos.

HÆC SYNODALIS EPISTOLÆ MATEria. Nunc singulorum Canonum perbreuiter accipiatis argumenta.

IN primo declarabuntur Hæreses quinq; circa nuptias: quarum vituperatores Anathemate damnantur.

In

In secundo videbimus quòd, Nefas est carnes abhorrere: Sed etiam nefas est à Carnibus abstinere nolle.

Tertius ostendet Libertatem Christianam non repugnate ciuili Seruituti.

Dicetur in quarto, Nuptias ab altari neminem repellere: sed Nuptiarum ministerium Altaris esse ministerio contrarium.

Quintus in Templa conueuire Christi fideles, Religionémque templorum diligenter obseruare mandat: Horum contemptores excommunicat.

Authoritas omnium in Ecclesia gerendarũ rerum summa per sextum Canonẽ tribuitur Episcopis solis, & Ecclesiarum presbyteris: supra quos nulli se debent efferre, vel quid attentare. Canon punit Acephalos.

Septimus præcipit, Vt oblationes in Ecclesiis factæ dispensentur ac distribuantur Episcopi solâ voluntate.

Pietatis, & Eleemosynæ prætextu non vult Octauus à Laicis res Ecclesiæ turbari, vel distrahi.

Idem Noni, Decimíque Canonis est argumentũ, quod & Primi. Misogynia vetatur. Probibetúrque, ne viles & contemptibiles habeantur humanæ Nuptiæ, pro-

ptet excellentiam Virginitatis, virtutis Angelicæ.

Agapæ, id est, Christianorum fratrum conuiuia facta in fide, & mutua charitate probantur in vndecimo Canone.

Duodecimi Canonis summa est, quòd, Vestis non commendat nos Deo. Nisi vestis illa sit interior & noua, quâ nos ipse Christus induit, homine veteri exuto.

Vir, & Mulier habitu sexum mentientes excommunicantur in Canone decimo tertio.

Decimus quartus ad Canonem primum, & nonum, & decimum refertur, Non esse quacúmq; de caussa, ne religionis quidem caussâ, vilipendendas Nuptias.

Decimus quintus ostendet, Quid Parentes debeant filiis suis. ibi locus tractabitur, De Tecnotrophia, hoc est, de liberis educandis.

Et vicissim, Quid Liberi debeant Parentibus dicetur in Canone decimo sexto. vbi γηροβοσκία, & ἀντιπελαργία sunt in mandatis.

Mulierem, velut omni potestate solutam, Suíque dominam, tonderi prohibent in Canone decimo septimo.

De-

De ieiunio Christiano, Déque ieiunio Medico, & de ieiunij diebus, hoc est, de obseruatione ieiuniorum, dantur præcepta in Canonibus decimo octauo, & decimo nono.

Postremus Canon damnat eos, qui memorias Martyrum damnant. Ibi de Latria, de Dulia, de Imaginibus, hoc est, de Reliquiis & veneratione Sanctorum, tractatur argumentum. quod vobis explicare nitemur.

Postremum, velut omnium, quæ viginti præcedentibus continentur legibus, compendium quoddam sequitur: In quo suorum patres explicāt Anathematum sententiam, Ne per aduersarios intendatur his calumnia. Si Deus voluerit, ibi vobis declarabitur —

Vbinam vera sit inuenienda Religio. quòd, fugienda sit omnis nouitas in Religione. quòd, Humilitas sola commendat Virginitatem, & Continentiam: Alioqui, neutra virtus est. Dicetur etiam, Quo animo sua quis & relinquere, & possidere debeat. Iterum, de vestimentis & ornatu Christianorum, ac de sacratis Deo templis agetur. Demum, de Iure scripto, & Iure non scripto (quo duplici regitur Ecclesia) tractabitur: Et finis illic Gangrensibus Canonibus imponetur. quod nobis annuat Christus.

lem, ſingularis habita fuit Synodus Ancyrana. Nam, Tectoſagorum (quæ Gallica gens erat) Ancyra ciuitas eſt apud eundem Plinium, & Ptolemæum. Quod huc autem propius attinet — Plinius cap. 2. libri ſexti — Paphlagoniæ oppidum (Inquit) Gangræ. Pluràli quoque numero Gangræ nominantur in fine ſequentis Epiſtolæ. *Gangræ ſiue Gangra.*

Paphlagonia eſt contermina Bithyniæ: In qua eſt Nicæa: vnde Nicænum dictum concilium. Quo peracto, Non multò pòſt, aliquot patres, qui partim Niceæ fuerant in illo celebri conuentu, ſe contulerunt in Paphlagoniam, & Gangris hanc habuere Synodum.

ΚΥΡΙΟΙΣ ΤΙΜΙΩ-

ΤΑΤΟΙΣ ἘΝ ἈΡΜΕΝΊΑ. ΣΥΛΛΕΙΤΟΥΡΓΟΙ͂Σ.

Εὐσέβιος, Αἰλιανὸς, Εὐγένιος, Ὀλύμπιος, Βιθυνικὸς, Γρηγόριος, Φιλητὸς, Πάππος, Εὐλάλιος, * Ὑπάτιος, Προαιρέσιος, Βασίλειος, Βάσσος, οἱ συνελθόντες εἰς τὴν κατὰ Γάγγραν ἁγίαν σύνοδον, ἐν κυρίῳ χαίρειν.

** Hypatius fuit Epiſcopus Gangrorū, cuius dies feſtus agitur in μηνολογίῳ Græcorū, die vltimo Martij.*

DOminis reuerendiſsimis in Armeniâ collegis & cōminiſtris, Euſebius, Aelianus, Eugenius, Olympius, Bithynicus, Gregorius, Philetus, Pappus, Eulalius, Hypatius, Proæreſius, Baſilius, Baſus, qui conuenerunt in Gangran ad ſanctam ſynodum, In Domino gaudium & ſalutem.

In Epiſcoporum numero, cum Græcis latina diſcrepant exemplaria. Zonaras nullos omnino nominat hîc *Epiſcopos*: nec habet

habet hanc epistolam. Tredecim conuenisse dicuntur hîc ex Hilariano Codice: Tres ab interpretibus Latinis adduntur, Osius Cordubensis, Heraclius, & Basianus. Vnde Gratianus post Isidorum recensens Topica, siue Localia quædam concilia scribit, Tertia est Synodi Gangrensis annotatio, quæ post Nicænam legitur fuisse: In qua Patres sexdecim statuerunt canones viginti. Annotatio (quod obiter admoneam) peculiare Iurisconsultorum vocabulum, significat Principis, ac Superiorum de noxio vel reo quopiam, seu de re quauis alia decretū. Sic ab Isidoro capitur hîc.

Can. Prima Annotatio. 16 dist.

Annoto.

L. 4. ac sępius in tit. ff. de requir. reis.

Vir fuit Osius in asserenda catholica fide vehementissimus: quem valde Constantinus magnus amabat, & honorabat. Cordubæ, ciuitatis Hispanicæ (Cordoba vulgò nominatur, & à Socrate κουρδούβη) Episcopus in Nicæno concilio primus sententiam dixisse fertur. Id fuit (vt author est Socrates) Paulino, & Iuliano Coss. Anno, videlicet, Euangelij prædicati ducentesimo nonagesimo sexto. Mox duobus non integris exactis annis, quum nouationes Eustathianistarum per Cappadociam, & vniuersam Galatiam, Armeniámque percrebruissent, è Bithynia, vbi degebat adhuc, illò conuolauit Osius (vt credere par est) Constantino mandante. qui prius & eundem miserat Alexandriam, quum suboriri cœpissent inter Alexandrum Alexandriæ sanctissimum Episcopum, & impiissimum Arium dissensiones, ad eas sedandas, Annis aliquot ante Nicænum conuentum. Gangris consedit. quæ Paphlagonum metropolis est. vt inquit hîc Zonaras. de vicinis prouinciis adfuerunt alij quindecim. Qui primus hoc loco nominatur, Eusebius, puto quod fuerit ille Cæsariensis Eusebius. verè profectò πολυΐστωρ inter Christianos omnes appellandus, Constantino similiter charissimus atque familiarissimus.

Osius Cordubensis.

Eccles. Histo. li. 1. cap. 7. & 13.

Eusebius Cæsariensis.

In huius epistolæ perantiqua sanè inscriptione duo consideremus. I.—Honorificas Episcoporum tum temporis appellationes Domini iam salutabantur. Honoris magni vocabulum est Dominus. Etiam priscis Latinis vsitatissimum. non ad Tyrannidem, vel sæui alicuius dominatus impotentiam, sed ad ἐξουσίαν, et excellentiam pertinens, quam quis præ cæteris habet. quomodo suum Iouem Dominum vocabant, Dominam Iunonem, Dominos omnium rerum Deos. Hôc modo Plinius Traiannum vocat dominum. Néque solummodo κυρίοι, siue Domini vocitantur Episcopi, additur & Epithetum gloriosum, τιμιωτάτοι. Id est, Præstantissimi, Honoratissimi, Reuerentissimi.

Episcopi vocitantur Domini Reuerendissimi.

Desinant igitur Gnostici nostris in Presbyteris hosce veteres titulos calumniari. Non minus claros inuenies in Nazianzeni, Basilij, Hieronymi, Augustini literis, quas æqualibus, & synepiscopis ipsi scribebant.

Gnostici (quò maledicendi cachoëte laborant) quum Dominationem, vel Sanctitatē, vel quid eiusmodi legunt in salutationibus, aut allocutionibus nostris, Adulatores nos protinus, qui falsis istis honoribus homines captemus, altè vociferantur. Atqui, Nullus vnquàm, vel ipsi Pontifici summo, sic assentatus est, vt infœlices fugitiui suis receptatoribus adulantur. Illustrissimos Senatores appellant (non dico Bubulcos, aut Aratores, quod alienū dignitate minus forte est) sed obscurissimos è fece plebis homines, Venalitios, καρδόπας, βαναύσους mediis in officinis (quæ nihil vnquàm proferre possunt ingenuum) natos & altos. Clarissimúmque Senatum vocant Hominum, mercaturis, vsuris, tabernis, propoliis pleonexiis rem sibi miserè quærentium, quorum iam se, non nomine, sed numine tutos prædicantes deprædicant. Quid hoc est, si blandiri non est? Et iis blandiri, quos nec alloquio dignaretur honestior paulò ciuitatis liberæ ciuis.

Secundo, Mihi diligenter animaduerte Salutationem — ἐν κυρίῳ χαίρειν. Laërtius in Platone scribit Cleonem quemdam suis epistolis præponere solitum duntaxat χαίρειν, Id est, Gaudere, Lætari, Voluptatem capere. Christianis apta certè salutatio non est: nisi (quod hîc) addatur, ἐν κυρίῳ. In domino. Sic enim Paulus ad
Ad Philip. 3. & 4. Philippenses scribit — χαίρετε ἐν κυρίῳ. Gaudete in domino. Rursus, χαίρετε ἐν κυρίῳ πάντοτε. καὶ πάλιν ἐρῶ, χαίρετε. Gaudete in domino semper. & Iterum dico. — Gaudete. Luctus occupare solet alterius cuiusuis extrema gaudij. prouerb. 14. Hæc de salutatione. Sequitur Epistola. quam per cola, cōmatáque sua singula legemus. *Aliud in seculo, & Aliud in Domino gaudere.*

ΕΠΕΙΔΗ ἡ συνελθοῦσα ἡ ἁγιωτάτη σύνοδος τῶν ἐπισκόπων ἐν τῇ κατὰ γάγγραν ἐκκλησίᾳ, διὰ τινὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας, ζητουμένων δὲ τῶν κατὰ Εὐστάθιον, εὕρισκε πολλὰ ἀθέσμως γινόμενα ὑπὸ τούτων αὐτῶν τῶν περὶ Εὐστάθιον. ἀναγκαίως ὥρισεν, καὶ πᾶσι φανερὸν ποιῆσαι ἐσπούδασεν, εἰς ἀναίρεσιν τῶν ὑπ' αὐτοῦ κακῶς γινομένων.

Quoniam

QVoniam congregata ſanctiſsima ſynodus Epiſcoporum in Eccleſiam Gangréſem propter Eccleſiaſtica negocia quędam neceſſaria: Pariter vt inquireretur in ſectatores Euſtathij, deprehēdit multa nefariè, contráque leges ab iis ipſis Euſtathij ſectatoribus acta: neceſſariò decreuit, & ſtudioſè curauit omnia palàm facere, Ad abrogationem, ſublationémque malè & improbè ab eo factorum.

Concilia, non ob vnius dominationem, ſed ob omniũ concordiã cõgregari debent.

Cauſam videmus hîc omnium Synodorum, Scilicet, Ob vrgentes Eccleſiæ neceſsitates: vtque proſpiciatur his, quibus indiget, &. opus habet eccleſia. vocant ἐκκλησιαστικὰς χρείας. Potiſsimùm, Ne diu lateant Hæretici. quorum quidem mos iſte perpetuus eſt, átque fuit, Vt ore clanculum ſibilantes, dogmata ſua, tamquam ſerpentes venena, diffundant. Quod enim ſibi inuicem ganniunt in aurem, ſuper tecta (niſi fortè phygadeuteriorũ ſuorum tecta) prædicare non audent. Epiſcoporum verò munus eſt, Ex aduerſo publicè ac ſæpè congregari, cautè omnia rimari, noxia præuidere, populóque manifeſta facere: ne ſimplices oues iſtis intricentur Diaboli laqueis, Mel quidem præ ſe ferentibus, ſed mortem mox ferentibus. O Sanctam, diuinámque Lateranenſium Patrum legem! quæ iubet ab Epiſcopali officio deponi Epiſcopum, qui de ſua Diœceſi negligit, aut non valet ſuis concionibus, moribus, & crebris viſitationibus expurgare prauitatis Hereticæ fermentum! Subſtituíque mandat alium, qui velit, ac poſsit hoc præſtare. Sanctæ Ieſu crucifixi (ſcilicet, eccleſiarum) cathedræ Theologis nunc illuſtrarentur, quæ neſcio quibus regalibus, & aulicis Diotrephis obſcurantur.

In fine ca. 13. de hæret In antiq.

Hîc refricabo, quod in exegeſi cap. De multa. ſuper inſcriptione Cap. dicebam, de méque ſæpius audiſtis, & in Gratiani decretis inuenietis. ⌐ Hæreſes tam multas, aliáſque ſuper alias quotidie nouitates exoriri, quia ſimul conuenire prouinciarum deſie-

Diſt. 15. in prin. can. 1.

rint Epiſcopi. Prò dolor? Quî nunc, & Qui (Bone Ieſu) conuenire poſſunt? Ergo, Tu, Domine, Tu iudica cauſam tuam.

Hic mihi præterea diligenter obſerua, Qui iuſti, legitimíque ſint aſſeſſores, iudices, & præſides conciliorum. In antiquis illis primariíſque Synodis Epiſcopos, Chorepiſcopos, Archimandritas (animatum, videlicet, in populo curatores inſtitutos) vel eorum legatos, ſolos interfuiſſe, præfuiſſéque legimus, átque ſententiam dixiſſe. Nunc autem κοινῶς Gnoſtici στρατιῶται impios, immanes Ryſcas, truculentos Brugandos (quales inferius can. 5. referentur) pietatis, chriſtianæque religionis arbitros conſtituunt, & eſſe volunt: Eccleſiaſtica tractantes apud alieniſsimos ab eccleſia. Quod ipſorum neſcio quæ teſtâtur Apologiæ, de ſuáque fide confeſsiones, diſputationes, & diatribæ Comitiales. Haud ita priſcorum patrum ſanctitas inſtituit. Neque pium principem legimus vllum, qui talem cognitionem ſuſceperit, & non ſe potius Epiſcoporum iudicio ſubiecerit. Quod eſt argumentum nonageſimæ ſextæ diſtinctionis in Gratiani collectaneis. Hiſtoriam vide Conſtantini, Valentiniani, Theodoſij, multorúmque non minus pietate, quàm potentiâ magnorum quondam regum. Videbis iſtorum quidem literis pariter & impenſis, euocatos Oriẽtis & Occidentis Epiſcopos ob Eccleſiarum diſſenſiones in vnũ ſæpè coiuiſſe: Conuentibus illis ipſos interfuiſſe, cum Sacerdotibus vnà quóque ſediſſe: controuerſiarum verò de fide iudices illos non inuenies vnquàm fuiſſe. Fidei iubebant fieri diſquiſitionem, non à Stratiotis, ſed ab ipſis cõgregatis Epiſcopis. Ad quam rem, quia vocantibus, & quippiam decernentibus Orthodoxis Heterodoxi non paruiſſent (vt modò non parent) Epiſcopis gladium geſtantes aderant, ſi quà foret opus. Non ipſi decreta fidei ponebant, ſed ab Epiſcoporum conſeſſu poſita defendebant, ab omnibus obſeruari curabant, Hæreticos contradicentes duriſsimè puniebant: quod vnicum propriúmque regum eſt officium. Theodoritus de Synodo illa magna ſcribens, quæ Conſtantini Magni ſumptibus & curâ conuenerat Nicæam, refert, dum primi conſediſſent Epiſcopi, cum paucis omnium poſtremum introgreſſum fuiſſe Conſtantinum: ὃς θρόνου σμικροῦ τεθέντος, ἐν μέσῳ κεκάθικεν, ἐπιτρέψαι νῦν τοὺς ἐπισκόπους αἰτήσας. Qui, throno paruo poſito, in medio ſedit, ab Epiſcopis poſtulans hoc ſibi concedi. Rem longè copioſius & elegantius enarrat Euſebius paulò poſt initium libri tertij de vita Conſtantini, quo ex loco ſua Theodoritus decerpſit. Dum Synodus vniuerſa conſediſſet ordine dignitatéque decenti,

Reges in Eccleſiaſticis cõciliis néque præſidere, néque iudicare debent.

Cano. Principes. & ſeq. 23. q. 5.

L. Quoniam venerabilis. de Epiſco. & cleri.

L. Quicúmque, de Hære. C.

cap. 7. li. 1.

ti, Regiſque progreſſum cum ſilentio præſtolaretur, vnus & alter, ex aula, ſubinde reliqui, præire de more cœperunt, aduentantem regem ſignificantes, ἐν τῶν συνήθων ὁπλιτῶν τε, καὶ δορυφόρων, non ex conſuetis illis ſatellitibus armatis, & haſtatis, ſed ex fidelibus ſolis & Chriſtianis amicis. Introgreſſus ille demum venit in ſynodum, purpurâ quidem, gemmiſque refulgens exterius, animi religione, Deique timore magis cóſpicuus & ornatus interius. In infimis ordinum primordiis conſtitit imperator tantus, ibíque, σμικροῦ τινὸς αὐτῷ καθίσματος, ὕλης χρυσοῦ πεποιημένου, προτεθέντος, οὐ πρότερον ἢ τοὺς ἐπισκόπους ἐπινεῦσαι, ἐκάθισεν. Id eſt, Modicâ ſede quâdam ipſi poſitâ, ex auro facta, non prius in ea ſedit, quàm annuiſſent Epiſcopi. Nunc autem (quum nec vmbra ſuperſit illius Magni Conſtantini, non dico religionis ac fidei, ſed neque dominationis & potentiæ) pertonant & perturbantur omnia tympaniſtis, fiſtulatoribus, atque doryphoris, quando fortè venit iſtis in mentem de Sacris aliquid inquirere. Thronis adeo ſuperbis, vt ſacra omnia videantur his inferiora longiſsimè cedere. Nec extra propoſitum videbitur hîc, ſi repetam, quod in Ariſtocratia noſtra dicebam, quum diſſerere vellem de regia quadam poteſtate in Eccleſiam. Non piget eadē me dicere vobis: audire, vos, precor, non tædeat.

Conſtantinus Magnus cōcilio minor, & ſubiectus.

Martianus Orientis, Valentinianus. iij. Occidentis Imperatores, excitati literis & admonitionibus ſanctiſsimi Papæ Leonis primi, circiter annos à virginis partu quadringentos quinquaginta quinque, iuſſerunt Epiſcopos vtrinque ſe conferre Calchedonem. ciuitas erat ad Boſphorum Thracium, ſeptem ſolùm ſtadiis (paulo plus milliario. Nam Stadium ſunt xxv. paſſus) diſtans Byzantio, quæ eſt Conſtantinopolis. Quò conuenerunt vndiquáque, Sexcenti triginta ſex patres. duplicato Synodi Nicænæ numero. Catholici, parte dextrâ templi, vbi Senatus habebatur (Id erat Euphemiæ virgini Calchedonenſi, ſub impio Diocletiano martyri, ſacrum) ſederunt. In ſiniſtra, Nouatores Dioſcorus Alexandrinus, Iuuenalis Hieroſolymitanus, & infœlicis Eurychis alij quidam ſectatores. Martianus verò cum ſuis Hypatis medius reſedit: Non tantæ quidem iudex aut præſes Eccleſiæ (primi námque ſedebant in ea Paſcaſinus, Lucentius, & Bonifacius, Romani pontificis locum tenentes) Nec earum, quæ controuertebantur, quæſtionum diſceptator. Num, videlicet, Maria virgo θεοτόκος eſſet? Num ipſe Chriſtus θεότοκος? Id eſt, illáne Dei parens? & hic Deo natus? Deus ne verus, & homo verus eſſet Chriſtus? vtráque naturâ conſiſtens, Humanâ, Diuináque ſimul? Qui

Synodi Calchedonenſis arduæ quæſtiones.

possɛt homo militaris Martianus, patre quóque milite Gregario natus, de tam reconditis mysteriis iudicare? Nec arrogans id sibi præsumebat. Cur autem presbyterorum consultis adesse præsens voluerit, ipse causam in Sexto Synodi consessu reddidit Inquiens — Nos ad fidem corroborandam, non ad aliquam potẽtiam exercendã, exemplo religiosi principis Constantini, Synodo interesse voluimus: vt inuentâ veritate, fidéque verâ per vos animis concordantibus expositâ, non vlterius Populi prauis persuasionibus distracti separentur. Hæc ad Episcopos imperator, certè religiosissimus Euangelicæ iustitiæ cultor: quæ peruicaciter delinquentes fratres iubet apud Ecclesiam, (non hanc vicinorum, vel aliorum quorumcúmque multitudinem prophanam, nec enim tali sensu, legitur in antiquis doctoribus sanctis, Ecclesia) iubet apud Ecclesiam, videlicet, apud Sacrorum præfectos, accusari. Quorum tantùm iudicio, Publicanus quis, & Ethnicus haberi potest. quod est, de sano corpore fidelium, tanquam putridum membrum resecari, & à reliquis abiici per excommunicationem.

can. Nos ad fidẽ. 96. dist.

Matth. 18.

Ecclesia.

Paucis ostendisse sufficiat, Qui soli possint Ecclesiæ concilia celebrare. Superest, vt dicamus, quisnam fuerit Eustathius, cuius causâ patres Gangram conuenerunt. Socrates, qui post Eusebium, & Ruffinum commodè prosequutus est Ecclesiasticam historiam, de Eustathio Sebastiæ episcopo, antea monacho, quem postea Synodus Gangrensis, ob innouatos veteris Ecclesiæ ritus, nouásque ceremonias introductas, damnauit, amplissimè scribit in cap 43. lib. 2. & in cap. xi. lib. 4. Sozomenus etiam in cap. 14. libri sui tertij. Deinde (sicut aiunt) à prædictis missam pilam more claudi tenens Nicephorus Callistus eadem de eodem refert Eustathio in cap. 16. & in fine. cap. 45. lib. 9. Si quid hîc desideras, illinc petito.

Eustathius habuit Eulalium patrem, Episcopum Cæsareæ Cappadocum. beatissimi Hermogenis successorem: quiquidem Hermogenes Eustathium delegerat in presbyterum: sed pater ipse postea filium deiecit ab Ecclesia, propterea quòd vestem presbyteris insolitam. nec ordini congruentem gestaret. Inde conuersus Eustathius ad monachismum fertur ille primus apud Armenios, & Paphlagonas, & in Ponti montibus author fuisse monasticæ ac solitariæ vitæ degendæ. Suis autem Sectatoribus priuatis habitus nouos præcepit: à communi discretum victum,

Eustathius & Aërius, qui causam dedere Synodo Gangrẽsi.

victum, nec assueta ieiunia mandauit: precationes & cantilenas inauditas in ecclesia præscripsit: quin & domi quémque suæ iubebat orare, Synaxes & conuentus in publica templa negligens. & alia, quæ statim singula proferemus. Hoc in instituto monachico sic ille claruit, & alios excelluit, vt monachorum dux optimus haberetur. Cui magni Basilij perutilem sanè & perquàm necessarium monachis omnibus. ἀσκητικῶν librum. nonnulli tribuerunt. Hos tamen absurdè fuisse deceptos nemo dubitabit, qui Basilium legerit. Ecclesiasticos enim conuentus, & antiquorum traditiones ille nullibi contempsit: vbique toto studio defendit. Ab ipso Basilio, quis fuerit hic nefarius hæreticus, describitur, Isque damnatur in epistola, quàm τοῖς αντιοχεῦσιν ἐπισκόποις misit. Ea est. 74. Sed quia Cappadox erat Basilius, amator solitariæ seu monasticæ vitæ maximus: qui Cæsareæ quóque Cappadociæ sacris Ecclesiæ rebus præfuit Episcopus, in qua pridem vixerat & ordinatus fuerat Eustathius, Hinc arreptâ pertinaces Eustathij sectatores occasione, pulcherrimum illud Basilij scriptum non erubuerunt in teterrimum nebulonem transcribere. quò persuaderent ipsum culpâ vacasse, néque iustè damnatū fuisse. Sed ad id, quod cœperam. Nec enim modò dicta conueniunt huc, attamen dicenda fuere: nequis cum Gnosticis illa contemnat instituta monastica, velut ab hæretico scripta: quibus Ecclesiæ nihil est cōducibilius. Vtinam præ manibus illas veteres pro nouis nescio qualibus regulis assiduè nunc haberemus. Ad Eustathium monachum de quo fama tam celebris erat in montibus illis Pōticis, ac tantus de Sanctitate, Politeiáque vitæ suæ rumor increbruerat, vt Presbyteris & vicinis Episcopis hypocrisi tali deceptis apparuerit dignus, qui vacanti Sebastiensi præficeretur Ecclesiæ. Delectus vtcúmque suorum monachorum factione, sic fuit Episcopus Sebastius.

Basilij Ascetica.

Sebastiam Plinius in Cappadocia locat lib. 6. cap. 3. Ptolemæus quóque. cap. 6. libri primi, in tabula. 1. Asiæ. Neuter aliquam Sebastiam statuit in Armenia. cuius tamen ciuitates & oppida recensent. Epiphanius dicit Eustathium Episcopum fuisse του τῆς σεβαστείας πόντου τὲ καλουμένης χώρας, ἤτοι, μικρᾶς ἀρμενίας. Id est, Sebastiæ Ponti vocatæ regionis, videlicet, Armeniæ paruæ. Basilius quóque, εὐστάθιος ὁ ἐκ τῆς σεβαστίας τῆς κατὰ τὴν μικρὰν ἀρμένιαν. Eustathius ex Sebastia minoris Armeniæ. Socrates, Sozomenus, Nicephorus in Armenia Sebastiam ponunt. Et hæc Synodica epistola scribitur Armeniis Episcopis. Omnes illę regiones, Vtraque, scilicet,

nec omnes ad exedendum cadauer mortui Vultures, & Aquilæ conuolarint.

De Gnosticis, & eorum scriptis non aliter iudicandum, quàm de Gentilibus aut Turcis, & eorum libris. Nec enim sunt illi, Sicuti nec isti, Christiani.

Animus vnus & idem est omnium Hæreticorum (scilicet) Ecclesiam confodiendi. Tela verò varia sunt.

Episcopos oportet esse, Abactores quidem Luporum (scilicet) apertò grassantium in Ecclesiam Dei peccatorum: Venatores autem & indagatores Vulpium (videlicet) insidiantium Hæreticorum.

Quomodo recipiantur Hæretici pœnitentes: Et pertinaces quomodo puniantur.

Ecclesia licitè seculi potestates & gladios auxilio sibi vocat & armat in Gnosticos.

Lex ipsa, non iudex, condemnat Hæreticos.

HÆC SYNODALIS EPISTOLÆ MATEria. Nunc singulorum Canonum perbreuiter accipiatis argumenta.

IN primo declarabuntur Hæreses quinq; circa nuptias: quarum vituperatores Anathemate damnantur.

In

In secundo videbimus quòd, Nefas est carnes abhorre-re: Sed etiam nefas est à Carnibus abstinere nolle.

Tertius ostendet Libertatem Christianam non repugnare ciuili Seruituti.

Dicetur in quarto, Nuptias ab altari neminem repellere: sed Nuptiarum ministerium Altaris esse ministerio contrarium.

Quintus in Templa conueuire Christi fideles, Religionémque templorum diligenter obseruare mandat: Horum contemptores excommunicat.

Authoritas omnium in Ecclesia gerendarũ rerum summa per sextum Canonẽ tribuitur Episcopis solis, & Ecclesiarum presbyteris: supra quos nulli se debent efferre, vel quid attentare. Canon punit Acephalos.

Septimus præcipit, Vt oblationes in Ecclesiis factæ dispensentur ac distribuantur Episcopi solâ voluntate.

Pietatis, & Eleemosynæ prætextu non vult Octauus à Laicis res Ecclesiæ turbari, vel distrahi.

Idem Noni, Decimíque Canonis est argumentũ, quod & Primi. Misogynia vetatur. Prohibetúrque, ne viles & contemptibiles habeantur humanæ Nuptiæ, pro-

pter excellentiam Virginitatis, virtutis Angelicæ.

Agapæ, id est, Christianorum fratrum conuiuia facta in fide, & mutua charitate probantur in vndecimo Canone.

Duodecimi Canonis summa est, quòd, Vestis non commendat nos Deo. Nisi vestis illa sit interior & noua, quâ nos ipse Christus induit, homine veteri exuto.

Vir, & Mulier habitu sexum mentientes excommunicantur in Canone decimo tertio.

Decimus quartus ad Canonem primum, & nonum, & decimum refertur, Non esse quacúmq; de caussa, ne religionis quidem caussâ, vilipendendas Nuptias.

Decimus quintus ostendet, Quid Parentes debeant filiis suis. ibi locus tractabitur, De Tecnotrophia, hoc est, de liberis educandis.

Et vicißim, Quid Liberi debeant Parentibus dicetur in Canone decimo sexto. vbi γηροβοσκία, & ἀντιπελαργία *sunt in mandatis.*

Mulierem, velùt omni potestate solutam, Suíque dominam, tonderi prohibent in Canone decimo septimo.

De-

De ieiunio Christiano, Déque ieiunio Medico, & de ieiunij diebus, hoc est, de obseruatione ieiuniorum, dantur præcepta in Canonibus decimo octauo, & decimo nono.

Postremus Canon damnat eos, qui memorias Martyrum damnant. Ibi de Latria, de Dulia, de Imaginibus, hoc est, de Reliquiis & veneratione Sanctorum, tractatur argumentum. quod vobis explicare nitemur.

Postremum, velut omnium, quæ viginti præcedentibus continentur legibus, compendium quoddam sequitur: In quo suorum patres explicāt Anathematum sententiam, Ne per aduersarios intendatur his calumnia. Si Deus voluerit, ibi vobis declarabitur —

Vbinam vera sit inuenienda Religio. quòd, fugienda sit omnis nouitas in Religione. quòd, Humilitas sola commendat Virginitatem, & Continentiam: Alioqui, neutra virtus est. Dicetur etiam, Quo animo sua quis & relinquere, & possidere debeat. Iterum, de vestimentis & ornatu Christianorum, ac de sacratis Deo templis agetur. Demum, de Iure scripto, & Iure non scripto (quo duplici regitur Ecclesia) tractabitur: Et finis illic Gangrensibus Canonibus imponetur. quod nobis annuat Christus.





ΚΑΝΟΝΕΣ ΤΩΝ

ἘΝ ΓΆΓΓΡΑ ΣΥΝΕΛΘΌΝΤΩΝ

ἁγίων πατέρων. οἵ τινες μετὰ τὴν ἐν Νικαίᾳ σύνοδον ἐξετέθησαν.

CANONES SANCTORVM PATRVM IN

Gangra congregatorum: qui post Synodum in Nicæa, sunt constituti.



Aphlagonia minoris Asiæ regio, de qua Pomponius Mela lib. 1. Cuius situm descripsit Ptolemæus cap. 4. libri quinti Geograph. tabula. 1. Asiæ. Qui Paphlagoniam, & eius oppida miscet cum Galatia: vt pars videatur fuisse Galatiæ. Vna est earum in Asia, Phrygiáque regionum, quas priscæ Gallorum gentes occuparunt de quibus Liuius lib. 8. de bello Macedonico, Plinius cap. vlt. libri quinti. Inde omnes postea vocati fuere Galatæ & Gallogræci. Legimus in historiis ecclesiasticis occidentales Galatas, & Episcopos Galatiæ. τῆς νῦν γαλλίας ὀνομαζομένης. Galliæ nunc appellatæ ait Theodoritus cap. 22. lib. 2. Sunt Orientales Galatæ. de quibus hic. Celebres amicitiâ magnâ Pauli: fide similiter in Christum, & religione memorabiles. Apud quos, ante Nicænam vniuersa-

lem, singularis habita fuit Synodus Ancyrana. Nam, Tectosagorum (quæ Gallica gens erat) Ancyra ciuitas est apud eundem Plinium, & Ptolemæum. Quod huc autem propius attinet — Plinius cap. 2. libri sexti — Paphlagoniæ oppidum (Inquit) Gangræ. Plurali quoque numero Gangræ nominantur in fine sequentis Epistolæ.

Gangræ siue Gangra.

Paphlagonia est contermina Bithyniæ. In qua est Nicæa: vnde Nicænum dictum concilium. Quo peracto, Non multò pòst, aliquot patres, qui partim Niceæ fuerant in illo celebri conuentu, se contulerunt in Paphlagoniam, & Gangris hanc habuere Synodum.

ΚΥΡΙΟΙΣ ΤΙΜΙΩ-

ΤΆΤΟΙΣ ἘΝ ἈΡΜΕΝΊᾼ. ΣΥΛΛΕΙΤΟΥΡΓΟΙ͂Σ.
εὐσέβιος, Αἰλιανὸς, εὐγένιος, ὀλύμπιος, βιθυνικὸς,
γρηγόριος, φιλητὸς, πάππος, εὐλάλιος, * ὑπάτιος,
προαιρέσιος, βασίλειος, βάσσος, οἱ συνελθόντες
εἰς τὴν κατὰ γάγγραν ἁγίαν σύνοδον,
ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Hypatius fuit Episcopus Gangrorū, cuius dies festus agitur in μηνολογίῳ Græcorū, die vltimo Martij.

DOminis reuerendissimis in Armeniâ collegis & cōministris, Eusebius, Aelianus, Eugenius, Olympius, Bithynicus, Gregorius, Philetus, Pappus, Eulalius, Hypatius, Proæresius, Basilius, Basus, qui conuenerunt in Gangran ad sanctam synodum, In Domino gaudium & salutem.

In Episcoporum numero, cum Græcis latina discrepant exemplaria. Zonaras nullos omnino nominat hîc Episcopos: nec habet

habet hanc epistolam. Tredecim conuenisse dicuntur hîc ex Hilariano Codice: Tres ab interpretibus Latinis adduntur, Osius Cordubensis, Heraclius, & Basianus. Vnde Gratianus post Isidorum recensens Topica, siue Localia quædam concilia scribit, Tertia est Synodi Gangrensis annotatio, quæ post Nicænam legitur fuisse: In qua Patres sexdecim statuerunt canones viginti. Annotatio (quod obiter admoneam) peculiare Iurisconsultorum vocabulum, significat Principis, ac Superiorum de noxio vel reo quopiam, seu de re quauis alia decretũ. Sic ab Isidoro capitur hîc.

Can. Prima Annotatio. 16 dist.

Annoto.

L. 4. ac sæpius in tit. ff. de requir. reis.

Vir fuit Osius in afferenda catholica fide vehementissimus: quem valde Constantinus magnus amabat, & honorabat. Cordubæ, ciuitatis Hispanicæ (Cordoba vulgò nominatur, & à Socrate κουρδουβὴ) Episcopus in Nicæno concilio primus sententiam dixisse fertur. Id fuit (vt author est Socrates) Paulino, & Iuliano Coss. Anno, videlicet, Euangelij prædicati ducẽtesimo nonagesimo sexto. Mox duobus non integris exactis annis, quum nouationes Eustathianistarum per Cappadociam, & vniuersam Galatiam, Armeniámque percrebruissent, è Bithynia, vbi degebat adhuc, illò conuolauit Osius (vt credere par est) Constantino mandante. qui prius & eundem miserat Alexandriam, quum suboriri cœpissent inter Alexandrum Alexandriæ sanctissimum Episcopum, & impiissimum Arium dissensiones, ad eas sedandas, Annis aliquot ante Nicænum conuentum. Gangris consedit. quæ Paphlagonum metropolis est. vt inquit hîc Zonaras. de vicinis prouinciis adfuerunt alij quindecim. Qui primus hoc loco nominatur, Eusebius, puto quod fuerit ille Cæsariensis Eusebius. verè profectò πολύστορ inter Christianos omnes appellandus, Constantino similiter charissimus átque familiarissimus.

Osius Cordubensis.

Eccles. Histo. li. 1. cap. 7. & 13.

Eusebius Cæsariensis.

In huius epistolæ perantiqua sanè inscriptione duo consideremus. I. Honorificas Episcoporum tum temporis appellationes Domini iam salutabantur. Honoris magni vocabulum est Dominus. Etiam priscis Latinis vsitatissimum. non ad Tyrannidem, vel sæui alicuius dominatus impotentiam, sed ad ἐξουσίαν, et excellentiam pertinens, quam quis præ cæteris habet. quomodo suum Iouem Dominum vocabant, Dominam Iunonem, Dominos omnium rerum Deos. Hôc modo Plinius Traiannum vocat dominum. Néque solummodo κυρίοι, siue Domini vocitantur Episcopi, additur & Epithetum gloriosum, τιμιωτάτοι. Id est, Præstantissimi, Honoratissimi, Reuerentissimi.

Episcopi vocitantur Domini Reuerẽdissimi.

Desinant igitur Gnostici nostris in Presbyteris hosce veteres titulos calumniari. Non minus claros inuenies in Nazianzeni, Basilij, Hieronymi, Augustini literis, quas æqualibus, & synepiscopis ipsi scribebant.

Gnostici (quò maledicendi cachoëte laborant) quum Dominationem, vel Sanctitatē, vel quid eiusmodi legunt in salutationibus, aut allocutionibus nostris, Adulatores nos protinus, qui falsis istis honoribus homines captemus, altè vociferantur. Atqui, Nullus vnquàm, vel ipsi Pontifici summo, sic assentatus est, vt infœlices fugitiui suis receptatoribus adulantur. Illustrissimos Senatores appellant (non dico Bubulcos, aut Aratores, quod alienū dignitate minus forte est) sed obscurissimos è fece plebis homines, Venalitios, καπήλους, βαναύσους, mediis in officinis (quæ nihil vnquàm proferre possunt ingenuum) natos & altos. Clarissimúmque Senatum vocant Hominum, mercaturis, vsuris, tabernis, propoliis pleonexiis rem sibi miserè quærentium, quorum iam se, non nomine, sed numine tutos prædicantes deprædicant. Quid hoc est, si blandiri non est? Et iis blandiri, quos nec alloquio dignaretur honestior paulò ciuitatis liberæ ciuis.

Secundo, Mihi diligenter animaduerte Salutationem — ἐν κυρίῳ χαίρειν. Laërtius in Platone scribit Cleonem quemdam suis epistolis præponere solitum duntaxat χαίρειν, Id est, Gaudere, Lætari, Voluptatem capere. Christianis apta certè salutatio non est: nisi (quod hîc) addatur, ἐν κυρίῳ. In domino. Sic enim Paulus ad
Ad Philip. 3. & 4. Philippenses scribit — χαίρετε ἐν κυρίῳ. Gaudete in domino. Rursus, χαίρετε ἐν κυρίῳ πάντοτε. καὶ πάλιν ἐρῶ, χαίρετε. Gaudete in domino semper. & Iterum dico. — Gaudete. Luctus occupare solet alterius cuiusuis extrema gaudij. prouerb. 14. Hæc de salutatione. Sequitur Epistola. quam per cola, cōmatáque sua singula legemus. *Aliud in seculo, & Aliud in Domino gaudere.*

ΕΠΕΙΔΗ ἡ συνελθοῦσα ἡ ἁγιωτάτη σύνοδος τῶν ἐπισκόπων ἐν τῇ κατὰ Γάγγραν ἐκκλησίᾳ, διὰ τινὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας, ζητουμένων δὲ καὶ τῶν κατὰ Εὐστάθιον, εὕρισκε πολλὰ ἀθέσμως γινόμενα ὑπὸ τούτων αὐτῶν τῶν περὶ Εὐστάθιον. ἀναγκαίως ὥρισεν, καὶ πᾶσι φανερὸν ποιῆσαι ἐσπούδασεν, εἰς ἀναίρεσιν τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ κακῶς γινομένων.

Quoniam

QVoniam congregata ſanctiſsima ſynodus Epiſcoporum in Eccleſiam Gangrẽſem propter Eccleſiaſtica negocia quędam neceſſaria: Pariter vt inquireretur in ſectatores Euſtathij, deprehẽdit multa nefariè, contráque leges ab iis ipſis Euſtathij ſectatoribus acta: neceſſariò decreuit, & ſtudioſè curauit omnia palàm facere, Ad abrogationem, ſublationémque malè & improbè ab eo factorum.

Concilia, non ob vnius dominationem, ſed ob omniũ concordiã cõgregari debent.

Cauſam videmus hîc omnium Synodorum, Scilicet, Ob vrgentes Eccleſiæ neceſsitates: vtque proſpiciatur his, quibus indiget, & opus habet eccleſia. vocant ἐκκλησιαστικὰς χρείας. Potiſsimùm, Ne diu latitent Hæretici. quorum quidem mos iſte perpetuus eſt, átque fuit, Vt ore clanculum ſibilantes, dogmata ſua, tamquam ſerpentes venena, diffundant. Quod enim ſibi inuicem ganniunt in aurem, ſuper tecta (niſi fortè phygadeuteriorũ ſuorum tecta) prædicare non audent. Epiſcoporum verò munus eſt, Ex aduerſo publicè ac ſæpè congregari, cautè omnia rimati, noxia præuidere, populóque manifeſta facere: ne ſimplices oues iſtis intricentur Diaboli laqueis, Mel quidem præ ſe ferentibus, ſed mortem mox ferentibus. O Sanctam, diuinámque Lateranenſium Patrum legem! quæ iubet ab Epiſcopali officio deponi Epi- *In fine*
ſcopum, qui de ſua Diœceſi negligit, aut non valet ſuis concio- *ca. 13. de*
nibus, moribus, & crebris viſitationibus expurgare prauitatis *hæret In*
Hereticæ fermentum! Subſtituíque mandat alium, qui velit, ac *antiq.*
poſsit hoc præſtare. Sanctæ Ieſu crucifixi (ſcilicet, eccleſiarum) cathedræ Theologis nunc illuſtrarentur, quæ neſcio quibus regalibus, & aulicis Diotrephis obſcurantur.

Hîc refricabo; quod in exegeſi cap. De multa. ſuper inſcriptione Cap. dicebam, de méque ſæpius audiſtis, & in Gratiani decre-
tis inuenietis. Hæreſes tam multas, aliáſque ſuper alias quoti- *Diſt. 15. in prin.*
die nouitates exoriri, quia ſimul conuenire prouinciarum deſie- *can. 1.*

rint Episcopi. Prò dolor? Quî nunc, & Qui (Bone Iesu) conuenire possunt? Ergo, Tu, Domine, Tu iudica causam tuam.

Hic mihi præterea diligenter obserua, Qui iusti, legitimíque sint assessores, iudices, & præsides conciliorum. In antiquis illis primariísque Synodis Episcopos, Chorepiscopos, Archimandritas (animarum, videlicet, in populo curatores institutos) vel eorum legatos, solos interfuisse, præfuisséque legimus, átque sententiam dixisse. Nunc autem κοιῶλεις Gnostici στρατιῶτας impios, immanes Ryscas, truculentos Brugandos (quales inferius can. 5. referentur) pietatis, christianæque religionis arbitros constituunt, & esse volunt: Ecclesiastica tractantes apud alienissimos ab ecclesia. *Reges in Ecclesiasticis cōciliis néque præsidere, néque iudicare debent.* Quod ipsorum nescio quæ testātur Apologiæ, de suáque fide confessiones, disputationes, & diatribæ Comitiales. Haud ita priscorum patrum sanctitas instituit. Neque pium principem legimus vllum, qui talem cognitionem susceperit, & non se potius Episcoporum iudicio subiecerit. Quod est argumentum nonagesimæ sextæ distinctionis in Gratiani collectaneis. Historiam vide Constantini, Valentiniani, Theodosij, multorúmque non minus pietate, quàm potentiâ magnorum quondam regum. Videbis istorum quidem literis pariter & impensis, euocatos Oriētis & Occidentis Episcopos ob Ecclesiarum dissensiones in vnū sæpè coiuisse: Conuenientibus illis ipsos interfuisse, cum Sacerdotibus vnà quóque sedisse: controuersiarum verò de fide iudices illos non inuenies vnquàm fuisse. Fidei iubebant fieri disquisitionem, non à Stratiotis, sed ab ipsis cōgregatis Episcopis. Ad quam rem, quia vocantibus, & quippiam decernentibus Orthodoxis Heterodoxi non paruissent (vt modò non parent) Episcopis gladium gestantes aderant, si quà foret opus. Non ipsi decreta fidei ponebant, sed ab Episcoporum consessu posita defendebant, ab omnibus obseruari curabant, Hæreticos contradicentes durissimè puniebant: quod vnicum propriúmque regum est officium.

Cano. Principes. & seq. 23. q. 5. L. Quoniam venerabilis. de Episco. & cleri. L. Quicúmque, de Hære. C.

Theodoritus de Synodo illa magna scribeus, quæ Constantini Magni sumptibus & curâ conuenerat Nicæam, refert, dum primi consedissent Episcopi, cum paucis omnium postremum introgressum fuisse Constantinum: ὃς θρόνου σμικροῦ τεθέντος, ἐν μέσῳ κεκάθικεν, ἐπιτρέψαι νῦν τοὺς ἐπισκόπους αἰτήσας. Qui, throno paruo posito, in medio sedit, ab Episcopis postulans hoc sibi concedi. Rem longè copiosius & elegantius enarrat Eusebius paulò post initium libri tertij de vita Constantini, quo ex loco sua Theodoritus decerpsit.

cap. 7. li. 1.

Dūm Synodus vniuersa consedisset ordine dignitatéque decenti.

ti, Regiſque progreſſum cum ſilentio præſtolaretur, vnus & alter, ex aula, ſubinde reliqui, præire de more cœperunt, aduentantem regem ſignificantes, ἐν τῶν συνήθων ὁπλιτῶν τε, καὶ δορυφόρων, non ex conſuetis illis ſatellitibus armatis, & haſtatis, ſed ex fidelibus ſolis & Chriſtianis amicis. Introgreſſus ille demum venit in ſynodum, purpurâ quidem, gemmiſque refulgens exterius, animi religione, Deique timore magis cóſpicuus & ornatus interius. In infimis ordinum primordiis conſtitit imperator tantus, ibíque, σμικροῦ τινὸς αὐτῷ καθίσματος, ὕλης χρυσοῦ πεποιημένου, προτεθέντος, οὐ πρότερον, ἢ τοὺς ἐπισκόπους ἐπινεῦσαι, ἐκάθισεν. Id eſt, Modicâ ſede quâdam ipſi poſitâ, ex auro facta, non prius in ea ſedit, quàm annuiſſent Epiſcopi. Nunc autem (quum nec vmbra ſuperſit illius Magni Conſtantini, non dico religionis ac fidei, ſed neque dominationis & potentiæ) pertonant & perturbantur omnia tympaniſtis, fiſtulatoribus, atque doryphoris, quando fortè venit iſtis in mentem de Sacris aliquid inquirere. Thronis adeo ſuperbis, vt ſacra omnia videantur his inferiora longiſsimè cedere. Nec extra propoſitum videbitur hîc, ſi repetam, quod in Ariſtocratia noſtra dicebam, quum differere vellem de regia quadam poteſtate in Eccleſiam. Non piget eadē me dicere vobis: audire, vos, præcor, non tædeat.

Conſtantinus Magnus cõcilio minor, & ſubiectus.

Martianus Orientis, Valentinianus. iij. Occidentis Imperatores, excitati literis & admonitionibus ſanctiſsimi Papæ Leonis primi, circiter annos à virginis partu quadringentos quinquaginta quinque, iuſſerunt Epiſcopos vtrinque ſe conferre Calchedonem. ciuitas erat ad Boſphorum Thracium, ſeptem ſolùm ſtadiis (paulo plus milliario. Nam Stadium ſunt xxv. paſſus) diſtans Byzantio, quæ eſt Conſtantinopolis. Quò conuenerunt vndiquáque Sexcenti triginta ſex patres. duplicato Synodi Nicænæ numero. Catholici, parte dextrâ templi, vbi Senatus habebatur (Id erat Euphemiæ virgini Calchedonenſi, ſub impio Diocletiano martyri, ſacrum) ſederunt. In ſiniſtra, Nouatores Dioſcorus Alexandrinus, Iuuenalis Hieroſolymitanus, & infœlicis Eutychis alij quidam ſectatores. Martianus verò cum ſuis Hypatis medius reſedit: Non tantæ quidem iudex aut præſes Eccleſiæ (primi námque ſedebant in ea Paſcaſinus, Lucentius, & Bonifacius, Romani pontificis' locum tenentes) Nec earum, quæ controuertebantur, quæſtíonum diſceptator. Num, videlicet, Maria virgo θεοτόκος eſſet? Num ipſe Chriſtus θεότοκος? Id eſt, illáne Dei parens? & hic Deo natus? Deus ne verus, & homo verus eſſet Chriſtus? vtráque naturâ conſiſtens, Humanâ, Diuináque ſimul? Qui

Synodi Calchedonenſis arduæ quæſtiones.

possset homo militaris Martianus, patre quoque milite Gregario natus, de tam reconditis mysteriis iudicare? Nec arrogans id sibi præsumebat. Cur autem presbyterorum consultis adesse præsens voluerit, ipse causam in Sexto Synodi consessu reddidit Inquiens — Nos ad fidem corroborandam, non ad aliquam potétiam exercendã, exemplo religiosi principis Constantini, Synodo interesse voluimus: vt inuentâ veritate, fidéque verâ per vos animis concordantibus expositâ, non vlterius Populi prauis persuasionibus distracti separentur. Hæc ad Episcopos imperator, certè religiosissimus Euangelicæ iustitiæ cultor: quæ peruicaciter delinquentes fratres iubet apud Ecclesiam, (non hanc vicinorum, vel aliorum quorumcúmque multitudinem prophanam, nec enim tali sensu, legitur in antiquis doctoribus sanctis, Ecclesia) iubet apud Ecclesiam, videlicet, apud Sacrorum præfectos, accusati. Quorum tantùm iudicio, Publicanus quis, & Ethnicus haberi potest. quod est, de sano corpore fidelium, tanquam putridum membrum resecari, & à reliquis abiici per excommunicationem.

can. Nos ad fidé. 96. dist.

Matth. 18.

Ecclesia.

Paucis ostendisse sufficiat, Qui soli possint Ecclesiæ concilia celebrare. Superest, vt dicamus, quisnam fuerit Eustathius, cuius causâ patres Gangram conuenerunt. Socrates, qui post Eusebium, & Ruffinum commodè prosequutus est Ecclesiasticam historiam, de Eustathio Sebastiæ episcopo, antea monacho, quem postea Synodus Gangrensis, ob innouatos veteris Ecclesiæ ritus, nouásque ceremonias introductas, damnauit, amplissimè scribit in cap 43. lib. 2. & in cap. xi. lib. 4. Sozomenus etiam in cap. 14. libri sui tertij. Deinde (sicut aiunt) à prædictis missam pilam more claudi tenens Nicephorus Callistus eadem de eodem refert Eustathio in cap. 16. & in fine. cap. 45. lib. 9. Si quid hîc desideras, illinc petito.

Eustathius habuit Eulalium patrem, Episcopum Cæsareæ Cappadocum. beatissimi Hermogenis successorem: quiquidem Hermogenes Eustathium delegerat in presbyterum: sed pater ipse postea filium deiecit ab Ecclesia, propterea quòd vestem presbyteris insolitam, nec ordini congruentem gestaret. Inde conuersus Eustathius ad monachismum fertur ille primus apud Armenios, & Paphlagonas, & in Ponti montibus author fuisse monasticæ ac solitariæ vitæ degendæ. Suis autem Sectatoribus priuatis habitus nouos præcepit: à communi discretum victum,

Eustathius & Aërius. qui causam dedere Synodo Gangrẽsi.

victum, nec assueta ieiunia mandauit: precationes & cantilenas inauditas in ecclesia præscripsit: quin & domi quémque suæ iubebat orare, Synaxes & conuentus in publica templa negligens. & alia, quæ statim singula proferemus. Hoc in instituto monachico sic ille claruit, & alios excelluit, vt monachorum dux opimus haberetur. Cui magni Basilij perutilem sanè & perquàm necessarium monachis omnibus. Ἀσκητικῶν librum. nonnulli tribuerunt. Hos tamen absurdè fuisse deceptos nemo dubitabit, qui Basilium legerit. Ecclesiasticos enim conuentus, & antiquorum traditiones ille nullibi contempsit: vbique toto studio defendit. Ab ipso Basilio, quis fuerit hic nefarius hæreticus, describitur, Isque damnatur in epistola, quàm τοῖς ἀντικοῖς ἐπισκόποις misit. Ea est. 74. Sed quia Cappadox erat Basilius, amator solitariæ seu monasticæ vitæ maximus: qui Cæsareæ quóque Cappadociæ sacris Ecclesiæ rebus præfuit Episcopus, in qua pridem vixerat & ordinatus fuerat Eustathius, Hinc arreptâ pertinaces Eustathij sectatores occasione, pulcherrimum illud Basilij scriptum non erubuerunt in teterrimum nebulonem transcribere. quò persuaderent ipsum culpâ vacasse, néque iustè damnatũ fuisse. Sed ad id, quod cœperam. Nec enim modò dicta conueniunt huc, attamen dicenda fuere: nequis cum Gnosticis illa contemnat instituta monastica, velut ab hæretico scripta: quibus Ecclesiæ nihil est cõducibilius. Vtinam præ manibus illas veteres pro nouis nescio qualibus regulis assiduè nunc haberemus. Ad Eustathium monachum de quo fama tam celebris erat in montibus illis Põticis, ac tantus de Sanctitate, Politeiáque vitæ suæ rumor increbruerat, vt Presbyteris & vicinis Episcopis hypocrisi tali deceptis apparuerit dignus, qui vacanti Sebastiensi præficeretur Ecclesiæ. Delectus vtcúmque suorum monachorum factione, sic fuit Episcopus Sebastius.

Basilij Ascetica.

Sebastiam Plinius in Cappadocia locat lib. 6. cap. 3. Ptolemæus quóque. cap. 6. libri primi, in tabula. 1. Asiæ. Neuter aliquam Sebastiam statuit in Armenia. cuius tamen ciuitates & oppida recensent. Epiphanius dicit Eustathium Episcopum fuisse τοῦ τῆς Σεβαστείας πόντου τῆς καλουμένης χώρας, ἤτοι, μικρᾶς Ἀρμενίας. Id est, Sebastiæ Ponti vocatæ regionis, videlicet, Armeniæ paruæ. Basilius quóque, Εὐστάθιος ὁ ἐκ τῆς Σεβαστίας τῆς κατὰ τὴν μικρὰν Ἀρμένιαν. Eustathius ex Sebastia minoris Armeniæ. Socrates, Sozomenus, Nicephorus in Armenia Sebastiam ponunt. Et hæc Synodica epistola scribitur Armeniis Episcopis. Omnes illę regiones, Vtraque, scilicet,

Armenia, Pontus, Cappadocia conterminæ sunt, & affines. De quibus idem Plinius cap. 8. & 9. in eo lib. 6.

Sebastiæ factus Episcopus Eustathius, quas in angulis prauas, & à canone discrepantes opiniones priuatim suis monachis insusurrarat, pro concione palam prædicare cœpit: Nec in Ecclesiam recipiendos esse dicebat aliter viuentes ac se gerentes, quàm docebat. Homo non tam facundus, quàm sermone vehemens, καὶ πείθειν ἱκανώτατος (vt ait Sozomenus) innumeram multitudinẽ pelliciebat in suam sententiam. Quâ re Patres exciti, se protinus Gangram contulerunt, Anathemate rebellem dogmatisten cum discipulis damnarunt, Ordinéque rursus & Episcopatu mouerunt. Epiphanius scribens in Hæresin septuagesimam quintam, Tomo primo libri tertij, tradit & hunc Arij dogma tenuisse pertinacissimè: quem (sicut ait) ὄντα δὲ ἐκλήψει τῶν δογμάτων διαφθορώτατον. Nec etiá tribulationes persequutionũ correxerũt. Quibus ille pressus, suas subinde impietates abiurare se simulabat, & sanæ fidei consentire. vt in Autigrapho fidei per Basilium prædicatæ patet: cui subscripserat is Eustathius. Hoc annectitur epistolæ παραλιώταις Episcopis descriptę, quę est Epist. 78. Semel hoc Romæ fecit apud Liberium Papam, quo confugerat post hanc synodum, sub annum Christi. 350, per quem fuit etiam restitutus. Mox tamen ac euaserat, in cœno solito volutabatur. apud Sozomenum cap. 24. libri quarti. Vide quóque Basilium: qui dicit & hunc Alexandriæ ab Ario doctum fuisse, connumeratúmque ἐν γνησιωτάτοις, In germanissimis & selectissimis Arij discipulis. Macedonij quóque, Spiritum sanctum negãtis esse Deum, blasphemiâ fuit etiam notatus, Pneumatomachis patrocinans. vt ait Basilius Magnus. Ita Suidas — Εὐστάθιος Σεβαστιανὸς, Μακεδονιανῆς θρησκείας, ἦρξεν ἅμα Βασιλείῳ Ἀγκυρανῷ, ἐπισκόπῳ τῆς αὐτῆς πόλεως. Id est, Eustathius Sebastianus Macedonicæ superstitionis, cœpit cum Basilio Ancyrano, ipsius vrbis Episcopo. Similiter Eustathium cum Macedonio sensisse scribit etiam Socrates cap. 45. lib. 2. Nicephorus. In cap. 47. dicti lib. 9. qui post Suidam, & Epiphanium, meminit etiam Basilij Ancyrani Episcopi, iam dicto cap. 45. Tale nihil obiicit ei Synodus, Nec eius sectatoribus: quos tamen, vt hîc videtis, vehementer exagitat. Sed quia iam diu plusquàm damnati fuerant errores illi, duntaxat ipsorum καινισμοὺς insectatur. Hæc de Eustathio.

Inter Eustathij præcipuos asseclas, primósque sodales, insignis vnus extitit, Aërius nominatus. Ex quo nomen hæreseos Aërianæ.

næ. de qua nunc indicato loco ſcribit Epiphanius. Fuit Aërius monachus pariter Armenius, Euſtathij συνσχολαστής. & in Monachatu ſocius. ἀποτακτικὸς vterque. Sic eos vocabãt, qui cõmunibus Apotactici. Eccleſiæ legibus & canonibus non cõtenti, ſingulare quoddam conuerſationis & vitæ genus ſibi deligebant, ab aliorum ſolito more diuerſum, quaſi diceres, A cęterorũ diſcretos & ſelectos ordine. Victum, Veſtitũ, Feſtiuitates, Orationes, aſſuetos in Eccleſiã conuetus, Breuiter, antiquas omnes Eccleſię ceremonias innouabãt, Sic inſignes haberi prodigioſâ quadã rituum nouitate volebant. Euſtathius, & Aërius tales erant. In quos demum Synodus Gangrenſis conuenit poſt Nicænam. Quæ ſolius tamen meminit Euſtathij. eò quòd Epiſcopus erat, & Aërium Synaſceten ſuum ordinauerat in presbyterum, quem Ptochotrophio præfecerat. Aegrè tamen ferens Aërius in Epiſcopatu prælatum ſibi fuiſſe ſynmonachum ſuum Euſtathium, diu ſuam non diſsimulauit emulationem. Seceſsit enim, iam planè de ſocio factus inimicus, ab eo: ſed in Eccleſiæ calumnia perſeuerauit: Impietatis tamen Hæretici ſunt in tranſitu ab Eccleſia concordes: In perfidia ſua diſcordes. ſuæ primæ dogmatis addens aliquid, aut detrahens, quod Euſtathij doctrinæ diſſentiret. Auditor Chriſtiane. Mos fuit, & eſt Hęreticorum perpetuus, Vt vna de re, communis & vna nunquàm ſit aut fuerit his omnibus ſententia. Sola ſunt in maledicentia, & catholicorũ detractione concordes. Aërius in multam ſenectutem peruenit. Adhuc enim ſuperſtes erat in vita, quum ſcriberet Epiphanius aduerſus hæreſes, anno Chriſti, circiter. 376. Euſtathius iam tunc obierat, vt ex eodem coniicere licet Epiphanio. Qui quum meminerit vtriúſque, de concilio Gangrenſi miror hominem tacuiſſe: Synodúmque de Aërio. puto quòd hic nondum famoſus erat. Et Euſtathij ſectatorum nomine ſatis intelligitur.

Quis fuerit Euſtathius, & Qui ſequaces, videmus. Iam nouas, átque damnabiles inſpiciamus turbas, quas in Eccleſia ſuſcitarunt illi: ſingulas ſingulis ſubſequentibus decretis damnatas.

Καὶ γὰρ ἐκ τοῦ καταμέμφεσθαι αὐτοὺς τὸν γάμον, καὶ ὑποτίθεσθαι, ὅτι οὐδεὶς τῶν ἐν γάμῳ ὄντων, ἐλπίδα παρὰ θεῷ ἔχει, πολλαὶ γυναῖκες ὕπανδροι ἀπατηθεῖσαι, τῶν ἑαυτῶν ἀνδρῶν ἀνεχώρησαν, καὶ ἄνδρες, τῶν ἰδίων γυναικῶν. εἶτα ἐν τῷ μεταξὺ μὴ

δυνηθεῖσαι ἐγκρατεῖν, ἐμοιχεύθησαν. καὶ διὰ τὴν τοιαύτην ὑπόθεσιν, ὠνειδίσθησαν.

NAm, Ex eo, quòd illi nuptias damnarent, & docerent quòd nullus eorum, qui ſunt in coniugio, habet in Deo ſpèm, Seductæ mulieres multæ ſuis ſubditæ maritis, ab ipſis maritis diſceſſerunt: Et à propriis vxoribus, Viri. Sed hôc interim mediô, dum continere non valent, adulteriũ commiſerunt: Eáque de cauſa diffamati ſunt, & probris inſimulati.

Error de nuptiarum calumniatoribus. & diſiungendis coniugibus in 1. Synodi canone. & in. 14. damnatur, Erroríſque prædicator Euſtathius: qui facile multas in illa regione ſectatrices ac diſcipulas inuenerat. Ibi námque, viciníſque locis, Amazonum (quæ matrimonium pro ſeruitute ducebant, & maritorum, non aliorum tamen virorum, coitum vitabant) olim ſedes fuerat, ad amnem Thermodoontem, in ora Cappadociæ.

Tu quoque videas hîc epithetum coniugatæ mulieris: ὕπανδρος γυνὴ vocatur: quod ad Roma. cap. 7. ad verbum tranſtulit interpres antiquus—Quæ ſub viro eſt mulier. In prouerbiorum cap. 6. ὁ εἰσελθὼν πρὸς γυναῖκα ὕπανδρον, οὐκ ἀθωωθήσεται. verſum legimus aliter—Qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus. Itáque, mulier ſub viro, vel Hypandros, eſt mulier nupta, ſiue marita. De qua ſubiectione fiet ſermo in can. 17. ὕπανδρος.

ΕΥΡΙΣΚΟΝΤΟ δὲ καὶ ἀναχωρήσεις ἐκ τῶν οἴκων τοῦ θεοῦ, καὶ τῆς ἐκκλησίας ποιούμενοι, καταφρονητικῶς διακείμενοι κατὰ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. καὶ ἰδίᾳ συνάξεις ποιούμενοι,

ούμενοι, καὶ ἐκκλησιάσεις, καὶ διδασκαλίας ἑτέρας, καὶ τὰ ἄλλα κατὰ τῶν ἐκκλησιῶν, καὶ κατὰ τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.

Comperiebantur etiam, qui, magnâ cōtemptione ac despicientiâ commoti aduersus ecclesiam, & ea quæ gerūtur in Ecclesia, secederent à Dei domibus & Ecclesia: Et etiam, Qui clanculum Synaxes & conciones haberent, diuersásque doctrinas traderent: & alia facerent aduersus Ecclesias, & aduersus res Ecclesiasticas.

Inferius ista nominatim condemnantur in can. 5. & can. 6. Græca vox illa (quam reliqui) Synaxis in aliquot Ecclesiæ græcæ doctoribus, & Synodis est vsitatissima. Sæpius hac in Synodo repetitur. Vix apud alios inuenias. Legere certè non memini. Latinus nullus de veteribus vtitur. quod equidem sciam. Conuentum significat & congregationem populi (non quamlibet, aut quolibet illam, sed in Ecclesiam duntaxat & in sacratum Deo templum (modò fieri posset) ad gratiarum actionem, deíque laudem confluentis & adunati populi. Ex Apologia Athanasij ad imperatorem Constantium. De quibus conuentibus apud Epiphanium legimus ad finem Syntomi Catholicæ fidei. qui liber est vltimus Panarij. συνάξεις δὲ ἐπιτελούμεναι τεταγμέναι εἰσὶν ἀπὸ τῶν ἀποστόλων, τετράδι, καὶ προσαββάτῳ, καὶ κυριακῇ. Id est, Synaxes autem fieri constitutum fuit ab Apostolis, Quartâ (subaudias, Hebdomados die) & Prosabbato (id est, Sextâ) & Dominicâ. Ieiunia seruari præcipiebantur in duabus primis ἕως ὥρας ἐνάτης, Ad horam vsque nonam. qui nobis est meridies. De priscorum Christianorum Synaxibus, Earundémque certis átque statis diebus, habes (quod huc attineat) in Ecclesiasticæ Socratis historiæ libro quarto. cap. 22.

Synaxes.

Dum verò Paschæ, Pentecostes, similiúmque festorum dierum, vel martyrum Synaxes agerentur, mysteria quóque corpo-

ris & Sanguinis dominici tum peragebātur: Omnésque tunc de mysteriis participabant. Vbi námque non erat Sacrificium, nec ibi Festum quid erat. eò quòd, omne Festum Sacrificio peragi oportebat. Et in multis orbis Ecclesiis obseruabatur, vt omnes, ἑβδομάδος cuiúsque periodo recurrente, communicarent mysteriis. Præter has Synaxes festas, aliæ fiebant ábsque Sanguinis & Corporis consecratione: in quibus Scripturæ tantùm legebantur, & doctores illas interpretabantur. Has modò vocamus Conciones, átque Sermones. Alia quædam de Synaxibus huc pertinentia dicentur in can. vltimo.

Ξένα ἀμφιάσματα ἐπὶ καταπτώσει τῆς κοινότητος τῶν ἀμφιασμάτων συνάγοντες.

INtroducunt etiam peregrinos & insolitos habitus, ad indumentorum communiter vsitatorum sublationem.

De sacerdotum, sacrorúmque ministrorū vestibus, & vestium distinctionibus inferiùs agemus tribus in locis. In Can. 12. concilij præsentis. In Anacephaleosi concilij. vers. Et, Simplicitatem, mediocritatémq; vestium. quibus in locis damnantur habituum sanctificatores, id est, In suis adinuentis habitibus Iustitiā collocātes, & assueta contemnentes. Demum, Verus & Ecclesiasticus ornatus describetur in .41. dist. quæ refertur in Speculo sacerdotali.

Seditiosus Eustathius multis persuaserat, Cultum corporis secularem (videlicet, Quô populus, pro suo quisque statu, vulgariter vti solitus esset) illis obstare, qui salutem sibi præter populi mores quodam speciali studio quærerent. Ideóque vestium distinctioné docebat habendam: Salutiferas nonnullas, reliquas damnabiles esse dicens. In vilibus ac sordidis constituebat sanctitaté. Sancto viuendi proposito dicebat alias impedimentum facere. Semper hinc fucus Religioni maximus factus fuit. Vtinam iam non fiat. dictis nūc in locis damnatur error hypocriticus. de quo prolixius ibi tractabitur. Hieronymi duntaxat eā de re sententiam modò proferā: quam Saluinæ de viduitate seruanda scribit. Huius maritus Nebridius, iuuenis adhuc, obierat, in Cæsaris aula præ cæte-

Vestis neminē sanctificat: sed néque dānat.

To. 1.

ris

ris honoratissimus, átque potentissimus: cuius Eleemosynas, & Orationes, & assidua cũ Monachis & Clericis consortia quũ descripsisset ille, subdidit — Nihil nocuit militanti Paludamentũ, & Baltheus, & Apparitorum cateruæ: quia sub habitu alterius, alteri militabat. Sicut è cõtrario, Nihil aliis prodest Vile palliolum, Fulua tunica, Corporis illuuies, & Simulata paupertas, Si nominis dignitatem operibus destruant. Hæc Hieronymus. Auditores Christiani, perpetuò meminerimus, quòd — Personarum nõ est acceptor Deus. Sed in omni proposito, Sub quacúmq; veste, Qui timet Deum, & operatur Iustitiam, acceptus est illi. *Cap. 5. de Instit. in Antiq.*

Καρποφορίας τε τὰς ἐκκλησιαστικὰς τὰς ἀνέκαθεν δεδομένας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἑαυτοῖς καὶ τοῖς σὺν αὐτοῖς ὡς ἁγίοις, τὰς διαδόσεις ποιούμενοι.

ET ecclesiasticas fructuum obuentiones, ac oblationes Ecclesiæ donatas olim, Sibi, Secúmque sentientibus, tamquam Sanctis, dispertiuntur átque distribuunt.

Hâc inuidiâ semper Ecclesia laborauit, & vexata fuit ab hæreticis: etiamnum laborat adhuc & diuexatur. Qui nihil habentes, quod immaculatæ Iesu Sponsæ possint obijcere, Sandalium (si nobis hac vti similitudine permittatis) in ea calumniantur. id est, Exteriores nescio quas illius opes reprehendunt, inuadunt, inuolant, & miserrimis discerpunt modis. Nudam videre volunt, vt eius vestiantur spoliis. Nostra suffodiunt, vt edificent sua. Quod est, proculdubio, cum nefando illo prodere Dominum, ptopter vnguentum effusum super caput eius. Hoc in Aristocratia nostra iampridẽ tractabamus, eâ parte, quâ de Feudis, & prędiis, ac temporali Ecclesię iurisdictione prolixè disputabamus aduersus intestabiles átque detestabiles Martinastros, & Gallici regni Cugneriastros. Rursúsque tribus in Apostolicis Canonibus idem tractatum. 39. 40. & 41. Non dicta quædam referemus inferius Can. 7. & 8. quibus ista Prædatrix, Rapax, & Sacrilega damnatur hęresis.

Hîc interim venit obseruandus impiæ deprædationis & rapi-

næ titulus. — ὡς Ἁγίοις, τὰς διαδόσεις ποιούμενοι. Euſtathianiſtæ ſibi, tamquàm ſanctis, faciunt Eccleſiaſticorum prouentuum diſtributiones, átque diuiſiones. Iſti ſe ſolos Apoſtolicos eſſe, Sanctos, & Euangelicos exiſtimabãt: Ideo ſe tantùm dignos prædicabant, qui de fructibus Euangelij viuerent, Antiquis ſacerdotibus & miniſtris, vt indignis, excluſis. Incredibile, planéque diabolicum genus φυσιώσεως hominum: qui, niſi quod faciunt, rectum nihil exiſtimant: qui mera ſe pedete thura putant. (honor ſit auribus) vnde miri nihil eſt, ſi, iuxta veterem parœmiam, ſuus ſibi crepitus oleat benè. Quicquid ipſi loquuntur, quicquid ſcribunt, quicquid agunt, Hoc, ſuggerente, dictante, dirigente Spiritu Dei, Dictum, Scriptum, Factum credi volunt: intollerabili blaſphemiâ non timentes arrogare ſibi, quòd habeant Spiritum Dei: quo Sancto Spiritu poſt Apoſtolorun deceſſum (ſi credas mentientibus) ad hoc úſque ſeculum ſuum, Catholica ſemper caruit Eccleſia. Gregalis iſtorum (quem tamen à ſe poſtea iuſtiſſimo gladio ſegregarunt) non tam latè primis ante nos temporibus Dei Spiritum negauit. Ab annis enim mille ducentis & ſexaginta duntaxat Eccleſiam Chriſti, terris dimiſſis, relegauit in cœlum. Bene habet. Ergo trecentos liberos annos relinquit Spiritui. Vicimus. dummodo velit eius temporis exempla, patrúmque decreta ſequi. Sed ſcio, quid iſti nebulones ventoſi, quaſi forenſes, è fori formulis reſpondere ſoleant — Hoc recipio, quatenus, & in quantum pro me facit. Ambroſium cites, Hieronymum, vel Auguſtinũ: vel quemuis alium de veteribus in illo fœliciſſimo, Chriſtíque triumphis proximo ſeculo ſcribentibus adducas: Homines fuiſſe reſpõdent, qui neſcio quid humanum reſipiunt, quando ſecum non ſapiunt: ac eos deliraſſe dicunt. Auguſtinus non ita de Cypriano, Baſilio, Chryſoſtomo, cæteríſque Sanctis ſcriptoribus ſe præcedentibus exiſtimat: quibus honorem tantum defert, Vt eos erraſſe non auſit credere: ſed ſe potius non intelligere dicat. Optimè certè præcipiunt, qui cum talibus Gnoſticis diſputare vetant. Litigatores enim rixoſi mihi magis videntur, quàm diſputatores. Hic tibi, ſi quid ex Clemente proferas, Anacleto, vel Alexandro, Sacroſanctíſque primæ Pontificibus, aut Conciliis Eccleſiæ, quod illis nõ conueniat: Mox referent eſſe fictitios Clementes, laruatos Alexandros, Rhapſodias ab indocto monacho malè conſarcinatas, & ab huiuſmodi ſcriptoribus, qui Spiritum non habuerint: quem nudiuſtertius ipſi de cœlo repente facto ſono poſt Apoſtolos receperunt, & linguis variis loqui cœperunt: Hîc non habeo, quod dicere poſſim, auditor Chriſtiane, Niſi quòd ſunt illo quomdam Pa-

Hæretici ſibi ſoli Chriſtiani videntur.

Can. Ego ſolis. 9. Diſt.

Patriarcha suo Montano Phryge (nam verum negare non decet) hâc quidem parte modestiores qui nec in Apostolos, sed in se primùm, suásque fœminas Sanctum Spiritũ descendisse prædicabat, & se Paracletum nominabat.

Non asseuerabat se Dei Spiritu (quod verissimè tamen poterat) sed opinabatur Paulus, Corinthiis honestè castéque viuendi præcepta scribere, & consilium dare. Puto (inquit) quod & ego Spiritum Dei habeam. 1. Corinth. 7. Rursus ait idem ad Philip. 3. Fratres, Ego me non arbitror comprehendisse. Gnostici contrà, nudo iam capite proclamant, Omnia sumus assequuti. Scripturas, & occulta Scripturarũ tenemus. Ac reuelata sunt nobis omnia. Sic ἀναμφιβόλως, certóque certius agi se tantùm Spiritu (πνεῦμα πλανήσεως concedo) Se solos habere verba vitæ credunt (dare verba ne dubites) spem salutis auferentes non assentientibus sibi. quod ab hoc Eustathio didicisse videntur. Hôc Spiritu rapti non ita pridem fuere nescio qui barbarici rer impij nebulones: quorum Rex Anabaptisticus Monasteriensis. Recrudescit etiam nunc istorum Enthusiastarum furor, Legem Dei sic abolens, vt cuique suus afflatus sit viuendi regula. Quis non iure vocet istos, Gnosticos, insignem sibi nullius non rei cognitionem vendicantes & arrogantes? Vtinam, Sui. De quibus illud —

De Spiritu vertiginis, quẽ sui cõtemptoribus immittit Deus, legas Esa. ca. 19

Cœlos, ac Terras, Diuina, Humanáque nouit
Omnia, non notus Gnosticus ipse sibi.

Auditor Christiane, Præ cæteris, hâc vnâ singulari notâ dignosces Hæreticos. quia, Se tantùm, nec alios vllos à se dissidentes, haberi, dicíve Christianos patiuntur. Et etiã (quod miteris) Qui Christũ negarunt esse Deum, Marcionistæ, Ebionitæ, Manichæi, Ariani, qualis & hîc Eustathius, Christiani tamen integerrimi vocari voluerunt. Apud Eusebium Iustinus Martyr hac de malignitate iam conquerebatur. cap. 11. lib. 4. Eccles. histo. Manichæi se Sanctos, & Electos Dei solos nominabant. Sic modò Gnostici diuinam Christi virtutem negantes In Ecclesiæ Sacramentis: & ipsa prophanantes impiè sacra: soli tamen Sancti, soli Christiani, soli Spirituales nominantur, ipso Poulo non minores dicuntur à discipulis suis: quos (quod omnes Pij grauissimè gemunt) nimiũ multos ipsis licentia carnis, non alicuius disciplina virtutis, peperit. Nos verò, Papistæ, Rasi, Babylonis inquilini, Meretricis alumni, potius omnia, quàm Christiani, traducimur. Quid hoc est? An non est criminatorem & susurronem esse in populis? Ac dice-

Hæretici loquũtur Christũ: Mussant Antichristũ.

Leuit.19. re fratri ſuo Racha? Sat ſciunt vtrúmque vetitum. Sed interim,
Matth.5. Soli iſti Chriſtiani, Soli Sancti homines, Eccleſias Chriſti parum Chriſti anè, parúmq; ſanctè ſpoliãt, & ſupra quoſcúmque Turcas euertũt, & in ſe auertunt. Baſilius Magnus Epiſt.71. ſcribit hoc eſſe commentum Diaboli, Suam malignitatem ſub nomine Chriſtiano (quod hoſtes & Hæretici prætexunt) obtegentis. Ne, dum ſectis & opinionibus nouis, dum bonorum depopulationibus, mulctis ac decimationibus Eccleſiã Chriſti perſequitur, Iſta pro Chriſto pati Eccleſia videatur, quum perſequutores eius eodem Chriſti nomine cenſeantur.

Καὶ, δοῦλοι [εὑρίσκοντο] δεσποτῶν ἀναχωροῦντες, καὶ διὰ τοῦ ξένου ἀμφιάσματος καταφρόνησιν κατὰ τῶν δεσποτῶν ποιούμενοι.

ET, ſerui [*comperiebantur*] à ſuis Dominis abſcedentes: qui propter inuſitatos habitus [*religionem præferentes*] haberent Dominos in contemptu.

Seruus à Domino ſuo recedere nõ debet occaſione religionis. Et hominis enim ſeruus, & Chriſti libertus quis vnus eſſe poteſt. Anathema docenti contrarium. quod explicabitur in Can.3.

Καὶ γυναῖκες παρὰ τὸ σύνηθες ἀντὶ ἀμφιασμάτων γυναικίων, ἀνδρικὰ ἀμφιάσματα ἀναλαμβάνουσαι, καὶ ἐκ τούτων οἰόμεναι δικαιοῦσθαι· πολλαὶ δὲ καὶ ἀποκείρονται, προφάσει θεοσεβείας, τὴν φύσιν τῆς κόμης τῆς γυναικείας.

ET, Mulieres præter ſolitum morem pro veſtimẽtis muliebribus Virilia ſumpſiſſe [*compertum eſt*] Indéque ſe credere iu-

ſtificari

ſtificari.Sed & multæ per ſpeciem religionis detondent excreſcentem comam muliebrem.

Muliebris comæ φύσα.

φῦσα ſignificat inflationem, Tumorem, Diſtentionem. Vnde Vocabula φυσιῶ, φυσιῶμαι. Inflo, & inflor. φυσιώσις. Inflatio, Tumor. in Paulo frequentia, μεταφορικῶς tamen, pro Superbo, átque Superbia. Capilli ſolent in mulieribus, tam curâ, quàm naturâ, diffundi, excreſcere, diſtēdi. Hoc puto vocari φύσαν τῆς κόμης γυναικείας. φύσιν, fortè legi poteſt, hoc eſt, innatam rei potentiam ſiue naturam. Vtracúmque ſit, aut Phyſis, aut Phyſa comæ muliebris, Non placebat Euſtathij ſectatricibns. quæ neſcio quid Amazonium referentes nolebant eſſe capillaræ, quia reuera nolebant videri cuiquam ſubiectæ: Verumtamen, ſimplicitatem quamdam & & humilitatem prætexebant. Paſsis enim capillis, aut ſpiris & antiis capillorum, mulieres efferri & laſciuire ſolent. Interpres antiquus ita vertit hunc locum — Pluréſque earum, occaſione religionis, tonſas genuini decoris comas amputaſſe. Videtur aliud ſequutus exemplar: aut exponere paraphraſi voluit, quid eſſet in mulieris coma Phyſis aut Phyſa. de reliquis agetur in canonib. 13. &. 17. inferius.

ΝΗΣΤΕΙΑΣ δὲ ἐν κυριακῇ ποιούμενοι, καὶ τῆς ἁγιότητος τῆς ἐλευθέρας ἡμέρας καταφρονοῦντες, καὶ τῶν νηστειῶν τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τεταγμένων ὑπερφρονοῦντες, καὶ ἐσθίοντες.

IN die quóque Dominico Ieiunia peragunt, Sanctitatem liberæ diei contemnētes, Et in Eccleſiis ordinata ieiunia ſpernentes, In híſque comedentes.

Dies Dominicus, eſt Dies liber.

Hoc pertinet ad infrà poſitos canones. 17. &. 18. vbi dicetur. Hîc modò conſideremus quòd — Dies Dominicus vocatur à Patribus ἐλευθέρα ἡμέρα. Libera dies. Sabbati quietem obſeruabant Iudæi. qui dies erat hebdomadæ poſtremus. In eo nihil quicquam

facientes operis laborioſi, nec vllo modo ſeſe affligentes. Hanc autem requiem Chriſtiani tranſtulerunt in primum Septimanæ diem, quem vocauere Dominicum: Multáque ſemper cum religione, paríque lætitia coluerunt, ob memoriam ſalutaris domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionis. Omnibus tunc externis ſoluti curis (niſi quà fortè proximi charitas & neceſsitas expoſceret) Omni cum labore vacui, diem tranſigebant: etiam Ieiuniis, & piacularibus quibuſcunque pœnis interdictis. Illud ſubinde Vatis diuini carmen decantantes.— Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea: Semper Eccleſia (dico) τὰς κυριακὰς, ἁπάσας τρυφερὰς ἡγεῖται. Dominicas omnes lætas & delicatas egit: μὴ δὲ γαστρὶ τρυφῶσα. Non tamen ventris deliciis vacans. In dicto can.18. Dominicus itáque dies, eſt Dies liber, Id eſt, Vacuus, expers, & ſolutus ab opere quocúmque negocioſo: qui nullâ re moleſtâ, nullâ re fatigante corpus eſt implicatus. apud Senecam, principio Thieſtæ ſic exponunt — Liberum dedimus diem.

Meminerimus tamen, Auditores Chriſtiani!, quód — In iſto Libéro die pariter animus à cupiditatibus, à delictis, ab omni perturbatione debet eſſe liber. ſic, Vt requiem corporalem referamus ad Spiritualem: Noſtrúmque nouum hoc Sabbatum ſit requies ſancta Domino. Liberi noſtri, feſtíque dies alioqui diſtare non videbuntur à neſcio quibus gentium Liberalibus, & Hilaribus. Alia de die Dominico proponebamus. in Apoſto. can. 64.

Καί τινες αὐτῶν [εὑρίσκοντο] μεταλήψεις κρεῶν βδελυττόμενοι.

Iſtorúmque nonnulli [*comperiebantur*] qui ſumere carnes, & his veſci deteſtarétur.

Si qua fuit Hæreſis vnquàm, quæ poneret os ſuum (ſicuti dicitur) In cœlum (quod omnes quidem faciunt) in primis hæc vna fuit, audax & blaſphema: dicere non verita, Rerum quarundam ſubſtantiam ſuâ naturâ malam, nociuam, abominandam eſſe. Dictum ſanè impiiſsimum. quum Malum per naturam creari non poſsit: Nec enim Deus, omnium rerum creator optimus eſſe poteſt

Rerum natura nulla noxia vel mala eſt.

teſt author Mali:quin, Opere mundi perfecto, vidit ille cuncta, quæcúmque fecerat,& erant in ſuo quæque genere ſingula valde bona.Gen.cap.1.Quis adeo demẽs & inſanus (ait Chryſoſtomus hoc explicans) vt hîc os aperire, & his contradicere Dei verbis audeat? Auguſtinus tamen quemdam Florinum ſcribit fuiſſe, qui contrarium aſſeruerit:cuius ſectatores ab eo vocantur Floriniani. poſt Iſidorum Gratianus appellat Florianos. Nullum eſſe naturale malum, Nullámque ſubſtantiam per ſe malam, ſed per incongruentiam ſeu diſconuenientiam differit idem Auguſtinus pluribus in locis. Maximè cap.8.lib.2.de morib. Manichæorũ. Scorpiones,& Serpentes,& id genus venenoſa demonſtrans non eſſe per ſe mala. Non eſt igitur alicuius carnis natura damnãda. Carnis opera (non caro) ſunt à nobis tantummodo repudiãda, Chriſtiani Auditores: Quæ qui perpetrant, regnũ Dei non conſequentur. ad Galatas cap.5. Argumentum Canonis.2.inferius.

De Hæreſi. To. 6. Can. Quidã. §.Floriani.24.q.3. To.1.

Can. Illi qui.6.q.1.

Καὶ, ἐν οἴκοις γεγαμηκότων εὐχὰς ποιεῖσθαι μὴ βουλόμενοι, καὶ γινομένων εὐχῶν καταφρονοῦντες. καὶ πολλάκις προσφορῶν ἐν αὐταῖς ταῖς οἰκίαις τῶν γεγαμηκότων ὑπερφρονοῦντες.

ET qui nolunt in ædibus coniugatorum facere preces: Factáſque deſpiciunt: ac ſæpenumerò de oblatis in illis coniugatorum domibus non participant.

Panem per domos inuicẽ frangere ſolebant Chriſtiani. Hoc eſt, Vnà conuiuari, & Agapas agere.

Primæ noſtræ religionis mos fuit amoris & mutuæ charitatis pleniſsimus, (quo præcipuè ſigno ſuos à cæteris dignoſci Chriſtus voluit) vt in priuatorum quorúmque domos diſcipuli perquam ſæpe cum fidelibus aliis conuenirent, annunciantes & docentes Chriſtum per ſingulas domos: Ibique panem tum frangebant, & vnà cibum ſumebant. In fine cap.2. & cap.5. act. Apoſt. Quibus in locis, Panem frangere Chryſoſtomus interpretatur, Alimentum cum ieiuuio & auſteritate ſumere. Sic etiam legimus in Oecumenio— τὸ δὲ, κλῶντες ἄρτον ἐστιν— ἵνα τὸ εὐτελὲς, καὶ ἀνεπίσκανον ὑπεμφήνη αὐτῶν τῆς διαίτης. Ἄρτον γὰρ κλῶν-

τας, μεταλάμβανον τροφῆς, ἀλλὰ οὐκ ἐντρύφων. Id eſt, Hoc autem, Frangentes panē, dicit, Vt frugalem & inelaboratum oſtēderet ipſorū victum. Frangentes verò panem, Sumebant alimoniā, non autem delitias. Hôc ſenſu, Paulus in naui dicitur fregiſſe panem, & manducaſſe. act. 27. Eſt vbi tamen, Fractio panis accipitur pro Sacrato pane, & Euchariſtiæ participatione. iam dicto cap. 2. & 1. ad Corinth. 10. quod exponebamus in can. Apoſt. 3. Mos verò domeſticatim conueniendi, paniſque frangendi, hoc eſt, Simul epulandi cum exultatione, & ſimplicitate cordis, apud veteres diutiſsimè perdurauit. vt hinc, & hiſtoriis aliis perquàm multis Eccleſiaſticis apparet. Quem tollere volens Euſtathius, & coniugibus nolens communicare, à patribus excommunicatur. Vndecimi canonis eſt argumentum. quod' illo explicabitur loco.

Καὶ πρεσβυτέρων γεγαμηκότων ὑπερφρονοῦντες, καὶ τῶν λειτουργιῶν τῶν ὑπὸ αὐτῶν γινομένων μὴ ἁπτόμενοι.

ET, Qui Presbyteros coniugatos contemnunt: Eorumdémque Liturgias nō attrectant.

Neſcio planè quid iſti mentis habuerint: quôve ore errorem ſuum defendere potuerint: exiſtimantes ob initas aliquando nuptias ab altaris obeundo poſtea miniſterio ſemel duntaxat maritum perpetuò repelli debere. Petri ſocrus apud Marcum, & apud Lucam Philippi filiæ redarguunt eos. Quum dixit Apoſtolus— Oportet Epiſcopum vnius vxoris eſſe virum. dixiſſe mihi videtur, Si maritus aliquis eò virtutis deuenerit, vt idoneus ſit, cui Presbyterij manus imponatur, & Eccleſia fuerit eò neceſsitatis adacta, vt aſſumere talem cogatur, aſſumi rectè poteſt. Nec enim, ſi non ipſa diſſentiat, Vxor ſola (Nuptialis, puta, copula) Viri Chirotoniæ obſtat. quod Apoſt. can. 6. declarabam. Synodi præſentis canon quartus huc pertinet. Ibi dicetur.

Marci cap. 1. Acto. Apoſt. 21. Diſt. 26.

Sacerdos, & Maritus aliquis vnus eſſe poteſt. Nec enim Matrimonium repugnat Sacerdotio.

Λειτουργίας vertit antiquus interpres in Oblationes, & quandóque in

Liturgia. in Sacramenta, & in Sacrificia. Néque non bene. quod sæpius annotaui. Sed vbíque vocem græcam relinquere malo. Sacrificium, Missa (quæ vulgò dicitur) Sacerdotium, Sacerdotale munus, Officium, quodcúmque Sacerdotis in Ecclesia ministerium vocatur Liturgia.

KAὶ, τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων, καὶ τῶν ἐκεῖ συνερχομένων, καὶ λειτουργούντων καταγινώσκοντες.

ET, qui Martyrum synaxes, & eò conuenientes, átque sacrificantes reprehendunt.

A librariis locum mutilatum fuisse iudicaui ex vetere interprete, qui sic transtulit —

Loca Sanctorum Martyrum vel Basilicas contemnere: Et omnes, qui illuc conueniunt, & sacramenta conficiunt, reprehendere.

Librarij festinantes, in prælo suo primam clausulam reliquêre: quam de postremo Synodi Canone sumptam reposui. Non est ad manum codex Hilarianus manu scriptus, vnde fortassis incuria librariorũ restitui posset. Æditio Parisiensis anno.1540. corrupta est. In Zonara non haberi hanc epistolam suprà monui. Res tractabitur in eo Canone vltimo.

KAὶ πλουσίων δὲ τῶν μὴ πάντων, τῶν ὑπαρχόντων ἀναχωρούντων, ὡς ἐλπίδα παρὰ θεῷ μὴ ἐχόντων.

ET, qui diuites etiam condemnant, tamquàm spem non habentes apud Deum, nisi suis omnibus possessionibus & facultatibus cedant.

Marc.10 Lucæ.18. Matth.7 Lucæ.13.

Diuites in Euangelio comparantur Camelis. Hoc animal est tuberibus & colli proceritate longum, tortuosum, vastum: quod itinere spatioso, latéque patenti solummodò potest agi. Cœlestis autem regni porta dicitur esse perangusta: & Via, quâ tenditur illuc, est arctissima. Diuitiis igitur onusti, pecuniis distenti, possessionibus tuberosi, pingues terræ (Cameli, videlicet, Euangelici) per angustam regni viam non possunt ingredi, nec intrare per arctam portam. Quod si contendant (sicuti contendere iubemur omnes) hoc demum facere valebunt, quum sarcinas ac tubera pecuniarum deposuerint.

Id Eustathius reipsa præstari volebat, & esse necessarium dicebat: Vt se prædiis, pecuniis, facultatibus suis, & omnibus omnino terrenis bonis abdicaret, quicúmque syncerè Christianus esse desideraret. Nec alios, quàm sic nudatos & spoliatos, in suam Synodiam recipiebat. asseuerans malas, perniciosas, noxias, abominabiles esse Diuitias. Si periculosas, fallaces, insidiosas, aliud agentes, & aliud pollicentes, deníque si spinas appellasset, quæ bonum semen suffocare soleant, nemo contradicere potuisset. Dicēti verò Diuitias naturâ malas, Anathema. Dicenti Diuitias obesse religioni, Anathema. Non enim res ipsa, sed auaritia, cupiditas, vtentium voluntas reddit aurum malum. Nec diuitias habere, sed diuitiis vti malè, & in diuitiis confidere malum est. Quum dixit Dominus — Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm Diuitem intrare in regnum cœlorum. Difficultatem rei proposuit, Non impossibilitatem.

Bona quidem sunt Diuitiæ, sed periculosæ. Bona quéque Paupertas, sed etiam periculosa. Propterea, Néque diuitias, Néque paupertatem dederis mihi, Domine. Prouerb.30.

Can.Gloria Episcopi.12. q.2.

Prætetea, Diuitias abijcere, pecunias relinquere non satis est: hoc enim Philosophi multi gentiles fecere. Oportet insuper & Christum sequi.

Super huius Hæreseos damnatione, Patres hîc legem non ædidere specialem. Fuisse tamen damnatam cognoscimus ex Anacephaleosi concilij, in versu, Et, Diuitias. Condemnatur etiam satis ex decretis in Canonib.7.8. &.12. Cuperem nos habere Clementis Alexandrini præceptoris Origenis librum, quē memorat Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis agens, inscriptum — τὶς ἄρα πλούσιος σωθήσεται. Quísnam diues saluetur. Expedita quæstio foret. Hieronymus breuiter explicauit ad Saluinam, citatâ superius Epistolâ — Nec opes obsunt Diuiti (ait) si eis bene vtatur. Nec egestas facit Pauperem commendabiliorem, si inter sordes

&

& inopiam non caueat peccata.

Καὶ πολλὰ ἄλλα, ἃ ἀριθμῆσαι οὐδεὶς ἂν δυνηθείη· ἕκαστος γὰρ αὐτῶν, ἐπειδὴ τοῦ κανόνος τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ ἐξῆλθεν, ὥσπερ νόμους ἰδιάζοντας ἔσχεν· οὔτε γὰρ κοινὴ γνώμη ἑαυτῶν λοιπῶν ἐγένετο. ἀλλ' ἕκαστος, ὥσπερ ἂν ἐνεθυμήθη, τοῦτο προσέθηκεν ἐπὶ διαβολῇ τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἑαυτοῦ βλάβῃ.

ET, alia multa, quæ nemo numerare poſſit [*Euſtathij ſectatores facere, doceréque deprehendebantur*] Vnus enim quíſque iſtorum poſteaquàm receſſit ab Eccleſiaſtico Canone, tamquàm proprias átque priuatas leges inſtituit. Nec enim communis ipſorum ſententia, Nec vnus animus poſtmodum fuit. Sed vnuſquíſque quod intra ſe cogitaſſet, Hoc addidit in Eccleſiæ calumniam, & ipſius iniuriam.

Quorundam Philoſophorum fuit olim ſententia (de qua Hieronymus libro contra Pelagianos primo. & Auguſtinus ad eundem Hieronymũ in epiſt.29. quæ videtur & Apoſtoli Iacobi fuiſſe. Iacob. 2.) Virtutes inuicem nexas cohærere ſibi, Vt omnes habeat, qui vel vnam habet. Simili modo, iuncta ſibi Vitia mutuò, connexáque putant. Vt enim Catenatas virtutes eſſe volunt, ita ſunt & Catenata peccata. longè maiore certè ratione. Subſequens enim peccatum ſolet eſſe præcedentis pœna peccati. Hoc eſt, peccatum, quod delectat, cuius peccantem ſtatim nõ pœniteat, aliud mox generat: Et inde longiſſima (velut à parentibus in natos, natorúmque ſuorum natos) ſucceſſio procedit peccatorum. Quod Auguſtini verbis aliis noſtri referunt in Can. Vnum Orarium .ſ. Criminis.25. Diſt. dicentes, Nullum peccatum eſt adeo Veniale,

Sicuti Virtus mater eſt Virtutis: Sic etiã Peccatum parẽs eſt Peccati

Can.1. de pœniten. Diſt.1.

To.1.

quod non fiat Criminale, dum placet. Id etiam probat in Homilia, de Adã & Heua, Chryſoſtomus. In Hæreſibus hoc ſanè quàm veriſſimũ. Nec experientia dubitare ſinit. Reus vnius, omnium reus eſt Hæreſum. Licétque nonnunquam dicantur, Aliam habere, & Aliam non habere: Intelligas, Aliam magis, & Aliam minus. Sed omnes habet, Vnã quiſquis habet. Nomen tibi delige quodlibet Sectariorum. qui ſunt hodie pluſquàm triginta. quibus ſingulatim referendis, has nolo chartulas conſpurcari, ſed nec aures veſtras infici. Quamlibet in ſectam (dico) te proijce: Quiſquis eris, Manichæus eris. Arianus eris. Atheus eris. & alius quilibet hæreticus eris. cuiuſcúmque nomine Sectæ noteris. Diſſentiens quidem verbis ob innatam Gnoſticis φιλαυτίαν: verùm, ſententiis & hæreſi conſentiens. Ac ne me falſa dixiſſe putes, auditor Chriſtiane, dicendis attende pauliſper. Ab annis tantum quinquaginta (quibus Deo propter peccata Sacerdorum viſum fuit hęreſibus variis Eccleſiam ſuam tentare, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant) initio malorum, tantùm ceremonias, veteréſque ritus, & mandata de ieiuniis, de cibis, de ſatiſfactionibus & indulgentiis, déque ſimilibus inſtitutis ac moribus Eccleſiæ Chriſti contendebant: Opera poſtea, fides, & hominis iuſtificatio cœpta ſunt agitari. Deinde, Sacramentis quibuſdam manus impias admouerunt; Hinc, Sanctum Sanctorum, Sacramentúmque Sacramentorum (ſcilicet, Altaris) inuaſerunt. Adhuc nemo Chriſti diuinitatem in dubium vocarat. Ecce tibi non prætierant anni decem, quum cœperunt ea de re primùm diſputare: deinde, ne viderentur accedere Sanctorum patrum definitionibus, & illis doctrinâ cedere, cœperunt de aſſertis dubitare, nouáſque rationes quærere. Demum, per ſuos quoſdam tropos & rhetoricationes vnuſquiſque verum ſe putauit inueniſſe Deum. Suum ſibi quíſque Chriſtũ, ſuam Trinitatem finxit: quod eſt principium negationis. Alij poſtea negare planè non horruerunt. Et ab operum bonorum negatione tandem peruenerunt ad illius negationem, propter quem fiunt opera bona.

Hæreſes concatenatæ.

Hinc intelligis, auditor Chriſtiane, quòd, Nemo repente fit Hæreticiſſimus, dicere volo, Turpiſſimus. Gradibus ad ſummum perueniitur. Hæreſis hominem pedetentim ducit in Hæreſin, donec miſeros in profundum malorum præcipitet. Hæreſes etenim ſunt inuicem non ſeparabili glutino ferruminatæ. Conferunt Hæreticos vulpibus Samſonis: quæ, caudis ad caudas cum face media colligatis, hac illac diſcurrũt, & ſtantes ſegetes incendunt,

flo-

florentésque nostras vineas dissipant. Iudi.15.Id est,(interpretante Chrysostomo. Psal.96.) In Ecclesias nostras introgressi, Fideles, qui in vinea Christi, vt botri, se exhibebāt, falsâ doctrinâ subuertunt. De quibus etiam vulpibus, Hieronymus illud Ezechielis interpretatur, Quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui, Israël.cap.13. Propter hanc hæresum conspirationem, & indissolubilem connexionem (nam sicuti virtus, vt dicebam, sic & Hęresis est circulo similis) errores Eustathianistarum numerari non posse dixerunt in primo versus istius commate. Rationem deinde subdunt. —

Vulpes, Hæretici.

To.2.

To.5.

Vnus enim quísque istorum, &c.

Superbia est omniū Hæreticorū mater, ait Augustin. scribens contra Epistolam Manich.cap. 6. To.6.

Philautiæ morbo languentes immedicabiliter omnes, quotquot vnquam ex abysso prodierunt Hæretici, dogmata quædam noua statuunt, quibus in suum speciale nomen attrahant discipulos. De quibus illud, quod in Edomitas vaticinatus est Abdias, Hieronymus docet intelligendum — Superbia cordis tui extulit te, Habitantem in scissuris Petræ. Quis enim (dicit) Hæreticorum non extollitur in superbiam, paruipendens Ecclesiæ simplicitatem, & eam reputans imperitiam? Deinde subiungit — Néque Prophera dixit, Habitantem super Petram (super quam prudens ædificator extruit domum suam) sed, Habitantem in scissuris Petræ: Vt Hæreseωn à Petra Christo, & ab Ecclesia significet scissiones. Ita Hieronymus: Hoc est profectò, A communibus vitæ regulis abscedere (prout hîc dicitur) & sibi normam viuendi singulariter esse velle: quā priscis omnibus incomparabiliter meliorem credant, & sequantur quasi rectioré. Sic Ebrij pulchrè sibi constare videntur. quum néque pes, néque lingua fungi suo possit officio. Sic via stulti recta semper est in oculis eius. Nos verò Sancta Patrum nostrorum vestigia, certáq; maiorum consilia firmi, nihil vacillantes imitemur: & meminerimus quòd, Qui ambulat simpliciter, ambulat & confidenter. Ille autem mihi simpliciter ambulare videtur, Qui (curiosis & periculosis de scriptura quæstionibus, quales Hæreticorum, posthabitis & neglectis) fidei simplicitate solâ contentus facit ea, quæ iussa & mandata sunt: & obedit Ecclesiæ.

To.6.

Prouerb. 10.&.12.

Ambulare simpliciter.

Aliud sequitur, quod in Gnosticis & Hæresiωtis est perpetuum. Tanta, videlicet, opinionum diuersitas, vt ferè tot numerentur istorū sententiæ, quot anguli, quot triuia, quot ipsorū sunt capita:

To.5. Sed nec adhuc vno in capite vna perpetuò conſtet. Quandoquidem, (quod Hieronymus in fine cap. 9. Eſaiæ ſcriptum reliquit) Hæretici propter luxuriam, & voluptates, & lucra de populis, inter ſe habent diſcordiam: vt de vna hæreſi duæ fiant: Et ipſæ rurſum diuidantur in partes, & in fruſta ſecentur (quemadmodum dixit Auguſtinus) vt proprios abducant greges. Igitur hoc veriſſimum, quod ſubiungitur.

NEC enim communis ipſorum ſententia, nec vnus animus eſt.

To.2. Can. deniſque. 7. q. 1. Hieronymus (quod & pridem Tertullianus) initio ſtatim dialogi contra Luciferianos, pro certiſſimo poſtulat haberi, Nullos Hæreticos eſſe Chriſtianos. Qui negant enim verbum (Chriſtum, videlicet) omnipotens eſſe, neque ſuis poſſe ſacramentis corpore præſens adeſſe (quod palam Gnoſtici faciunt) vt nec Arium, ſic nec iſtos dicere licet eſſe Chriſtianos. Anno Chriſti. 437. Theodoſius Iunior, & Valentinianus. 3. legem tulere, quâ vetant Hæreticos abuti nomine Chriſtianorum: ſed ab authore ſceleris, quod ſectantur, iſtos nomen ſortiri volunt. Itáque, poſt Hieronymum dicimus, & pro confeſſo pônimus, omnes Hæreticos habendos eſſe veluti, Publicanos, Ethnicos, Gentiles, ac Turcas. Nec aliter de illis, quàm de Gentilibus ac Turcis eſſe iudicandum. Et fortè ſunt cum Iudæis in conditione longè peiore. Nam (quod idem ſanctus aliubi dixit) In Gentilibus, Spes fidei eſt: In Hæreticis, pugna diſcordiæ: qui (ſuprà quàm ſint Gentiles) perinde atq; Iudæi, ſæuiſſimi ſunt catholicorum perſecutores, & oſores infenſiſſimi.

Hæreticus nõ eſt Chriſtianus, niſi nomine tenus. ait Auguſtin. cap. 5. Enchiri. To. 3.

l. 6. C. de Hæreti.

Hæreticus nõ eſt Catholicus, ergo non eſt Chriſtian'

Matt. 12. To. 9.

Fixum manet igitur, De Hæretico ſic eſſe loquendum, ſicut de Gentili. Atqui, Gentilium diſputationes & quæſtiones omnes rationis humanæ ſenſum duntaxat ſequuntur, & audientium plauſum: non authoritatem, néque ſimplicitatem ſcripturarum. Sic igitur de loquacibus Hæreticorum Chreſtologiis, omnia pacifica repromittentibus eſt aſſerendum: quæ ſuo, non ſcripturæ, ſenſu blandiuntur auditoribus. quod ille veriſſimè collegit in fine ca. 7. Oſeæ Prophetæ. Quos & alio quodam loco, Syrenibus cõparat, nihil quàm demulcentibus aures, & ſubmergentibus auſcultãtes. Illi quidem nullâ non concione ſuâ, nullo nõ libro, cum Sathana proferunt Id quod ſcriptũ eſt. ſed eius, quod ſcriptũ eſt, diuinæ vi-

Blaſphemia eſt, rationibus humanis diuina diſcutere velle.

To. 6. In Mich. cap. 1.

videlicet Authoritaté scripturæ,non sequuntur. Vtpote,qui scripturam detorquere ad sui sensus temeritatem non verentur: qui non cohærentibus scripturarum testimoniis abutuntur: qui suo in loco cõgruens vni sententiæ verbum,conantur aliò transferre, quò suæ seruiant peruicaciç. qui deníque rationibus propriis mysteria veneranda prophanare prçsumunt: átque sic à fide Catholica peruertuntur,& alios peruertunt,dum syllogismis omnia colligere quærunt.Hinc manet ipsorum congregatio disgregata,Sectáque dissecta,sicuti nostrorum quidam nõ ineleganter dixit. Vt non magis de summa Religionis conueniat inter ipsos, quàm de rerum primordiis inter Philosophos.

Nulla inter Hæreticos opinionũ concordia.

Impostores isti quantùm valent eloquentiâ,vel facundiâ,tanti fiunt à suis sectatoribus: Et pro qualitate ingenij,viles æstimãtur, aut magni. Non dicibilis hôc fonte scaturit φιλονικία: quùm Diabolus nos eò demersit,vbi simplicitas & humilitas abest Ecclesiastica.Tum siquidem (prout est in quodam poëta) Qui velit ingenio cedere,nullus erit. Suam tum sibi quísque Stoam,vel Academiam struere (quacúmque valet vi) connititur,vnde sibi cognomines habeat imitatores: Ne si de suo nihil attulerit,suo videatur authore minus ingeniosus, & in scripturæ sensis eruendis minus edoctus,& inspiratus.Nam (quod extremum perditionis est) agi se Dei Spiritu,Séque θεοδιδάκτους omnes credi volunt: atq; ita plusquam Schismatici Christũ diuidunt: hinc illinc arroganti clamore vociferantes in cryptis,in fornicibus,in lapidicinis,in vulpium deníque foueis,Ecce,Hic est Christus. Huc huc à via Patrum vestrorum diuertite. Non illi,sed vnus Ego Spiritũ Domini habeo.

Verumtamen (Auditores Christiani,fratrésq; dilectissimi) nolite credere:Nisi de Spiritu,quem iumidi naribus efflant. Non est enim Spiritus timentium Deũ. Sed immundus est Spiritus,Spiritus mendax,átq; adeo Spiritus mẽdacij,Spiritus ignis átq; bestiæ, Spiritus Zelotypiç cõtra Sponsam Christi,deníq;,Spiritus furoris & irç Domini.Quamobrẽ,diligenter ipsi videte,ne vos decipiant animi sub vulpe latentes.Probate,An Spiritus ex Deo loquantur, Psal.30.
& non magis in Superbia & in abusione.prout est in Psalmo.

Liber extat Augustini, De pastoribus. in.17.capita diuisus. in 8.cap.Refert ille pastor verè sanctus,& exponit verbum Domini. To.9.
Ezech.34.Errauerũt oues meæ (dicit Dominus) in cunctis montibus,& in vniuerso colle excelso.id est,in Hæreticis,quos illæ se-

quũtur. Donati nempe ſuperbia, Mons eſt. Parmeniani, Collis eſt excelſus. In mõtibus autem, & collibus iſtis, quos terrenus tumor & ſuperbia ſeculi extulit, & erroris noui authores effecit, errantes oues dum paſcua quærunt, in omnem terræ faciem diſperſæ ſunt. id eſt, Hereticos vbiq; reperiunt, ad quos deflectant. In terra nunquam defuerunt Heretici, nuſquámque deſunt, aut defuturi ſunt. Sed hîc alij, & ibi ſunt alij. Diuerſis in locis diuerſi. Quos tamen omnes, vbicúmque terrarum degant, Vna mater ſuperbia genuit: vt vna mater noſtra Catholica Fideles & Chriſtianos orbe toto diffuſos generauit. Non ergo mirum, Si ſuperbia diſſenſionem parit: vt Charitas, Vnionem. In aſſerendis Hæreticorum diſcordiis concordantem patribus Auguſtinum vides. Quod nec ipſi negant, anticategoriis, & mutuis recriminationibus alter alterius vitam ſuam perniciofiſſimam prodentes: vbi Magos ſeinuicem, & Simones Magos, & Cacodæmonas, Furiis agitatos, Sabellianos, Manichæos, Anabaptiſtas, Horribles blaſphemos, Execrabiles beſtias, Horrenda deníque monſtra ſe vocitant.

Oues errant in montibus, quæ ſequuntur paſtores Hæreticos.

Hæreſis Hydra verè eſt, & ποικίλος, & πολυκέφαλος. id eſt, Varia, Sibi non conſtans, nec vno capite contenta. Legimus in Eccleſiaſticis Hiſtoriis olim, quod & hodie cõprobamus, Ex vna, vixdum quinquagenaria, quot eruperint Echidnæ: concolores quidem ac ſimiles in impietate, ſed in impietatis genere diſpares, nec vnius coloris omnes. Antris & cauernis diſſidẽt, nec vnâ ſpeluncâ clauduntur, Sibili quóque diſſoni, ſed in perfidiæ veneno conſonant aduerſus Eccleſiam. prout ſequitur.

Hydra.

Sed vnuſquíſque, &c.

Hæreticorum, ſiue Gnoſticorũ diuerſi quidem ſunt átque multiformes errores: vna tamẽ in omnibus eſt átque ſimilis voluntas. Mendax & Vana, videlicet, Vt decipiant ipſi de Vanitate in idipſum. Pſal. 61. Quem locum ſic interpretatur Auguſtinus enarrans octogeſimum pſalmum. Quamuis (ait) opinionum varietate diſcordent, Simili tamẽ Vanitate colligantur. In peius iſti conſentiunt, quamuis à ſeinuicem diſſentire videantur. Ideo Samſon caudas vulpium colligauit. Vulpes autem ſignificant inſidioſos, maximéque Hæreticos doloſos, fraudulentos, cauernoſis anfractibus latentes, & decipientes, odore etiam tetro putentes. Hæc inibi Diuus Auguſtinus. poſt quem, Patres in Lateranenſi concilio

To. 8.

Etſi de opinionũ varietate in diuerſum cant, De vanitate tamen vnũ ſunt Hæretici. Opinio diuerſa eſt. Vanitas vna.

Vulpes.

lio sub Innocentio.3.Papa.1215. Dum per Excommunicationem de vineis & segetibus Ecclesiæ Vulpes istas vniuersas (quas Hæreticorũ nomine generali volunt intelligi, tametsi specialia quædam magistrorum suorum nomina retineant) expulsas & longè fugatas volunt, hanc demum suæ sententiæ caussam reddunt, Facies quidem diuersas habent, sed caudas adinuicem colligates. quia de vanitate conueniunt in idipsum. concilij cap. 3. Illud verò. De vanitate conueniunt in idipsum. sic interpretatur Isidorus in fine cap. 5. libri octaui Etymolo. Hæreses, dum inter se multis erroribus diuisæ, inuicem sibi dissentiunt, Communi tamen nomine aduersus Ecclesiam Dei conspirant. Ergo, Voluntas vna est omnium Hæreticorũ. scilicet, Vt oppugnet & expugnent Ecclesiæ simplicitatem. sed oppugnantum machina non vna. Regum tertius & quartus liber, à Roboam filio Salomonis, & ab Hieroboam filio Nabath, duorum regnorum, Iudæ, & Israëlis historiã describit: Illam quidem simplicibus & nudis verbis: quorum tamen abstrusior sensus Hieronymo designat Hæreticorum bella contra Ecclesiam. Quibus bellis vt plurimùm suæ præfuerunt, vt etiam præsunt, Iezabeles, & Athaliæ. Nam, quæ fuit Hæresis vnquam sine fœmina, vel duce, vel perpetua comite? διαβολὴ, καὶ βλάβη τῆς ἐκκλησίας hæc est. propter quam damnandam conuenere patres: vt attestantur ipsi.

Cap. 13. & 15. de Hæreti. In antiq. can. Quidã autẽ Hæretic. in fi. 24. q. 3.

Hierony. ad Paulinũ. in præfatione Bibliorum. To. 3.

Δι' οὖν ταῦτα ἠναγκάσθη ἡ παραγενομένη ἐν Γάγγραις ἁγία σύνοδος καταψηφίσασθαι, αὐτῶν, καὶ ὅρους ἐκθέσθαι, ἐκτὸς αὐτοὺς εἶναι τῆς ἐκκλησίας.

QVapropter, Hæc sancta synodus in Gangris habita est, ac celebrata: Vt eos cõdemnaret, suísque regulis definiret ipsos foris, & extra Ecclesiam esse.

Hæreticos intelligi vulpium nomine bis ostendimus in superiore colo: propter astutias, & occultas ipsorum nequitias, quibus homines parum firmos inuertere, vagos & voluptarios tam facilè, quàm facilè Vulpes pirum comest (vt est in prouerbio) decipere solent. Ab his autẽ circumuentos átque supplantatos Hieronymus intelligit eorum nomine, de quibus in psalmo. 62. cani-

Vt Vulpes gallinas. sic Gnostici facilè sympliciũ capiunt animas.

tur, Pattes Vulpium erunt. Id eſt. in ſortem cedent, & in portionem crudeliũ, pariter & aſtutorum (quæ vulpis eſt natura) Gnoſticorum. à quibus vorabuntur, & cum quibus in manus gladij, & in inferiora terræ mittentur.

Ezech 13. & psl. 80. Epiſcopis mandauit Dominus, Vt iſtiuſmodi Vulpes in foueis ſagaciter inueſtigent, omni cum ſolertia venentur & capiant. Hieronymus & Auguſtinus in duobus antè citatis locis ita verbum Salomonis interpretantur, Capite nobis Vulpeculas, quæ demoliuntur vineas. canti. 2. Diuus Bernardus totus eſt in iſtius explicatione dicti. Sermone 65. ſuper cantica. locum vidiſſe iuuabit. Ad hanc venationem, capturámque Vulpium, Patres Gãgras conuenerunt: vt hîc legitis. Quæ (ſicut initio diximus) vna ſingularis & ſumma eſt Eccleſiaſticorum cõuentuum cauſa Iuxta innocentij tertij monita ſcribentis ad Archiepiſcopum Senonenſem—Inter ſollicitudines noſtras, illa debet eſſe præcipua, Vt capiamus vulpeculas, quæ moliuntur vineam Domini demoliri. Vulpeculas (ait Hoſtienſis) id eſt, Hæreticos, ad modum Vulpecularum latentes, & doloſos.

Capiẽdæ ſunt Vulpeculæ.

Cap. 10. de purga. cano.

Videre ſupereſt, quid in deprehẽſos Hæreticos ab Eccleſiaſticis & Catholicis veniat agendum.

Εἰ δὲ μεταγνοῖεν, καὶ ἀναθεματίζοιεν ἕκαστον τούτων τῶν κακῶς λεχθέντων, δεκτοὺς αὐτοὺς γίνεσθαι. καὶ διὰ τοῦτο ἐξέθετο ἡ ἁγία σύνοδος ἕκαστον, ὃν ὀφείλουσιν ἀναθεματίσαντες δεχθῆναι.

QVòd ſi mentem mutarint, & Anathematizarint ea ſingulatim, quæ malè ſunt ab eis & perperam dicta, definit ipſos recipiendos. Propterea ſancta ſynodus expoſuit vnumquódque, quod anathematizantes admitti debent.

Quonam modo reſipiſcentes, ad Eccleſiámque redire volentes

Quâ ratione possit Hæreticus ad Ecclesiã reuertẽs ab Ecclesia recipi.

lentes Hæretici debeant ab Ecclesiæ præsidibus admitti, Patres hîc decernunt. De quo pro nostra tenuitate copiosè dicere tentabamus In Apostolicis canonibus.53.& 62. de quo prolixissimè Gratianus disputat in septima quæstione primæ causæ. Quare modò pauca proponemus.

Diuus Athanasius scribens Antiochensibus tradit apertè conditiones, quibus à conuentu Catholicorum pax iniri possit & concordia sarciri cum seditiosis Hæreticis, à scelerata sua factione resilire volentibus, & pacificè cum fratribus, qui permanserunt in veteris Ecclesiæ communione, deinceps agere desiderantibus. Vos tamquam pij patres (ait) istos benignè recipite: Nec amplius quid ab eis exigite, quàm vt omnem detestentur & execrentur Hæresim: confiteantúrque sanctorum patrum in Nicæa fidem catholicam, videlicet, vniuersalis Ecclesiæ fidem. Tales quóque per pœnitentiam redeuntes Hæreticos, ab Ecclesia semper fuisse receptos, quin eos ad pœnitentiam multa cum solicitudine prouocandos, Hieronymus exemplis & canonibus maiorum probat in fine dialogi suprà iam laudati, Contra Luciferianos. Ambrosius in Alexãdria vir diues & nobilis, errore Marcionis infectus, ab Origene correctus & conuersus est: Ab Ecclesiáque receptus. Quin & postea fuit Ecclesiæ Diaconus, insignis gloriâ dominicæ confessionis, vt attestatur Hieronymus, de Scriptorib. Ecclesiasticis. Agit Eusebius de hoc Ambrosio.cap.18. &.22.&.36.libri sexti Histo. Augustinus idem pariter affirmat aduersus Cresconium.cap. 11.12.&.16.libri secundi. & innumeris alliubi locis. In quibus omnibus de bando, seu compositione pecuniaria nihil ego lego.

To. 1.

To. 7.

Verumtamen hîc est diligentissimè cauendnm, Ne simulanter Hæresim verbis & ore duntaxat inficientur, Animo sensúque retineant. Et ideo, qui se resipuisse dicunt, In primis (quod Basilius iubet) δειξάτωσαν αὐτῶν ἔγγραφον τὴν μετάνοιαν, καὶ ἀναθεματισμὸν, καὶ χωρισμὸν τῶν αἱρετικῶν (quod ἐν μόνοις ille mandat) Id est, Suã pœnitentiam, siue resipiscentiam scriptam demonstrent: Et quod Hæreticos execrantur, ab hísque separantur. Id autem pro quorumcúmque iudicum tribunali fecisse nequaquam satis est. Æui tamen præsentis apud ὁμοιοτρόπους iudices ὑπόκρισις vsitatissima. quæ planè, plenéque perdit Ecclesiam nostram. Se námque simulant, impostores, ad pristinam veritatem reuerti: Non vt pectoris venena deponant, sed vt ea cæteris adhuc infundant, & interim,

In latinis ea est Epist.72.

Diligẽter cauendũ, Ne fictos catholicos habeamus, quos apertos hæreticos aliquando nouimus.

conniuentibus iudicibus, pœnas euadant, Hieronymi verba sub
To.5. scribam, In principio cap.3.& in fine cap. 12. Hieremiæ prophetæ. Quotidie cernimus, & rebus probamus, quòd ideo Hæretici fidei simulent veritatem, vt simplices quósque decipiant: & non ipsi conuertantur ad fidem, Sed fideles trahant ad infidelitatem. Longè plus nocet falsus Hæreticus (ait Bernardus) quàm manifestus Hæreticus.

Quare, Cyprianus istos recipi non vult, Ante Exomologesim publicam, Ante peractam publicè pœnitentiam cum satisfactione, Ante manum ab Episcopo & vniuerso clero in pœnitentiá lapsis impositam. Multas huius argumenti scriptas eius epistolas inuenies lib.3.epist. Inter quas, lege decimamquintam, cum sequenti. quâ durissimè reprehendit, & exactissimè vetat, Aut ipsis dari, Aut pro ipsis offerri Eucharistiam, Id est, Sanctum Domini corpus. Hæc sunt Episcopi, Martyrísque Dei verba. præterierunt anni mille quadringenti. Per homines ergo, domini corpus offertur pro aliis & si non pro lapsis aut hæreticis. Sed hoc parergon. Concludamus Augustinum sequuti, quòd, Sciri non potest, an sanati sint Hæretici, Nisi quum, non solùm sua dogmata falsa tacuerint, sed etiam vera, suis illis contraria, tanto, quo solebant illa falsa, studio defensarint. Epist.104.

Cap. Ad abolēdā. de Hæret. In antiq. d. cap. 10. de pur ga. cano.

Item scias, auditor Christiane, Dum Patres Hæreticū pœnitētem iubent in Synaxin recipi: Hos tamē nō voluisse, quòd Hæreseωs inuentor vnquàm reciperetur ad cōmunionem. Quod etiam Deus noluisse videtur, Arium fœdâ morte prohibens ab Ecclesiæ suæ ingressu. Athanasius ad Serapionem scribens, hanc historiam
To.2. narrat: & causam prohibitionis reddit, Ne tali recepto in Ecclesiam, videatur simul cum eo & Hæresis recipi: deindéque impietas pro pietate habeatur. Marcion dum Romæ pœnitentiam publicè confessus esset, haud aliter tamen ad Ecclesiæ pacem receptus est, quàm si cæteros quóque, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret. Morte præuentus conditionem non impleuit. Hæc à Tertulliano referuntur in libro De præscriptionibus aduersus Hæreticos. Eleutheri benedicti pontificatu (tam reuerenter Papæ defuncti meminit) & Antoninorum principatu gesta. circiter.an.Do.180. Berengarius Andegauensis Ecclesiæ Diaconus in publica synodo Romana, quum Nicolaus secundus præsideret, circiter an. do. 1060. ex Augustini præscripto fecit, quod Marcion non fecerat. Ideo receptus & admissus fuit. Alioqui,

Hierony. paulò ante finem dialo. contra Luciferianos. In Alexandrina synodo constitutū est, vt, exceptis authoribus Hæreseos (quos error excusare non potest). Hæretici pœnitentes sociarentur Ecclesiæ.

Can. Ego Berēgari⁹. de consecr. dist.2.

qui, Hæresiarches, qui linguâ suâ tam multos perdidit, pœnitentiâ suâ non desinit esse nocens: Nihilo magis, quàm fur, aut homicida, quem pœnitentem Leges quotidie gladio feriunt. Alius est Hæreticus (ait Augustinus) Alius est homo credens Hæreticis. Quapropter, iniquum putare noli: Si perpetuò reiiciatur vnus, Altero pœnitente recepto. Gregorius nonus iudicauit erroribus Hæreticorum credentes, Hæreticos similiter esse. discrimen nullum est inter pertinaces.

L. Quis sit fugitiuus. ff. de edil. edict.

Initio statim libri de vtilitate credendi. To. 6.

* Cap. pen. de hæreti.

De recipiendis fugitiuis Hæreticis ad religionis veritatem redeuntibus dicta sufficiant. verùm, Quid si peruicaciter pro more suo rixentur, Nec errorem corrigere velint? De talibus ita Synodus censuit.

Εἰ δέ τις μὴ πεισθείη τοῖς λεχθεῖσιν, ὡς αἱρετικὸν αὐτὸν ἀναθεματισθῆναι, καὶ εἶναι ἀκοινώνητον, καὶ κεχωρισμένον τῆς ἐκκλησίας δέησει. καὶ δεήσει τοὺς ἐπισκόπους ἐπὶ πάντων τῶν εὑρισκομένων παρὰ αὐτοῖς, τοιοῦτον παραφυλάξασθαι.

SI verò quis nō paruerit his dictis, Hunc, Vt Hæreticum, Anathematizari, & esse Excommunicatum, & ab Ecclesia separatum oportebit. Et oportebit Episcopos euitare, cauere, & auersari omnes, qui tales apud ipsos deprehenduntur.

Hinc apparet, in Ecclesia Christi, quænam semper fuerit Hæreticorum pœna. qualis primùm, videlicet, à Paulo præscripta legitur ad Titum cap. 3. quum dicit—Hæreticum hominem, post vnam & secundam correptionem, deuita: sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, quum sit proprio iudicio condemnatus. Adeòque deuita, vt ne cibum quidem capias cum illo 1. Corinth 5. sed nec Aue dixeris illi: Nec in domum recipias. In 2. Ioan. epistola.

Can. Episcopi. 26. q. 5. can. Ad mensam. 11. q. 3. can. Omnis, qui recedit. 24. q. 1.

παραίτησις. Ista, quam præcipit Apostolus, hoc est, Fuga, Reie-

ctio, repudiatio, vitatio, detestatio Hæretici: videlicet hominis Christianum se simulantis, Ecclesiam verò Christi nouis opinionibus, & factiosis doctrinis perturbantis, & per verba legis (vt ait Ambrosius) ipsam legem impugnantis, est Excommunicatio. Id est, Ab omni fraterna Christianorum communicatione prohibitio & interdictio. quum, videlicet, à colloquiis, & mutua fidelium conuersatione, à sacrorum frequentatione, sacramentorúmque participatione quis, vt immoderatus & ἄτακτος, ordinem regulámque sequi nollens aliorum, remouetur & arcetur. Euangelica pœna, & perantiqua damnatio. De qua nos egimus in can. Apost. 11. & in Aristocratia nostra, de vtróque penes Ecclesiam gladio differentes. dúmque verbum Christi declarabamus, Sit tibi tanquàm Ethnicus & Publicanus. Et alia rursum proferebamus in Analectis nostris exponentes, quidnam sit Ecclesiastica censura cap. 20. de verb. sign. In antiq. Ibi similiter dictum, quid antiquæ doctores Ecclesiæ Græcæ, Latinéque vocant Anathema. Iam dicamus, quod instituto congruit.

Hæreticus.

Excommunicatio.

Paulus istâ parætêsi puniuit illos in fide naufragos, de quibus in priore ad Timoth. cap. 1. & in posteriore ad eundem cap. 2. Videlicet, Hæreticos, qui fidem & bonam conscientiam de Iesu Christo repulerant, & abiecerant: aliósque sermone suo in simile naufragium præcipites agebant. Ideo, Satanæ traditi fuerunt, vt discerent non blasphemare. Sed quonam, quæso, modo Hæretici non blasphemare discent in eius schola, qui pater est, & author omnis blasphemiæ? Chrysostomus hîc tibi respondet. Ita sub Satana discunt Hæretici ab impietate & hæresi temperare, sicuti fures & Homicidæ traditi carnificibus, vt plurimùm sceleratissimis hominibus. discunt non furari vel occidere. Sic enim cognoscunt se deliquisse. Et ab euentu persæpe contingit, quod néque Dæmon, néque Carnifex intendit.

Mirum est quòd, Hæretici discũt non blasphemare, in schola blasphemi Satanæ.

Can. Omnis Christianus. 11. q. 3.

Igitur, Hæreticum tradi Satanæ, est à Christi consortio in diaboli contubernium detrudi propter ingẽs admissum crimen. Qui non est enim Christi, oportet quòd sit Diaboli: quem si, subsequente penitentiâ deserat, Iterum fit & ipse Christi. Quapropter iubet Chrysostomus obseruari, quod Apostolus hîc, &. 1. Corinth. cap. 5. οὐκ εἶπεν, ἐκδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ σατανᾷ. ἀλλὰ, παραδοῦναι. ἀνοίγων αὐτῷ τῆς μετανοίας τὰς θύρας. καὶ ὥσπερ παιδαγωγῷ τὸν τοιοῦτον παραδιδούς. d. cap. 5 Id est, Non dixit, Dare huiuscemodi hominem Satanæ, sed, Tradere. Aperiens ipsi pœnitentiæ ianuas ac

tan-

tanquàm pædagogo tradens ipsum Diabolo.

Talis verò traditio (quæ dicitur à nobis Excõmunicatio) quandóque fit absq; molestia seu vexatione corporis. vt illis naufragis inflictã fuisse videmus. Et est ista Spiritalis traditio. Cui nonnunquam accedit etiam Corporalis, cum corporis (puta) cruciatu cõiuncta, & quemadmodum loquitur Apostolus, εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός. ad interitum carnis. vt etiam depulsus à piorum societate luat insuper & pœnas in corpore. Quod pœnæ genus illatum legimus per ipsosmet Apostolos enormibus quibusdam criminibus puniendis. Quale fuit Ananiæ mendacis: quale fuit & Bar-Iesu, rectas Domini vias subuertere non desinentis. act. 5. & 13. Illius quóque incestuosi Corinthij. Nec enim defuit Apostolis authoritas etiam corporaliter illos puniendi, qui se pertinaciter auertebant à fide, vel infamibus aliis erant operti criminibus. Id affirmat Chrysostomus in eo cap. 1. ad Timoth. Eóque pertinere dicit illam, quam Paulus Corinthiis minatur, Virgam, scribens eis — Quid vultis? In virga veniam ad vos? An in charitate, & spiritu mansuetudinis? 1. Corinth. cap. 4. τί ἐστιν ἐν ῥάβδῳ; (quærit Chrysostomus) ἐν κολάσει, ἐν τιμωρίᾳ. τοῦτ' ἔστιν, ἀνελῶ, πηρώσω. Id est, Quid est in virga? in punitione. In supplicio. hoc est, Perdam. Cæcabo.

Apostolis in corpus, & in Animam Iurisdictio data.

Can. Audiuimus 24. q. 1.

Can. Ananias. 17. q. 1.

Can. Quod Christus 23. q. 4.

Cælestis est ista planè diuináque potestas, in corpus, & animam simul Apostolis, Apostolorúmque successoribus, à Deo concessa. de qua publicè gloriabantur: & quâ parati semper ad vlscicendam omnem inobedientiam, nonnunquam durius, nõnunquam, pro re nata, lenius vtebantur: ad ædificationem tamen, non ad destructionem. 2. Corinth. cap. 10. & 13.

Can. Schismatici. 23. q. 6.

Can. de Excommunicationis. 24. q 3.

Chrysostomus deinde subiicit, Apostolos per seipsos aduersus eos qui non credebant, & peruicaciter credere nolentes fidei doctrinæ resistebant, hanc tantam exercuisse potestatem. velut in Anania factum fuit. Sed in discipulos apostatas (puta) qui defecerant ab auditis & iam creditis, per alios crimen hoc Apostasiæ vindicabant, & hos aliis puniendos tradebant. Viri sancti verba proferam, quò planum fiat, quod dico. Sunt in eo cap. 1. prioris, ad Timoth. τί δήποτε δὲ τοὺς ἀπίστους; καὶ γὰρ ὁ Ἀνανίας ἄπιστος ὢν ἔτι πειράτων. ἵνα μάθωσι κἀκεῖνοι οἱ ἄπιστοι, ὅτι οὐ δύνανται λαθεῖν, διὰ τοῦτο δι' ἑαυτῶν αὐτοὺς ἐτιμωροῦντο· τοὺς δὲ τοῦτο μαθόντας λοιπὸν, εἶτα ἐκτραπέντας, τῷ σατανᾷ παρεδίδουν: δεικνύντες ὅτι οὐκ οἰκείᾳ δυνάμει, ἀλλὰ τῇ αὐτῶν φυλακῇ συνείχοντο, καὶ περιεγίνοντο ὅσοι εἰς ἀπόνοιαν ἤρθησαν. καθάπερ οὖν ἐπὶ τῶν βα-

σιλέων, τοὺς μὲν πολεμίους, καὶ οἰκείαις σφάττουσι χερσὶ, τοὺς δὲ ὑφ' ἑαυτοὺς τοῖς δημίοις παραδεδώκασιν: οὕτω καὶ ἐνταῦθα. Id est, Denique, Quid in infideles? etenim Ananias infidelis erat, Apostolos enim tentabat. Vt infideles Itáque addiscerent, quod latere non possent, Ideo per seipsos Apostoli puniebant illos. At eos, qui iámque didicerant istud, & à via postea digrediebantur, Satanæ tradiderunt: Ostendentes, quòd non propriâ virtute, sed Apostolorum custodiâ continebantur & vallabantur, quicúmque se contumaciter in superbiam efferebant. Vt igitur videmus in Regibus, qui suos hostes in bello trucidant suis propriis manibus, Sibi verò subiectos tradunt lictoribus: Ita & hic.

Audis Chrysostomum. Sed aspides surdæ, quæ suas obturant aures (istius æui, scilicet, Gnostici) non audiunt hanc auream φαρμακοῦ vocem. Nolunt enim pars istorum maximâ, vinculis, inediâ, ieiuniis, carcere, pane doloris & aquâ tristitiæ, denique scuticis & flagris ab ecclesiarum præsidibus Apostatas coërceri. Quum tamen ad pastoralem diligentiam (sicut est in Augustino) pertineat oues perditas, & à grege aberrantes, inuentas, ad ouile dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, ac etiam doloribus reuocare. Epist. 50. de quo & nos agebamus in can. Aposto. 27.

Hæretici nolunt Hæreticos corporaliter puniri: sed Hæresi suæ liberos dimitti volunt. Et hoc etiã Sicarij de se volunt.

Maternis autem plagis non emendatos nolunt aliis in cædem carnis tradi: sed suæ quémque conscientiæ, suæ sibi, quamcúmque finxerit, religioni solutum relinqui volunt: cum
23. q. 6. can. Schismatici. Donatistis planè, Circuncellionibus, atque Manichæis clamitantes, Quem coëgerunt Apostoli? Cui vim fecerunt? Credere, vel Non credere liberum est.

Hæresibus hanc insuper Hæresin cumulantes ad hoc vsque tempus, omnes, quotquot abyssi puteus effudit (& effudit innumerabiles) Hæretici contenderunt, Imperatores & Principes, etiam Christianos, in Euãgelij causa debere nihil, aut posse iubere: Nec ad eos huiuscemodi rerũ curam pertinere. Vocant Homicidas, & reos agunt sanguinis Ecclesiasticos, qui terrenis potestatibus Hæreticum iudicandum tradunt: & auxilium postulant à regibus & magistratibus aduersus ipsorũ tumultus, & insolẽtias non ferendas: quas nequit amplius Ecclesiæ pia manus cõtinere, nec potest Ecclesiæ virga coërcere. Quibus dudũ respõdit Augu-

Auguſtinus duabus prolixiſſimis & vtiliſſimis epiſtolis, aut verius libris.ad Vincentium Rogatiſtam,priore:qui nullâ vi,ſed ſolo Dei verbo diſputabat,agendum eſſe cum Hæreticis.ea eſt quadrageſima octaua. Altera eſt quinquageſima, ad Bonifacium virum militarem,de Cæſaris comitatu,cui demãdata fuerat Aphrica regenda. Conſulebat, an agere liceret legibus imperialibus in Hæreticos? & licere probat Auguſtinus: caſtigarïſque debere, ſi reſipiſcere nolunt:attamen citra pœnam mortis,quamuis atrocia facinora commiſerint,& quæ lex capite punit.Non quia mortem non ſint illi commeriti: ſed quia manſuetudinis Eccleſiaſticæ nõ eſt, mortem miſeris imprecari. quare totum committit arbitrio, religioníque iudicantis. Audire námque ſoleo (inquit) in Iudicis eſſe poteſtate molliri ſententiam, & mitius vindicare, quàm leges. iſta forte didicerat ex Vlpiani reſponſo, quod inuenies in l.Hodie. Pandectarũ lib.48. Tit.19. Videas epiſt.158.159. & .160. Quæ ſcribebantur omnes circiter Annos Do.390.ad Ann.430.ſub imperiis Gratiani,Valentiniani.2. Theodoſij ſenioris,Arcadij,Honorij,Theodoſij iunioris,& Valentiniani.3.Nouis hi legibus obſeruari præceperunt antè latas à Conſtantino Magno, Filiíſque,Leges in Hæreticos: Nouáſque tulerunt. Quô etiam tempore, Nazianzenus Olympium ſuum, Prouinciæ præſidem clariſſimum, ſuper Apollinariſtis,hôc interpellat modô. quum grauia,nec pientiſſimis ferenda regibus dixiſſet Hæreticorum ſcelera,ſubdidit ἐπεξελθεῖν τοῖς γεγενημένοις (εἰ καὶ τῆς ἀπονοίας ἔλαττον) κατηξίωσαν. id eſt, Perſequi velis eorum cõmiſſa: quamuis ipſorum flagitiis & arrogantiâ minus. Ea eſt epiſtola (niſi me ſupputatio fefellerit).137. Inter epiſtolas Baſilij Magni. Gratianum & Valentinianum.2. fratres tunc imperantes,appellat εὐσεβεστάτους βασιλεῖς. Diuus Gregorius annis pluribus poſtea quàm ducentis,ad Libertinum Siciliæ præfectum ſcribit,vt in ſceleratiſſimũ iudæum,Naſas nomine,diſtrictiſſimè & corporaliter feſtinet vindicare ſcelus immane, quod in Eccleſiam patrarat: vt hâc pœnâ ſibi Dei noſtri gratiam concilíet, Séque poſteris imitandum monſtret exemplis. Inuenies in Epiſt 37.libri regeſtarum ſecundi,ſcriptarum indictione.11.Duos Epiſcopos,qui grauiſſimè deliquerant,idem mandauit ad principem duci,Canonum vindictæ ſubijciendos.

To.2. l.Hodie. ff.de pœnis. Can. Iſtud eſt. 11.q.1.

Sed forſitan quæris, Quænam fuerint aduerſus Hæreticorum ſeditiones Chriſtianorũ Cæſarum leges? Expediam paucis, quia res in promptu eſt ex titulo.8. libri primi codicis Iuſtinianei.

Monarcharum primus Christum Deum publicè coram hominibus confessus est. Constantinus Magnus. Is inde constituit, vt res & bona conuictorum Hæreticorum, peruicaciter vnitati resistentium, Suarúmque congregationum loca, fisco vendicarentur. Hanc legem repetitam leges in duabus illis Augustini modò citatis prælongis Epistolis. Extat & altera lex eiusdem principis, quam refert Eusebius in fine libri tertij, de vita Constantini. quæ sic habet — διὰ τοῦ νόμου τούτου προαγορεύομεν, μήτις ὑμῶν συνάγειν τοῦ λοιποῦ τολμήσῃ. διὸ καὶ πάντας ὑμῶν τοὺς οἴκους, ἐν οἷς τὰ συνέδρια ταῦτα πληροῦτε, ἀφαιρεθῆναι προστάξαμεν. Imperator Catholicus ibi scribit Hæreticis: causámque non vnam reddit, cur exterminatos esse velit. Inter alias, & eam ponit, quam vides, sic dicens. Per hãc legem præcipimus, Ne quis vestrûm colligere, siue Collectas facere, amplius audeat. Et propterea, cunctas ædes vestras, in quibus talia synedria, seu conuenticula, peraguntur, euerti iubemus. Arcadius, & Honorius, annis postea circiter centum vel octoginta, non destrui, sed proscribi domos illas mandarunt. Lex est.15. de Episco. & Cleri. C. Tres Constantini filij, Constantinus, Constantius, & Constans primo post obitum patris anno, scilicet anno Christi .340. tulere legem, quâ, Priuilegiis, & fauoribus omnibus Religioni generaliter indultis & concessis Hæreticos excludunt. Appellatione religionis noluerunt Hæreticorum phantasias, phanerosei̇s, & nouas cantilenas intelligi, quantumuis de Christo, de puro Christi cultu, meráque religione garriant illi. Non enim sunt Ecclesiastici vel Christiani. Nec illorum cœtus & synaxes appellare decet Ecclesias, nisi dicas, πονηρευομένων. prout est in psalmo. Parasynaxes nominantur in lege Martiani. αἱρετικῶν συνέδρια εὐκτηρίους ὀνομάζειν οὐ προσήκει. Hæreticorum conuentus Oratoria nominare non conuenit. hoc inuenies in citata modò Constantini ad Hæreticos epistola. Theodosius Maior mitius egisse videtur, quàm Constantinus, aduersus Hæreticos. In cõuictos enim duntaxat decem librarum auri pœnam constituit. Vt refert Augustinus ad Dulcitium tribunum scribens. Epist.68. & cap. 47. libri tertij contra Cresconium. Non dubito, quin vetus illa Romana lex in eis obseruata fuerit: Vt si qui fortassis egentes eluderent hanc pecuniariam pœnam, subirent extraordinariam coërcitionem. Duo Theodosij nepotes, Iunior (dico) Theodosius, & Valentinianus.3. austeriores ac feueriores in Hæreticos fuere: quos omni solo Romano, post omnium bonorum publicationem, iusserunt exulare, Omnibúsque modis intestabiles esse. Voluerunt insuper & Manichæos, & Manichæis consentientes, nominatim capitali sup-

Regum Christianorum leges aduersus Hæreticos.

L. Conuenticula.

L.1.C.de Hæreti.

To.7. In fi. l. 1. ff. de pœnis.

L.5.&.6. C.de Hæreti.

ſupplicio tradi. Quam legem non vidit Auguſtinus. Data nempe fuit Conſtantinopoli .3. Cal. Iulij. Fœlice, & Tauro coſſ. hoc eſt, Anno Chriſti. 430. Quo ipſo Anno Diuus Auguſtinus. 5. Calendas Septembris (hoc eſt Sexaginta ſolis poſt eam datam legẽ diebus) obiit Hyppone, Gothis Aphricam vaſtantibus. Eò nondum lex peruenerat. Nam ſcribens Auguſtinus ad illum tribunũ Dulcitium, quum moneret hominẽ, Ne Donatiſtas (qui Manichæos tamen ſiue Macarianos habebant pro Catholicis) occideret, ſed tantummodo corrigeret, ſic ait — Non enim tu in eos ius gladij vllis legibus accepiſti: aut imperialibus conſtitutis, quorum tibi iniuncta eſt executio, hoc præceptum eſt, vt necentur, Epiſt. 61. In libro legum nouellarũ Theodoſij Iunioris titulus eſt, De Iudæis, Samaritanis, Hæreticis, & Paganis. qui ſecundus eſt. In quo præter cætera, ſic ille, cum Valentiniano, iubent. Pręterea, Bona ſua proſcripta cernat, mox pœnę ſanguinis deſtinandus, quicúmque fidem alterius expugnauit peruerſâ doctrinâ. Vocant hanc iuſſionem Trabalem, quaſi diceres, Trabali clauo fixam. quod prouerbio fertur. hoc eſt, indiſſolubilem & nunquã mouendam legem. Datam Conſtantinop. pridie Cal. Febr. Theodoſio Auguſt. xvii. coſ. hoc eſt, Anno Do. 441. Néque tum primùm damnare cœperunt Hęreticos ad mortem. Nam Priſcillianus & Seculi gladio, & totius orbis authoritate damnatus antea fuerat. Vt author eſt Hieronymus ad Cteſiphontem contra Pelagianos. Id actum Treueri, quum Valentinianus. 2. & Maior Theodoſius regnarent, anno. 388. plus annis ante Theodoſium Iuniorẽ quadraginta. quod à Proſpero ſcriptum legimus in principio ſui Chronici. To. 2.

Hæreſin prædicãtes, Morte: Audientes, Pecuniâ: Seruãtes, Deportatione plectuntur.

Martianus Imperator Anno poſtea. 459. generaliter ſanciuit, vt, Quicúmque illicita & hæretica docere tentarent, vltimo ſupplicio coërcerentur. Auditores ac diſcipuli Decem libris auri mulctarentur. In hæreſi deprehenſi Deportatione damnarentur. Hæreticorum præterea libros conquiri, ac publicè comburi iuſſit. Quod & antea Theodoſius Iunior, & Valentinianus fecerant. Imitati Conſtantinum, qui lege præceperat iſtorum libros exquiri, & auferri de medio. ſicuti refert Euſebius in citato tertio libro. Mos in Eccleſia vetuſtiſſimus, vt impij libri comburantur. Act. Apoſt. cap. 19. l. 8. C. de Hæreti.

Diuerſas externarum poteſtatum leges in Hęreticos videmus: Pecuniarias quaſdam, nonnullas Capitales. quarum cauſſa generalis vna eſt omnium pœnalium legum, Ne maleficia remaneant

l.Ita vulneratus. 52. ff. ad le.aquil. impunita. Hæresin crimen esse ac maleficium, crimen (inquam) publicum, quod omnes offendit, quod in omniū fertur iniuriam, denique quod nos excludit à regno Dei, non minus quàm vel Idololatria, Furta, Homicidia, vel Adulteria, vel alia quæuis carnis opera damnata, Galatis enumerata, nemo dubitat, nisi qui de Paulo dubitat. Si verò crimen est Hæresis, ergo Reipublicæ expedit, vt puniatur. Et vt exacerbetur etiam maleficij supplicium, quando, multis personis grassantibus, opus est exemplo. Quæ caussa est iustissima, cur, Ecclesiasticis (ne diutius opprimatur & vexetur ab improbis & malignis Ecclesia) denunciantibus, ad capitis quandóque periculum, nō ad bona tantùm, pro motu animi sui legem suā Princeps extendat: & maleficos viuere non permittat (quod iudicium præcepit ei Dominus) Nec opprobriū dissimulet illius, qui nostra omnium probra deleuit. Ab Augustino docti dicere nostri solent in Canonibus & Ecclesiæ legibus Hęreticorum pœnas esse quattuor, Excommunicationem, Depositionem, Rerum ablationem, & militarem persequutionem. Quâ postremâ, Pertinaces de more concremantur. Vt enim Transfugæ per leges ciuiles viui exuruntur. Ita Gnostici quóque damnandi videntur, quū, proditā Christianorum ciuitate, deficiant, & ad hostes transfugiant. Hostiensis Cardinalis exponens cap. 9. de Hæreti. In antiq. vbi est — Quicúmque manifestè fuerit in Hæresi deprehensus, arbitrio secularis iudicis relinquatur: debitā recepturus pro qualitate facinoris vltionem. Vltio debita (inquit) est ignis crematio. quā pœnam generalis approbat consuetudo, secundum quam igni traduntur Hæretici vniuersi. Deinde citat illud Christi prognosticū Io. 15. quod huc totum pertinere dicit. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut Palmes: & arescet: & colligēt eum: & in ignem mittent: & ardet. Hostiensem reliqui nostri cōmentatores insequuntur. Aridis palmitibus, Arbori fructum non ferenti, Paleis, Zizaniis ignem Christus vbique minatur: Inextinguibilem quidem illum, & æternū, quo sunt, qui se ab eo per Hæresin disiungūt, arsuri perpetuò: quid vetat infœlices istos hîc sua, Dei iam iudicio, præuenire tormēta? Vindicta carnis impij, Ignis & Vermis. Item, Synagoga Peccātium est veluti stupa collecta: & consummatio illorum, Flamma ignis. Præterea, Solidorum siue monetæ publicæ corruptor & adulter illico flammarum exustionibus à lege mancipatur. Euangelij corruptoribus & adulteratoribus (id est, illud suo sensu, non Ecclesiæ Catholicę, maiorúmque tractantibus & interpretantibus) Gnosticis par supplicium debetur. Nihil (aiunt isti) corrumpimus, aut innouamus: imò corrupta

[Margin notes: In fine. l. aut facta 16. ff. de pœnis. — 23. q. 5. Can. Reos. ca. 15. de Iud. In antiq. — l. 8. §. Hostes. ff. de pœn. Cap. Ad abolendam. — Eccl. ca. 7. & 21. — l. 2. C. de falsa mo.]

per.

per vos,& omnes maiores vestros adulterata restituimus,& curamus. O Christe,patientissime Domine. qui tot annis inuersionem prędicationis tuæ sustinuisti,donec tibi Prędicantes isti subuenirent! Istis iamdudum Tertullianus sic respondit, Marcioně confundens. quid aptius aliud respondere possumus? quandoquidem sunt & Marcionistæ. Lib.1.

Sed obijciunt, Apostolos, & Apostolicos viros à Regibus & Principibus terræ contra persecutores & aduersarios suos auxilium nunquam petiisse, Patienter omnia propter Christum sustinuisse. Quamuis hoc verum foret,malè tamen colligeretur,quòd nec postea fas fuit petere. Ab amico námque peto, quod non ab hoste. Præterea,ex mera negatiua nihil concluditur. Atqui,falsissima sumunt. quod duobus in locis Aristocratiæ nostræ disputantes ostendimus: quum de vtróque apud Ecclesiam gladio, Déque mero Ecclesiæ imperio dissereremus. Ab insidiantibus & coniuratis in se Iudæis quum sibi timeret Paulus, ad Tribunum confugit: à quo supra quadringentos milites accepit,ad sui defensioně. quid, nisi interfecturos, quicúmque repugnassent? Ergo Paulus effusi sanguinis reus? Hierosolymis idem iudicari noluit, sed ad Cæsarem prouocauit. Quid agis,Paule? Christus angelorum legiones auxilio sibi nō accersiuit,imò ne gladiolum quidem stringi voluit,quô protegeretur ab inuasoribus. Impiè damnatus,velut ouis coram tondente,siluit,non appellauit: Et centuriones ac tribunos tu sollicitas? Cæsares appellas? Facto suo respondet Apostolus argumentū non valere,quod à negatiua trahitur. quum dispensationis alia sit,& alia ratio.

In fidei et Ecclesiæ rebus Christi fideles ab infidelibus principibus auxilia petierunt.

Act.23. &.25. Can.Maximian*. 23. q.3.

Sed Gnosticos ostendamus dicere falsa,quanquàm se falsarios vbique dissimulent. Ab idolorum seruis,& infidelibus Apostolici viri nō semel implorarunt & obtinuerunt auxilia. Quod nemo non audiuit, inculcans hîc referam Lampridij verbis in Alexandri Mameæ vita. Dum Christiani quemdam locum,qui publicus fuerat,occupassent, Contrà, Popinarij dicerent eum sibi deberi: Rescripsit imperator. melius esse,Vt quomodocúmque illic Deus colatur,quàm popinariis dedatur. Id Origenis ætate gestum sub An.Do.230. Circiter Annos Do.260 Galienus ad Christianorum supplicationem vetuit edicto publico, ὥστε μηδένα τούτοις ἐνοχλεῖν. Ne quis ipsis negocium facesseret,aut molestus esset. Iisdem quóque postulantibus ea loca restitui iussit,quæ vocabant κοιμητήρια. refert hoc Eusebius in cap.13. libr.7. histo. Quum sceleſtus & impius

Paulus Samoſatenus Antiochię propter execrabilem Hæreſin fuiſſet à Catholicis Epiſcopis excommunicatus, ordinéque depoſitus: Néque tamen vellet Eccleſiæ domo excedere, ſed eam vi retinere contenderet, à Chriſtianis interpellatus Aurelianus Imperator, præcepit, vt illa domus traderetur eis, quibus Italiæ & vrbis Romanorum concordes Epiſcopi tradendam ſcriberent. οὕτω δῆτα ὁ προδηλωθεὶς ἀνὴρ μετὰ τῆς ἐσχάτης αἰσχύνης, ὑπὸ τῆς κοσμικῆς ἀρχῆς ἐξελαύνεται τῆς ἐκκλησίας. id eſt, Sic igitur Homo deprehenſus extrema cum ſui ſceleris infamia per mundanam poteſtatẽ depellitur Eccleſiâ. Author idem in eiuſdem ſeptimi libri ca.30. quod euenit circiter Ann. Do. 280. Itáque, Gnoſtici deſinant Eccleſiaſticos increpare, quòd aduerſus ipſorum furores modò concitent & arment reges, Eiuſdem præſertim ſecum dogmatis átque fidei cultores.

Te ſcire tamẽ, auditor Chriſtiane, velim, Gnoſticos hîc opinionibus etiam variare, quas pro modo virium ſuarum ſubinde mutant. Apoſtaſiæ ſuæ principio, quum paucos adhuc & debiles ſectatores habẽt, ipſi tum nolunt, quòd in ſe iudicia de religione exerceantur. quia Canonicis (vt aiunt) & Apoſtolicis literis aut exemplis probari nequeunt. Se tum libris æditis átque ſermonibus ſuis prædicant nolle, néque debere ſæuire. cautos homines. quia vident ſe non poſſe. Quum ſua verò factio creuit, & efferos Barbaróſque populos, vndíque principes nonnullos, Belial filiós, Satanas ipſis conciliarit, è veſtigio prodeunt in publicum libelli clamitantes, Occidite, Mactate, peruicaces iſtos Hæreticos viuere non ſinite: Nec aliâ manu, quàm carnificis, iſtarum beſtiarum ceruices rebelles & contumaces frangi poſſe putant. hîc vtor ipſorummet verbis. Viderîque volunt ſcripturarum pondere contradicentes obruere. Hæreticos autem vocant eos, qui diſſentiunt ab ipſis, Catholici quicúmque tandem ſint.

De plectendis ac puniendis Hæreticis hæc pauca ſufficiant dicta. Cuius argumenti duæ ſunt apud Gratianum quæſtiones integræ, Septima, & Octaua Cauſſæ vigeſimæ tertiæ, ſed & quinque præcedentes omnes eò ferè pertinent.

DE ſingulis exinde Canonib⁹ agamus. Quos in primis ſciamus omnes eſſe iā Latæ ſententięCanones. id eſt, Patres ex eo tempore, quo damnarunt iſta, velut Hæretica, ſubiecíſſe mox omnes Anathemati, quicúmque pertinaciter in has, aût lapſi fuerant, aut poſtea laberentur, Hæreſes: néque moniti reſurgere vellent. Sanè,

Si

Hæretici sunt ipso iure excommunicati.

si conuicti fuerint, Et ab Ecclesia tales (videlicet, Hæretici contumaces) pronunciati seu declarati fuerint: Eo ipso suppositi sunt pœnis in Hæreticos per Canonas decretis. Et aliâ nō est opus sententiâ, quàm quæ sit admissi criminis declaratoria. puta. quòd obstinati sunt Hęretici. Ergo, Iure ipso, id est, iure disponente & hoc statuente, sunt excommunicati. Græcum illud, ἐςῶ. quod est ἐπιςῶν προςακτικῶ. Latinum pariter illud, Sit. Et alia quæcúmque sunt præsentis temporis verba, quum vel à Lege, vel à Iudice proferuntur, Sententiam tum quóque proferri denotant. Anathema esto. Sit excommunicatus. Anathemati supponatur. Excommunicatione plectatur. & in similibus: Statim post admissum crimen intelligitur delinquens incurrisse pœnam. Docetur hoc in scholis nostris, cap. 12. de foro competen. De quo rhapsodia extat Felini satis prolixa in fine cap. Rodolphus. de rescript. Quum dicitur in Euangelio, Sit tibi velut Ethnicus. Matt. 18. Rursúsque Ioan. 3. Qui nō crediderit, iam iudicatus est. Quúmque iubet Apostolus Hæreticum non obedientem vitari: caussam reddens, Quia sit proprio iudicio condemnatus. Non aliud intelligendū puto, quàm quod hîc dicimus. — Etiam si taceant homines, & si delinquens per Sacerdotes ab Ecclesia nōn expellatur, Excommunicationis tamen pœnam esse perpetuam comitem delicti. Néque bene consequi, Non est probatum crimen - Hypocrita non est declaratus Hæreticus - Ergo non est excommunicatus. Ipse námque semet excommunicauit, quum suo solius arbitrio de Ecclesia recessit. Quisquis in Hæresin iam semel damnatā labitur, Eius se damnatione inuoluit: nouâ non opus est sententiâ: Quod propter fictos & simulatos modo nescio quàm multos dixerim: qui veris tamē, ac synceris χριςιανώτεροι volunt haberi. Quicúmque (ait Hieronymus) aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, Hæreticus tamen appellari potest.

Cap. Nouit. de Iudi. Can. Benedictus. de pœnit. Dist. 4.

Omnis Hæreticus, siue manifestus, siue occultus, est excommunicatus.

24. q. 1. Can. 1. & Can. 3.

Can. Hæresis. 24. q. 3.

Néque putes Armenios solos, & Paphlagonas hisce Canonibus teneri: quia sint in metropoli Paphlagonum conditi. à qua Synodus ipsa nominatur Gangrensis. vt initio declaratum fuit. A locis, in quibus habentur, etiam generalia Concilia sortiuntur nomina sua singularia. Nicænum, Constantinopolitanum, Calchedonense, &c. quæ nō propterea singulares talibus duntaxat in locis constituunt leges. Imò sunt omnium locorum communes.

Atqui, Non οἰκουμενική, sed μερική fuit ista Synodus Gangrensis. id est, Nō vniuersalis omnium ex habitabili terra Episcoporū con-

gregatio,sed particularis extitit:in quam de certis prouinciis pauci conuenerunt: Hoc verum. Non ligat igitur vniuersos. Hoc falsum. Quãdo Lex particularis generali ratione,& quæ sit omnium communis,innititur: idémque iubet,aut prohibet,quod Lex generalis,omnes tunc obligat. Et noua quædam promulgatio Legis generalis potius esse videtur, quàm Lex aliqua noua. Nec etiam Legis locus, aut verba tam cõsiderantur in Lege, quàm Legis ratio. quæ ipsa dicitur esse Lex. Præterea, Quum Legi municipali, siue (vt vulgò dicunt) Locali consensus Principis, aut Publicus accedit,illa iam Publica Lex efficitur. Eiusmodi sunt nostri Canones Gangrenses. Qui nihil sanciunt,quod Apostolicis Canonibus ac Literis nõ contineatur. Insuper, Ab vniuersali recepti sunt Ecclesia: per Pontifices etiam comprobati sunt:ergo generales,& vniuersales, átque publici sunt. Quod etiam dictum volo de Carthaginensibus, Sardicensibus, Aurelianensibus, Arelatensibus, Et abiis omnibus Eparchicis, Topicis, aut Metricis Ecclesiarum conuentibus.—Iam post hanc satis longam præfationem de Canonibus ipsis dicamus.

Can. Quoniã. & sequentib. Dist. 16.



☧

ΚΑΝΩΝ. Α.

Εἴ τις τὸν γάμον μέμφοιτο, καὶ τὴν καθεύδουσαν μετὰ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς, οὖσαν πιστὴν, καὶ εὐλαβῆ, βδελύσσοιτο, ἢ μέμφοιτο. ὡς ἂν μὴ δυναμένην εἰς βασιλείαν εἰσελθεῖν, ἀνάθεμα ἔστω.

Honorabile modis omnibus connubium, & Thorus immaculatus. ad Hebr. vlt. Hîc autem scierimus quòd πίστις, καὶ εὐλάβεια, *Fides átque Timor Dei, reddunt* ἀμίαντον κοίτην. *Id est, Purum & impollutum concubitum.*

Canon primus.

SI quis nuptias accuset: Nec non dormientem cum viro suo fidelem, piámque [*mulierem*] detestetur ac vituperet, quasi nequeat [*ob coniugium*] in regnum [*Dei*] introire. Anathema esto.

Quæ semiquadris inclusimus hîc, & aliubi, lineolis, In græco non habentur, vt videtis, sed sic visum fuit antiquis interpretibus per istiusmodi suppletiones explicare canonem. quos imitatus ego sum. Non tamen hîc οὖσαν εὐλαβῆ cum ipsis verti in Religio-

ſam:quanquam non ipſi malè. ſed mihi nunc magis placuit vocabulum Pij. quia vitare volui commentatorum diſputationẽ nõ admodum neceſſariam. Nunquid mulieres coniugatæ, quæ Sanctimonialium votis non ſunt adſtrictæ, dici tamen aptè poſsint Religioſæ? Quis dubitat, quin aptiſsimè? ſed non eo ſenſu, quo Monacha, vel ἀσκήτρια.

Bis Gratianus iſtam primam Gangrenſem legem, diſparibus vtrobique tranſlationibus vſus, in ſuam canonum rhapſodiam retulit. Hîc. & in ſubſequenti diſt. can. Si quis vituperat nuptias. Vbi ſcribit Archidiaconus Laurentium dixiſſe, ignorare ſe cur magiſter iterum proferat in medium, quod iam dictum fuerat, Niſi vt tædium generet. Ad canonem.

SEditioſus Monachus Euſtathius, cum ſuo ſynmonacho Aërio, Encratitarum ſectabatur hæreſim. de qua prolixè dicebamus in can. Apoſtolico. 51. Inter alios infandos errores, quibus eccleſiam turbabant, à Patribus in præſenti concilio notatos atque damnatos, vnus erat ab Apoſtolica doctrina, ſi quis vnquam fuit, alieniſsimus, puta, Nuptiarum contemptus & execratio. Dicebant enim Matrimonio conuenire nihil cum Dei & Euangelij regno. Propterea (ſicuti pòſt videbimus) Vxores nolebant ſuis viris cohabitare: ſed ad innouatores iſtos Apoſtatas, caſtæ, ſcilicet, ac religioſæ mulieres, transfugiebant. Vt nunc etiam Gnoſticorum perſuaſione faciunt. omnes œſtro ſimili percitæ: ſibi, videlicet, conditionem quærentes. Sæpe, nec vno loco, tractauimus hoc argumentum, quod eſt in dicto can. 51. de quo tamen adhuc pauca mihi proponenda videntur.

Gen. cap. 2. Matrimonium, quamuis vnà cum duorum primorum hominum creatione ſtatim quòque fuerit ab ipſomet creatore inſtitutum, Suis tamen calumniatoribus & hæreticis oppugnatoribus non caruit, Nèque dum caret: aliis aliter hoc tam ſanctum Maris, & Fœminæ conſortium, pro ſuo quíque ſenſu, prophanè tractantibus. Matt. 19. 35. q. 10. can. 1.

Vxoris & mariti coniunctionem quidam non pluris facere videbantur, quàm quorumuis animalium coitionem: quæ ſubinde, prout mouentur, altero derelicto, ad alterum ineunt. Sic illi coniugum repudia, Nuptiarúmque diuortia, vel nullâ, vel leui de cauſa fieri nõ improbabant, Nec adhuc improbant. Hos Apoſto- *Hæreſes multæ circa matrimonij ſacramentum.*

lorum canon quinquagesimus abundè refutat. Ibi causas confutationis exponebamus. Diuersi mihi non videntur alij, qui simul vni plures concedunt vxores. quum Deus inseparabiliter vni soli coniunxerit vnum solum. Vtráque spurcissimi Mahumetis opinio, nontantùm mutationem pro libito, sed Vxorum quóque multitudinem concedentis in nuptiis. Octodecim simul habuit, alienarum præterea quamplurimarum corruptor, & adulter impurissimus. Ego (dicebat asinus ille magnarum carnium, fœtidissimus Arabs) virorum quadraginta vires in meis lumbis habeo. Legas Alcoranum. didicerat hoc à Nicolaitis. Néque velim mihi Patriarchas hîc alleges cum suis vxoribus: illi námque suæ legi, suóque tempori seruierunt. Nostræ pariter legi, nostróque tempori seruiamus. vt admonet Hieronymus. Cuiusuis Christiani cœlibatus non est Abrahæ vel Iacob nuptiis anteferendus. Hæc prima de nuptiis Hæresis.

Mahumetis insana libido.

Can. Quis ignoret. & seq. 32. q. 4.

Altera fuit eorum, qui nuptias quidem recipiebant, sed vnas duntaxat, & primas: Secundas autem, repetitásque post coniugis mortem, damnabant, & crimen esse dicebant. Quæ fuit Hæresis Catharorum: veniens à Montano quodam, primæ post Apostolos in Phrygia successionis, cum Priscilla, & Maximilla suis insanis vatibus. Vnde κατὰ τῶν φρυγῶν nominatur. Quæ Tertullianum decepit, alioqui sanctitatis, & doctrinæ excellentis presbyterum: continentiæ, puritatis, & omnis abstinentiç amatorem maximum. quod indicant eius libelli — de pudicitia, de ieiuniis, de monogamia. Nicæni patres ab Hæresi conuersis hanc abiurari præcipiunt in octauo concilij canone. Non damno digamos (ait Hieronymus) imò nec trigamos, & si dici potest, octogamos. in apologetico pro libris contra Iouinianum. Nulla certè iura Digamiam condemnarunt vnquàm. Ciuilia tamen eandem puniunt: Et à Canonum commentatoribus disputatur, Nunquid & à canonibus hæc etiam puniatur. Obiter hîc dicam, non aberrans à via longè. Chrysostomus apud Gratianum vocat Digamiam, Honestam quamdam fornicationem. Conuicij nonnihil est in hoc verbo, sonaréque videtur in aliquam pœnam: si non in aliam, certè in malæ existimationis pœnam. Quare non ab omnibus pecuniariis mulctis excusare vellem Viduam nubentem. Videas Archiepiscopum Panhormitanum in d. cap. 5. Erraret tamen ille grauiter, qui propterea secũdò nubentem, vel secundam vxorem ducentem virum, peccare diceret.

Cataphryges exorti circa tẽpora Marci Antonini. Sub annos Do. 160.

Can. Aperiant. can. Hâc ratione. 31. q. 1. C. de sec. nupt. Auth. de nup. collat. 4.

Cap. 4. & 5. de sec. nup. in antiq. d. Can. Hâc ratione.

Digamia quidẽ nõ est peccatum, Pro foribus tamen peccati stabulatur.

Ex abysso locustatum vna nuper euolauit,eorum dux & antesignana,qui postea nihil diuini, nihil gratiæ credētes inesse Matrimonio,negarunt illud esse sacramentū.Nunc alienum foret hanc impietatem pluribus confutare. Mihi non videtur abesse procul ab ea,quę nuptias vituperat:quā pręsens canon anathemate damnat . Gratianum cum suis commentatoribus adeas. 27.q.1.& recentiores in tit.de sacra.non iteran. Non semel à nobis vsurpatâ vos magni cuiusdam Romæ ciuis (Scauri, ni fallor) ἰρωνικῶς rogabo. Mihi,quæso,bonâ fide respondete. Augustinus, cum tota Catholicorum schola,dicit matrimoniū esse Sacramentum: Ζυΐγγλιος aut Myconinus(homines heri nati.)Matrimonium dicit non esse Sacramentum. Vtri magis vos creditis,& addicitis? Vbicūque de moribus antiquis,de vetustis Ecclesiæ conciliis, de patrum priscorum legibus,aliquid,imò cunctā,Gnostici negant,omnia cōfundunt & innouāt,haud aliter interrogatos volo vos:quos non dubito,Variis istis explosis,Scaurum sine mora sequuturos.

Hæc breuiter attingere visum. De duabus aliis hîc paulò fusius agemus , è diametro inuicem sibi contrariis hæresibus circa matrimonium.vtráque certè peruersissimâ. Quarū prior,ad nuptias compellebat omnes. Posterior,à nuptiis prohibebat omnes.à Iudæis vtráque descendens.iam de priore.

Sterilitatem Iudæi ponebant in horrenda, summéque fugiēda maledictione. Dixerat enim Deus — Non erit infœcunda, Nec sterilis in terra tua.Exod.cap.23.Rursus in Deutero. cap.7. Non erit apud te sterilis vtriúsque sexus.Hinc isti colligebant , próque lege statuebant — Maledicta sterilis , quæ non reliquerit semen super terram. Contrà, Beatus , cuius erit semen in Sion . & Domestici in Hierusalem . sic Hieronymus libro contra Iouinia. primo.Propterea,partubus & parturitionibus (ait ille Sanctus)operam toto nisu Iudæi nauabant, & filiorum generationi. quia Iudaicæ legis opus erant nuptiæ. De Hieronymo sumpsimus hoc in citata iam superius Apologia pro libris suis aduersus Iouinianum.

Can.2. §.His ita respōdetur. 32.q.4.

Sterilitas olim probrosa fuit , & lege damnata.

To.2.

Iudæorum legem Plato voluit in sua repub.seruari,statuens in ἀγάμους ἀγαμίου ζημίας.Id est,In cœlibes cœlibatus pœnas. Annis enim triginta quinque transactis,in sua ciuitate si qui coniuges nō haberent,nec habere vellent,hos pecuniis & honoribus mulctari constituit. Sub finem Dialogi sexti de legib. Vnde lex in xii.

Rom.

Rom. Tab. descripta videtur, sic habens — Censores in ciuitate Cœlibes esse prohibento. quò spectat illa Metelli cēsoris oratio, de ducendis vxoribus. apud Gellium. cap. 6. libri primi. Tam parum grata Lex in omnem solutæ ciuitati licentiam fuit, vt sæpe repetenda fuerit: à suo demum promulgatore quodam cognominata, Lex Papia. cuius frequens in Iure mentio. Quam de integro, nec iterum sine populi tumultu, sanxit Octauius Augustus apud Suetonium cap. 34. quo agitur, de legibus ab Augusto, quibusdam retractatis, & aliis quibusdam sancitis. Hôc nouo Lex illa inscribebatur titulo. De maritandis ordinibus. Id est, Vt singuli ciues Romani, quotęcúmque clasis essent (non soli apud Gelliū dicti Proletarij) cuiuscúmque forent ordinis, Equestris, Plebeij, Senatorij, cogerentur se maritare.

Prisci Romani nolebāt ad coniugia cogi.

Cicero 3. de legib.

Can. Quædā etiam leges. Dist. 2.

L. pen. de nuptiis.

L. vlt. de infir. pœ. cœlib. C.

Cap. 10. lib. 16.

A nonnullis pungitur Isidorus, qui dixerit in eo citato canone. Quædam etiam Leges. quòd, Consules Papius & Pompeius tulerunt Legem, quæ nominibus eorum vocatur Papia & Pompeia. continens patrum præmia pro suscipiendis liberis. Non Cōsules (aiunt) sed Augustus ipse Legem tulit. Si non fallor, melius ipsi dicerent, dudum latam legem de integro sanxit, additis præmiis, & pœnis lenitis. apud Suetonium. Nam si primus Legem, de maritandis ordinibus, tulit Augustus, hæc debuit à suo Latore nominari. Præterea, Papius nullus in historia latina legitur Augusti regno Censor, aut Consul fuisse. Græco de Latinis aliud scribenti non admodum fido. Nec mihi verisimile fit, Hominem Græcum Latinorum Consulum nomina melius nosse, quàm veteres ipsi Latini norint. Papium quempiam longè præcessisse Augustum credo. Vnde Papiæ Legis antiquum nomen. Idem Suetonius in Claudio Cæsare bis Papiæ Pompeiæ legis meminit: Et Claudium refert eius Legis vacationem pro conditione cuiúsque ciuis constituisse: Capitíque Legis Papiæ Pompeiæ, de Sexagenariorum coniugio vetito, abrogasse. cap. 19. & 23. Vespasiani vitam describens idèm Suetonius, Nominat Q. Sulpitium Camerinum, & C. Pompeium Sabinum Consules, quinquennio antequam moreretur Augustus. Eosdem Plinius. eodemque tempore (sicut existimo) profert in cap. 48. lib. 7. ætatem cuiusdam mimæ referens, quæ ludis pro salute Augusti votiuis in scenam producta fuit, annum centesimum quartum agens. Codicum veterum correctores, Non C Pompeium, sed C. Poppæum Sabinum, legunt. Indéque vocant Legem Poppæam, non Pompeiā. Philippus Beroaldus enarrans illū Suetonij locū in Claudio

Lex Papia Pompeia.

K.

Rom. Tab. descripta videtur, sic habens — Censores in ciuitate Cœlibes esse prohibento. quò spectat illa Metelli cẽsoris oratio, de ducendis vxoribus. apud Gellium. cap. 6. libri primi. Tam parum grata Lex in omnem solutæ ciuitati licentiam fuit, vt sæpe repetenda fuerit: à suo demum promulgatore quodam cognominata, Lex Papia. cuius frequens in Iure mentio. Quam de integro, nec iterum sine populi tumultu, sanxit Octauius Augustus apud Suetonium cap. 34. quo agitur, de legibus ab Augusto, quibusdam retractatis, & aliis quibusdam sancitis. Hôc nouo Lex illa inscribebatur titulo. De maritandis ordinibus. Id est, Vt singuli ciues Romani, quorçcúmque classis essent (non soli apud Gelliũ dicti Proletarij) cuiuscúmque forent ordinis, Equestris, Plebeij, Senatorij, cogerentur se maritare.

Prisci Romani nolebãt ad coniugia cogi.

Cicero 3. de legib. Can. Quædã etiam leges. Dist. 2. L. pen. de nuptiis. L. vlt. de infir. pœ. cœlib. C. Cap. 10. lib. 16.

A nonnullis pungitur Isidorus, qui dixerit in eo citato canone. Quædam etiam Leges. quòd, Consules Papius & Pompeius tulerunt Legem, quæ nominibus eorum vocatur Papia & Pompeia. continens patrum præmia pro suscipiendis liberis. Non Cõsules (aiunt) sed Augustus ipse Legem tulit. Si non fallor, melius ipsi dicerent, dudum latam legem de integro sanxit, additis præmiis, & pœnis lenitis. apud Suetonium. Nam si primus Legem, de maritandis ordinibus, tulit Augustus, hæc debuit à suo Latore nominari. Prætera, Papius nullus in historia latina legitur Augusti regno Censor, aut Consul fuisse. Græco de Latinis aliud scribenti non admodum fido. Nec mihi verisimile fit, Hominem Græcum Latinorum Consulum nomina melius nosse, quàm veteres ipsi Latini norint. Papium quempiam longè præcessisse Augustum credo. Vnde Papiæ Legis antiquum nomen. Idem Suetonius in Claudio Cæsare bis Papiæ Pompeiæ legis meminit: Et Claudium refert eius Legis vacationem pro conditione cuiúsque ciuis constituisse: Capitíque Legis Papiæ Pompeiæ, de Sexagenariorum coniugio vetito, abrogasse. cap. 19. & 23. Vespasiani vitam describens idem Suetonius, Nominat Q. Sulpitium Camerinum, & C. Pompeium Sabinum Consules, quinquennio antequam moreretur Augustus. Eosdem Plinius. eodemque tempore (sicut existimo) profert in cap. 48. lib. 7. ætatem cuiusdam mimæ referens, quæ ludis pro salute Augusti votiuis in scenam producta fuit, annum centesimum quartum agens. Codicum veterum correctores, Non C Pompeium, sed C. Poppæum Sabinum, legunt. Indéque vocant Legem Poppæam, non Pompeiã. Philippus Beroaldus enarrans illũ Suetonij locũ in Claudio

Lex Papia Pompeia.

ſcripſit ab vno quodam ſeu cenſore ſeu conſule, (non enim declarat) cui nomen erat, Papus Pompeius, Legem perlatam, quæ dicitur, Lex Papia Pompeia. Si quis ſcommata legerit annotatorum, diſpunctorúmque multorum in antiquos doctores, intelliget, cur huc excurrerim: ac ſæpius excurrere cogar. Certè ne veritas quidem mihi placere poteſt, ſi cum iactantia, cauillis, & aliorum contemptu dicatur. Ad legem redeo.

Tam pœnis, quàm præmiis Auguſtus omnes ad capeſſenda Matrimonia tum vocauit. Vnum fuit inter alia præmium, quod nouis ille coniugibus largiebatur, A publicis omnibus muniis per triennium vacatio. *Coniugum priuilegia.* Moſes annum duntaxat vnum tribuerat nouo marito: quô ſine aliqua publica neceſsitate vacaret domui ſuæ, ac lætaretur cum vxore ſua. Deutero. cap. 24. Præterea, ius liberorum, Principes Romani viris atque fœminis concedebant: quod pro maiore filiorum numero maius erat, & ad maiores immunitates extendebatur. Hinc ſæpe legimus Ius trium, Ius quattuor, Ius quinque liberorum. Præ rebus omnibus curabant illi, Ciuitatem liberis implere. quod & neceſſarium iudicabant. Ideo cœlibibus, orbis, átque ſterilibus mulctæ plures indicebantur. Vnam modò referam, quam ponit Euſebius paulò poſt principium quarti ſui libri de vita Conſtantini. ſic habentem — τὰς ἄπαιδας παλαιοὶ νόμοι στερήσει τῆς τῶν γονίμων διαδοχῆς ἐτιμωροῦντο. Id eſt, Veteres leges priuant orbos liberis, eorum ſucceſsione, qui liberos gignunt. de lege Papia loquitur. Æquitate certè maximâ Conſtantinus imperator iniquiſsimam legem correxit & abrogauit, vſus hac ratione ſequenti. Per infirmitatem naturæ priuatos ſuo magno liberorum gignendorũ deſiderio, miſerari magis, quàm mulctari cõuenit. At rei melioris amatorẽ, non quidem punire, ſed admirari maximè dignũ eſt. Ergo pœna ſterilitati, cœlibatui, vel orbitati non debet irrogari. κρείττονος ἐραστὴν vocat illum, qui ſe Dei ſacerdotio conſecrauit, Et pudicitiam ſeu virginitatem profeſſus, caſtæ vitæ ſe dedicauit. Is profectò rei maioris átque potioris cupidus amator veriſsimè dicitur. Honorandus igitur præmio: néque pœnam meruit, qui nihil deliquit. *Cœlibatus propter agni comitatũ melior eſt connubio.*

L. 2. ff. de mino. De his, qui nume. lib. ſe excus. lib x. C. Inſtit. de excuſa. Tuto. vel cura. in prin.

In iſtius iniquæ legis abolitione tres Conſtantini Magni filij, Conſtantinus, Conſtantius, & Conſtans, patrem ſunt imitati: Legémque tulerunt omnino contrariam, anno Domini 340. ſtatim ſcilicet, à primo paternæ mortis anno, quam libro Iuſtinianei codicis octauo. d. Tit. 58. reperies. De infirmandis pœnis

cœli-

Cœlibatus, & Orbitatis.

Cœlibes. Hîc aliò currens obiter admonebo, Cœlibes à nobis vocari, qui coniugem nec habent, nec habere volunt: Viduæ, Virgines, & omnes, qui castè viuere proponunt. Ideo Cœlibes appellati, quòd cœlo sint digni, quia coitu careant. Ita scriptum reliquit Hieronymus in fine libri secundi contra Iouinianum. quod Accursius in dicto quóque tit. sentit. Hoc etymum Pompeius Festus De antiquis vocabulis etiam tradit. Vt sint Cœlibes dicti quasi Cœlites. Et sunt Cœlites, qui sibi faciunt iter ad cœlum. Vt ait Augustinus. Ergo, Qui meretricatur, Scortatur, adulteratur, Cœlebs propriè non habetur. De Grammatica tractans Augustinus ait, Cælebs dicitur, qui non habet vxorem, vel quæ non habet maritum: qualia sunt numina in cœlo, quæ ábsque coniuge sunt: si Agapetas nō attendamus. Hæc August. ἀγαπηταὶ Id est, Dilectæ. nomen hoc nonnullis visum fuit honestius, quàm vel Amicarum, vel Concubinarum. sic occultas suas voluptates obtegere se credentibus. Auditor Christiane, Scito, quod, in suis Ecclesia non approbat nescio quem dissolutum cœlibatum, sine continentiæ voto. dum quis (vt vulgi circumfertur ioco) néque Presbyter, néque Maritus, ac néque Mortuus est. Aut nubant, aut voueant. To. 1. can. Lectores. 32. Dist.

Ecclesia néque suadet, néque dissuadet coniugia. In hanc Hæresim, quæ, cælibatu reprobato, connubia sine discrimine cunctis imperabat, Apostolus de cœlibatu quæstionem mouentibus Corinthiis rescribit — Agamis, & viduis dico, Bonum eis esse, si sic maneant: Quòd si se non continent, matrimonium contrahant: Igitur, Nemo compellatur ad matrimonium. sed etiam, Nemo contemnat Matrimonium. quod præsens canon vetat, alteram circa nuptias Hæresim condemnans, quæ sequitur. — 28. q. 1. can. hic enim. & aliis seq.

Omnem virorum cum fœminis congressum quidam non secus detestabantur, quàm si cum dæmonibus pessimis, animi tranquillitatis, & omnis honestatis hostibus infensissimis, coïretur. *Quidā omnino prohibebāt matrimoniū.* Eáque μισογυνίᾳ laborabant, vt hominis partem quidem mediam, supra vmbilicum, esse Dei: sed alteram dimidiam, sub vmbilico, quâ fœminis iunguntur mares, esse Diaboli formationem dicere non erubescerent. A Satana verò mulierem totam formatam fuisse mentirentur. Et sic erant à nuptiis auersi μισογυναῖ, vt illos dicerent opus Diaboli explere, qui matrimoniū contraherent: quod

nihil à ſcortatione differre putabant, & inter ea peccata reponebant, quibus homo ſordidiſſimè coinquinatur. Ideo (quod futurum prædixerat Paulus) in hypocriſi mendacium loquentes, Matrimonia prohibebant. De quibus in can. 6. & in can. 51. Apoſt. prolixiſſimè nos tractabamus. Seueriani, Tatiani, Archontici, Manichæi, ſed & alij plures Hæretici hoc affirmarunt apud Epiphanium, Philaſtrum, & Auguſtinum: qui pariter, nuptiis improbandis, hunc habuerunt Euſtathium ſectatorem: quem Synodus anathematizat.

Ab Hæreticis Iudæorum, Nazaræis & Eſſenis, venit hæc Hæreſis ad Hæreticos Chriſtianorum, Cerdoniſtas, Marcioniſtas, & ſubſequentes alios modò nominatos. Qui (ſicuti nunc fit à Gnoſticis) Hæreſiarcharum ſuorum nomine derelicto, ſe poſtea cognominarunt ἐγκρατίτας. Id eſt, Continentes, ac Temperantes. qui, non tantùm mulieris corpus tangere, ſed cuiuſuis animalis carnem, velut inquinantem, execrabantur. vt in can. ſeq.

Ecce tibi, Auditor Chriſtiane. Beemoth, cuius fortitudo in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Iob. 40. Noluit hoc ſuum virus in æui noſtri Gnoſticos effundere. Paſsim nempe γαμοῦσιν, καὶ γαμίσκονται. Nonnullos audio ſine vxore viuere, ſed non abſque muliere. Nam ſui neſcio cuius euangelij noui Sororculas, patriæ, parentũ, virorum ſuorum, præcipuè monaſteriorum, transfugas & deſertrices (vt inhoneſtius nihil hîc ſuſpicari libeat, ſaltem verum Plauti verbo dicere liceat) Lectiſterniatrices habent. Alia, quæ fiunt ab ipſis in occulto, cogitate. Matrimoniorum quidem voluptates non fugiunt, ſed Matrimoniorum moleſtias, & onera ſubire nolunt. Sic ſummus aſſertor voluptatis Epicurus coniugia vitanda docebat, ob innumera coniugiorum faſtidia. Sic Hieronymus & Auguſtinus de Iouiniano Monacho tradunt. quod ſupra iam poſuimus. Hîc adſcribam, néque non conuenientiſsimè, quod Hieronymus idem de talibus, ad finem capitis. 7. Oſeæ prophetæ ſcriptum reliquit. Hæreticus (ait) rarò caſtitatem diligit: Et quicúmque amare pudicitiam ſe ſimulant, vt Manichæus, & Marcion, & Arius, & Tatianus: & inſtauratores veteris hæreſeos, venenato ore mella promittunt: Cæterùm iuxta Apoſtolum, Quæ ſecretè agunt, turpe eſt dicere. Sic Hieronymus. & in cap. 9. Difficile eſt Hæreticum inuenire, qui diligat caſtitatem: Non quòd eam

Circa finem can. Si enim. & in can. principium de pœnit. diſt. 2.

In can. Acutius. 26. diſt. To. 6.

Hæretici rarò caſti.

Epheſ. cap. 15.

præferre desistat in labiis: sed quòd non seruet in conscientia. Aliud loquens, & aliud faciens. Hæc Hierony.

Illam Papiam legem, quæ cœlibatū puniebat, Euangelio Christi quamuis contrariam, tamen in procellosa Euangelicorum turbinum Patria quidam renouarunt, Edicto proposito, De nuptiis cōtrahendis. Alij verò putarunt, Vxoris ducendæ, vel non ducendę libertatem cuíque relinquendam esse, velut in Repub. necessariam. Sed hanc esse tantam Libertatem (seu magis effrenem quandam libidinum Licentiam) volunt, vt nec ordo, néque votum, néque iam promissa fides, debeat obstare. Sed hæc omnia matrimonium contrahere volentibus impunè liceat irrita facere.

Licentia matrimoniorum per Gnosticos.

Post Ecclesiæ Gallicæ contaminatorem primum Vigilantium tabernarium, Romanæque Iouinianum monachum, Sic Gnostici nunc Euangelizant. Atqui, legimus in Euangelio Pauli, Dissolutos & luxuriosos istos habere damnationē, quia primam fidem irritam fecerunt. Anathema Propolis istis & Mangonibus Hęresum, quæ situ iampridem, mucoréque putidæ mucebant. Has teterrimas pestes in Christianam sanitatem iam nimium grassantes auertat, & sanet ille cœlestis medicus, Dominus noster Iesus Christus: Atque donet ambulare sic vnumquémque, prout ipsum Dominus vocauit. Cui potestas, & gloria sit nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

27. q. 1. Can.

KANON .β.

Εἴ τις ἐσθίοντα κρέα (χωρὶς αἵματος, καὶ εἰδωλοθύτου, καὶ πνικτοῦ) μετὰ εὐλαβείας, καὶ πίστεως, κατακρίνοι, ὡς ἂν διὰ τὸ μεταλαμβάνειν, ἐλπίδα μὴ ἔχοντα, ἀνάθεμα ἔστω.

Pistis (in verbo, scilicet, Euangelij fides) & Eulabia (scilicet, offendendi proximi cautio) reddunt irreprehensibilem esum carnium.

CANON .2.

SI quis cum pietate & in fide manducantem carnes (ábsque sanguine, non Ido-

lothyta, néque Suffocatas) condemnat, vti ſpem non habentem propter illam perceptionem. Anathema eſto.

Anathematiſmus Concilij ſecundus: duo continens, Apoſtolicis duobus cōfirmata Canonibus. quinquageſimo primo, quem proximè declarabamus. & ſexageſimo tertio. Quibus ex locis Patres in Gangris hanc ſuam, Super eſu carnium, fixere legem. tum quidem perquàm neceſſariam, propter incredibiles & ſuperſtitioſiſſimas illius temporis Hæreticorū abſtinentias. quas & inferius attingemus. can. 18. Nunc autem ſuperflua videri poteſt, Gnoſticis præſertim, nunquam non carnes eructantibus.

Noui iuris interpretationē licet ab antiquo et correcto iure ſumere: & hinc etiam licet argumenta ducere ad declarationē. L. vnicā. C. de Iuſti. codi. cōfir. §. Hūc igitur. in pri. L. 1. C. de Lati. liber. tollen. Inſtit. de Exhæred. liber. §. Sed hæc quidem. vetuſtas.

Nulli iam (ſicuti puto) rei cuiuſpiam naturā credunt eſſe malam, impuram, immundam, quæ tangentes & vtentes inquinet: Iſtorum tamen antiquorum, antiquatorúmque Canonum cognitio multùm confert, vt intelligamus, cur Apoſtolus Coloſſenſes
ad Coloſſ. 2. arguat in quarundam rerum diſcretione, dicentes - Néque tetigeritis, Néque guſtaueritis, Néque contrectaueritis. Cur itē ſuum
1. Tim. 4 Timotheum præmoneat, Aliquādo venturos quoſdam, ſpiritibus erroneis deceptos, qui nomine Chriſtianorum tecti Diabolicum propoſitū operatentur, & prohiberent abſtinere cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarū actione, à fidelibus. quos & aduenıſſe vidit.

Epiphanius Hæreſin Iudaiſmi quintā deſcribens in Tomo primo libri primi ſui Panarij, Nazaræos commemorat, ex ipſo vero Iſraële deſcendentes. Omnia ſiquidem Iudæorum ſeruabant (erant enim Iudæi) præterquàm quòd à mactandis & immolandis animalibus abhorrebant, παρ' ἀυτοῖς ἀθέμιτον ἦν, τὸ κρεῶν μεταλαμβάνειν, ἢ θυσιάζειν ἀυτοὺς. Apud ipſos nefas erat, & illegitimū, Carnes vel ſumere, vel ipſas Deo ſacrificare. Moſen negabant à Deo talem ſacrificiorum legem accepiſſe. Commenta dicebant eſſe Leuitarū, & Sacerdotum, quò pinguius alerentur. Capillum præterea demittebant, A vino ſe cōtinebant, & mulieribus, & deliciis omnibus. Olera ſolùm manducantes, & herbas, ἔμψυχα. id eſt, animata omnia reſpuebant. Quæ profectò multam præ ſe religionis & humilitatis ſpeciem ferebant: quum non in aliquo ſui corporis honore (id eſt, ſubſidio, & alimento) viuerent ad ſaturitatem carnis,

Nazaræi. vt ait Paulus. Ideo se perpetuo cognomine vocarunt Nazaræos. quod ipsorũ linguâ sonat, Deo sanctos, aut Sanctificatos, ac Deo separatos. de quibus Numer. cap. 6. Ex his ad Christi Baptismum conuersi plerique, suos secum deferebant errores. & alios Christianos nõ ita viuentes, in cibo & potu iudicabant. Hos nõ vno in loco seuerissimè Paulus increpat, vt hypocritas & inobedientes.

Cherinthus et Ebion sub Ioanne pullularunt: quos ille vocat Antichristos. Hierony. In proæmio Matth. & in capit. Matth. 12.

Nazaræos è vestigio consequuti sunt Ebionitæ (nisi fortè, mutato nomine, iidem fuerint) circiter Annum Do. 90. qui (iam Petro, Paulóque sub Nerone coronatis) Euangelistæ Ioanni (Traiano regnante, adhuc superstiti) negocium multâ cum impietate facesserunt. prætexentes vbique paupertatis, & simplicitatis humilitatem, Pauperum nomen generale singulariter sibi arrogantes. Nam Syris (vt aiunt) & Hebræis Ebion nominatur pauper. Inter alia multæ, magnæque impietatis suæ documenta, καὶ κρεῶν, καὶ πάσης ἄλλης ἐδωδῆς τῆς ἀπὸ σαρκῶν πεποιημένης παντελῶς ἀπέχεσθαι, id est, Et carnibus, & omni alio ex carnibus confecto cibo prorsus abstinere docebant. átque Petrum sic instituisse, sic etiam vixisse prædicabant. Epiphanium legas. Paulum verò si quis istis obiecisset, quia non erat, quod respondere possent, etiam modò Gnosticis vsitatâ contra Patrum leges & concilia, se tuebantur defensione. Paulum repudiabant: Hominem conuiciis impudentissimè lacerabant: ascititium & proselytum vocabant: Legis inimicum, Legis transgressorem fuisse calumniabantur.

Serpentem semel Hæreseos cancrum nulla vnquam Lex, nulla scriptura coërcere potest. Experimento nostra satis hoc nouit ætas. Immundorũ legem sub illotarum manuum responsione procul dubio Christus abrogarat, quum respondisset — Non quod intrat in os, coinquinat Hominẽ. Rursus inquiens — In quamcúmque domum, In quamcúmque ciuitatẽ intraueritis, ipsi manducate, quæ apponentur vobis: edite & bibite, quæ apud illos reperietis. Hoc est, Nihil immundum, vel commune existimetis. Omnis enim creatura Dei bona est: Nihil commune est in Domino Iesu, Nisi ei, qui putat aliquid esse commune. Iudæi Commune vocant immundum. Significationis caussam videas apud Hieron. dicto cap. Matth. 15.

Matt. 15. Lucæ. 10

Mosaica lex igitur, de ciborũ differentiis, abolita fuit per Christum: quæ Suillas carnes, & Leporum, & Cuniculorum, & alias multas velut immundas carnes comedi vetabat. In Euangelio,

Leuit. 11 Deut. 14

Can.Proposuisti. Dist.82. munda sunt omnia mundis. Et tamen alij post supradictos Ebionitas emerserunt ex abysso putei plures, qui carnes pariter abominarentur, Encratitæ, Manichæi, Hieratici, Apotactici (qui se cognominabant Apostolicos) Hic Eustathius in Græcia, & annis postea centum Priscillianus in Hispania, quum Valentinianus.2. & Thedosius imperarent sub quibus, & capite fuit in Treuerensi conuentu damnatus, Anno Do.388. Rem pluribus digerebamus in dicto Can. Apost.51. Multò pòst exacto tempore, Diuus Bernardus æuo suo (scilicet, Anno Do.1140.) quosdam rusticanos, idiotas, & cōtemptibiles Homines extitisse dicit, authorem sectæ suæ nullū nominantes, qui nuptias prohiberent. & ab omni, quod ex coitu procreatur, ouis, lacte, carnibus abstinerent. Sermone super Cantica. 66.

Hæretici plerique omnes olim carnibus abstinebant.

Ab omnibus autem si quis absurdæ suæ postulasset opinionis rationem, reddebant absurdiorem. διὰ τὸ, ἐκ συνουσίας, καὶ μίξεως σωμάτων εἶναι αὐτά. propterea quod, Ex concubitu, & commixtione corporū sunt illa generata. Manichæi úsque adeo ineptæ rationi addunt aliam planè fabulosam carnium originem, de mulieribus prægnantibus deprehensis in subita cœli vertigine abortientibus. To.6. apud Augustinum cap.8. libri sexti contra Faustum Manichęum. Pythagoras (primus qui animalia mensis arguit imponi. si credimus Ouidio) Metam. lib. vlti. falsissimam quidem illam, magis tamen auditores cōmouentem reddebat abstinentiæ suæ caussam. dicebamus amplius in Apostolico citato Cano.51.

Tibi non dubito, Christiane auditor, inter audiendum venit in mentem, Carnes etiam strictissimè prohiberi Christianis: eo maximè tempore (dicam reliqua verbis Augustini) quod audeat nemo frustrari, vel negare: quum constet hoc inter omnes: & æquè per orbem terrarum quotannis omni cum studio celebretur in conuentu catholico. dico autem Quadragesimam: quam qui ritè obseruandam putauerit, omnibus his abstineat, necesse est, quæ Paulus ad percipiendum nobis à Deo creata dicit. Ieiunantes igitur qui carnes respuunt, ac si seductoribus Spiritibus, & dæmoniorū doctrinis attenderent, Hæreseos oportebit damnari. Sanctus ille doctor ista sibi (quæ néque modò Gnostici tacent) obiecta refert: quibus & respōdet integro trigesimo libro contra Faustum Manichæum. Christiani catholici (ait) edomamdi corporis caussâ, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam: non quòd illa esse mala vel immunda credant, non so-

Christiani ex Euangelio Christi volentes Bonis anteponere Meliora, Carnibus, et Nuptiis abstinet

solùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent: vel semper, sicut pauci: vel certis diebus átque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes: quanto magis quísque, vel minus, seu voluerit, seu potuerit. Hæretici verò creaturam Dei negant esse bonam: sed naturâ malam & immundam dicunt: ideo quòd carnes Diabolus operetur fœculentiore materiâ mali. Propterea, exhorrentes abijciunt, & ab escis huiusmodi temperant. Hæc Manichæis Augustinus. Quæ sibi Gnostici, delectum ciborum non admittentes, responsa quóque putent. Ecclesia, Gnostice, Néque nubere, néque carnes edere prohibet: Nam bona sunt hæc: sed hisce bonis anteponit meliora, Continentiam, & Abstinentiam. Carnibus interdum abstineo, ne, dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis vitia nutriant. Vino quóque, quia in vino luxuria inest. Itáque, Abstinentia mea, Satisfactio est pro peccatis, non Superstitio pro impietate. sic dicit in sermone supra citato Bernardus. Quo sensu venit intelligendum, quod ait Apostolus — Bonum est non manducare carnem, néque bibere vinum.

Recentiores à Valdone pauperes, Non vt Ebionitæ quōdā Xerophagi, sed Creophagi fuere.

Sæculis inde longissimis, post illos primos primi Christianismi pauperes miserrimos, miseriores alij prodierunt, anni quingenti nondum præterierunt, eodem se cognomine Latino iactantes, quo priores, Hebræo. Nam Pauperes etiam nominari voluerunt ab authore suo prius appellati Valdenses. Qui sententiâ omnino contrariâ supramodum conturbarunt Ecclesiam. Lege nullâ, vel religione interdici posse carnibus asseuerabant: átque ita, solutis ieiuniis omnibus, intemperantes κρεωφάγοι gulæ seruiebant. Authòr primus erroris in Ecclesia Romana, Iouinianus: Et eius assecla per Galliam Narbonensem caupo Vigilantius. Vtérque tum Patrum decretis, & publicis Conciliis à fidelium communione remotus. De quibus, & eorundem post annos plus mille sequacibus (quos modò nominabamus) Lugdunensibus pauperibus, seu Valdensibus, adhuc dicetur inferius Can. 18. Nunc, & olim multa doctorum, sanctorúmque virorum scripta leguntur in istos: quæ sanè possent errantes in viam retrahere, si simpliciter in obedientia & humilitate cordis ambulare vellent. In medium proferre plura mihi non videtur opus. Apostolus illum dicit in vitio esse non minore, qui cibos ómnes credit esse licitos, & aliorum conscientiam fratrum contemnens, per adiaphoram nescio quam præsumptam manducat: quàm qui putat aliquos esse immundæ naturæ, & manducantem coinquinantis.

Hæreticus & impius est vtérque. Hic autem, quòd Demiurgiam creatoris accusare videatur, qui non omnia bona fecerit. Ille verò, quòd cibo suo fratrem suum perdat, pro quo Christus mortuus est.

Parenthesis in Canone nostro cibos discernens modò paucis explicabitur, aliubi declarata satis. In Apostolica synodo prima, quæ Can. 63. Apost. reperitur, id ipsum statutum legitur, quod hîc iterum decernitur. Antiqui Patres Ecclesiæ quorumlibet eduliorum licentiam, tribus tantùm vetitis, concedunt. Edi sanguinem nolunt. Idolothyton vetant, id est, quod Idolis fuit immolatum, & positum, seu sacrificatum. Præterea, Pnicton, id est, quid in sanguine suo mortuum, siue suffocatum comedi prohibent. Quasi dicerent in reliquis id, quod est Deuteron. cap. 12. Si te carnium delectauerit esus, iuxta desiderium animæ tuæ occide & comede. duntaxat ábsque sanguinis esu. Non quòd illa patres immunda, vel manducantes inquinantia putarint: Ipse námque Paulus, vnus de quatuor illius sanctæ synodi Legatis, ea de re publicè Romanis, Corinthiis, Colossensibus, posteáque familiariter suis Tito, átque Timotheo rescripsit — Esca nos Deo non commendat. Omne, quod in Macello venditur, comedite. Nemo vos iudicet in cibo & potu. Nihil est reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Omnia munda mundis. Illa patres igitur impura non iudicabant. Sed Iudęorum, Gentiliúmque recenter ad Christum conuersorum mutuam procurabant amicitiam, societatémque firmare volebant inter eos, & in vna receptæ fidei communione sine discordia viuere satagebāt omnes. Horrori Iudæis erant illi prædicti cibi, propter Mosis legem, quæ singulis Sabbatis legebatur eis in suis Synagogis. Huius imbibitam diu seruitutem deserere tam citò nequibant, ob nondum bene gustatam nouam Euangelij libertatem. Nec etiam Gentiles à suo solito viuendi modo recedere statim, subitóque abstrahi poterant, qui nullam ciborum differentiam norant. Itáque Gentilibus, quos faciliores & obedientiores habebant, Apostoli prædictam posuere legem: Necessariam quidem illam pro ratione temporis: Ne (videlicet) Gentiles cibo suo perderent obstinatos è circumcisione fratres: attamen temporariam: Nam Mosaicâ paulatim exolescente, pariter exoleuit & Apostolica. quæ tamen annos penè quadringentos obseruata fuit in Ecclesia Christi. quod ex præsentis latione legis cognoscitur. Et Augustinus postea sic obseruari voluit, vt Publicolę suo rescripserit. Emori fame satius esse Chri-

Cur Apostoli præceperint abstinendū cibus quibusdā.

ad Ro. 14. 1. Corin. 8. & 10. ad Coloss. 2. 1. Tim 4 ad Tit. 1

Christiano, quàm quòd cibum sumat ex eo, quod esse certò scit Idolothytum. Et hanc esse virtutem Christianam dicit. In fine epist. 154. Nostri post alios quosdam mirabiliter hîc tropologizát, Sanguinem, Suffocata, & Idolothyta longè aliò transferentes. Ab ipsius legis antiquæ, quamuis antiquatæ, verbis recedere nolui. Can. Sicut 32. q. 4.

Sua etiã Christianis Euangelica Lex, onerosa dici potest.

Tantummodò vos hinc annotare monebo, quòd, Apostolica Ecclesia prima, Spiritu sancto dictitante, Ciborum delectum fecit. & à fidelibus tanquam necessarium, quamuis onerosum, tunc obseruari præcepit. Hanc ipsimet Apostoli legem vocauerunt Onus. Ergo, Ieiuniis obseruandis, & Escis aliquibus prohibendis, Ecclesia, dum res admonet, suos onerare siue grauare potuit, átque modò potest. Idem nempe caput est, & idem gubernator Ecclesiæ, quæ tum fuit in Hierusalem, Et eius, quæ postea toto fuit orbe diffusa, quæque nunc superest. Authoritas igitur, & potestas eadem.

Rhetoricentur quàm lautè belleque volent Gnostici de selectu ciborum, & interdicto esu carnium. Scio quòd, Regnum Dei nõ est esca néque potus. Scio quòd, inde peiores, aut meliores ipsi nõ euadimus. Hæc scio. Sed ab Apostolo doctus, Ego pariter scio quòd, Qui per inobedientiam cum fratrum scandalo vescitur carnibus, dum superbiâ sic, & intemperantiâ gulæ peccat in fratres, In Christum similiter peccat. Nam, Qui suo aliquo facto percutit infirmam fratrum conscientiam, peccat in Christum. Qui cibare suos diuinâ suâ bonitate cõtinuò dignetur adipe illâ frumenti, & illo Mannâ, quod nesciunt hi, qui nullo non die super vt de carnium sedere concupiscunt. Isque suâ nobis gratiâ donet, ollás cibis hominis, in quo panis est mendacij, non desideremus. Amen. Exod. 16 Deut. 8. Prou. 23

KANON .γ.

Εἴ τις δοῦλον, προφάσει θεοσεβείας, διδάσκοι καταφρονεῖν δεσπότου, καὶ ἀναχωρεῖν τῆς ὑπηρεσίας, καὶ μὴ μετ' εὐνοίας καὶ πάσης τιμῆς τῷ ἑαυτοῦ δεσπότῃ ἐξυπηρετεῖσθαι, ἀνάθεμα ἔστω.

Pietas, aut Religio, non subtrahit Seruum Domino suo.

CANON .3.

SI quis [*alienum*] Seruum, diuini cultus, aut aliquo religionis prætextu, doceat contemnere Dominum, & recedere à seruitio: Non autem [*doceat*] in bona voluntate, & omni honore seruire suo Domino. Anathema esto.

Baptismo, Christíque fide non tolli seruitutem: Christianósque fas esse, non Ethnicum tantummodo, sed etiam Christianũ possidere Seruum, declarabamus in Aposto. Can. 82. Veruntamen, nõ qualis est Equi tui possessio, talis est & Serui. Aliáque ratione Bouem possides, & aliâ possides Hominem. quod ibidem post Augustinũ explicare conabar, aliter quàm lex Romana doceat: à qua similiter de Seruitutis origine dissentiebam.

Equus possidetur, & Homo possidetur, quò seruiat vtérque. Sed vt seruiendi, sic etiã possidẽdi ratio diuersa.

Quod illô priscô Canone per Apostolos vetabatur, annis postea trecentis Patres in Gangris renouarũt. id est. A seruis piis & fidelibus obsequia præstari debere Dominis, quamuis impiis & infidelibus. multò magis, fidelibus. Euangelica námque fides à Domini sui potestate non eximit Seruum: nisi quatenus in Canonib. 15. & .16. dicemus inferius, de patria potestate loquentes, quę nullâ religione perditur: dummodo semper & vbíque, potius Creatori, quàm Creaturæ seruiatur.

Gnosticis & Hæreticis omnibus Hierarchia (cuius tamen primas ipsi non teneant) nunquam placuit. Ataxiâ gaudent, & omnium rerum confusione. Quod ætas nostra maximo suo malo nimis experitur. dum pars hominũ multò maxima naturaliter effrenis, & obedientiam perosa, nõ intelligit, quę sit Libertas Christiana. Spiritalis est, non Corporalis & mundana, Christiani libertas.

Liber animus in seruili corpore.

Eustathianistæ, nullis antiquorum legibus, ritibus, aut moribus contenti (sicuti modò Gnostici) coniugia, domos, familias, sacra, prophana turbabant. Vt satis hisce Canonibus apparet. Inter alia verò, Seruos corrumpebant. Nam, corrumpitur animus serui, quũ persuadetur ei, vt Dominũ contemnat. quod Romana lex habet. Quũ néque naturâ, néque dispositione diuinâ, sed (sicut aiebant) humanâ solâ, vel infirmitate, vel violentiâ sit introducta, Seruitus esse

L. 15. ff. de seruo corrup.

esse nulla debet inter Christianos: qui filij sunt eiusdem cœlestis patris omnes, ergo sunt omnes fratres. At, frater seruus fratris esse non debet. Hâc persuasione facilè adducti serui, sub religionis obtentu, deserebant Dominos suos, & ad Eustathianistas, excusso seruitutis iugo, fugitiui migrabant. οἴκων γὰρ ἀνατροπὴν τὸ τοιοῦτο ἐργάζεται. prout est in Aposto. citato. cano. Hoc facit domorum, familiarúmque destructionem. Quid enim si domini sui dispensator, vel actor erat ille fugitiuus, & ideo, nouæ religionis captator? Præterea, cur inuito domino sua res aufertur? A Christo per Apostolos suos mandatum non semel extitit, vt serui subditi sint, & in omnibus obediant dominis suis κατὰ σάρκα. Id est, secundum carnem, siue iuxta corpus, temporalibus dominis. ad Ephes. vlt. ad Coloss. 3. ad Titum. 2. &c. 1. Petri. 2. Non obedit ille, néque seruit, qui dominum suum derelinquens aliò fugit. ὃν χρὴ ὂν, προφάσει εὐλαβείας, ἄιρειν δούλους ἀπὸ τῶν δεσποτῶν. Inquit Oecumenius explicans illud ad Titum, cap. 2. Non oportet igitur, prætextu pietatis, eruere seruos dominis. Paulus caussam reddit. 1. ad Timoth. cap. 6. Ne nomen domini, & doctrina blasphemetur. quasi Christus & religio sint causa contumaciæ seruorum, vel inferiorum contra superiores. Quapropter Anathema iis, quorum persuasione Subditi rebellant in dominos, ad impietatem non cogentes.

Fides in Christum non eximit Serui corpus à Seruitute dominorum.

Can. Ad mensam. 11. q. 3.

Atqui, Dominus & Seruus vno de patre Christo geniti sunt fratres. Hoc verissimum. Sed ideo Christus non abstulit Seruitutem, Nisi peccati. quæ turpissima & damnatissima seruitus est. De qua Ioan. 8. Qui facit peccatum, Seruus est peccati. De qua similiter Philosophorum (quod vulgo tritum est) accipio verbum, πάντες οἱ μωροὶ, δοῦλοι. Sanè μωρὸς est, id est, insanus, Stupidus, néque memoriæ, neque mentis alicuius, qui se vitiis, pessimis dominis, addixit. Qui cupit, aut metuit, Liber mihi non erit vnquam. Gratia Christo, qui nos (modò velimus) hâc seruitute liberauit. Sed audiamus Paulum de politica & exteriore seruitute dicentem — Serui, qui fideles habent dominos, non contemnant eos, quia fratres sunt: sed magis seruiant eis, quia fideles sunt. d. cap. 6. ad Timoth. Quod attinet ad interiorem illum hominem Paulinum, Omnes quidem vnum sumus in Christo Iesu: apud quem, Néque seruus est, néque liber quisquam. Galat. 3. In exteriore autem homine diuersitas est honorum: Nec par est omnium conditio. Quam politiam seruare debemus, & Ma-

Can. Sequuti sunt. 2. q. 7.

Politica seruitus esse debet inter Christianos.

Cap. 1. de coniug. seruo.

ioribus obedite minores: Non solo pœnæ timore, sed propter conscientiam. Ro. 13. Id est, quia Deus (à quo sunt Reges & Domini) sic præcepit: cui parendum esse conscientia dictat.

Quid si δύσκολοι Domini fuerint? Asperi, duri, crudeles, moribus prauis ac difficilibus. Respondet hoc interrogantibus Petrus. Serui, subditi estote Dominis in omni timore, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. quia sic est Dei voluntas. & gratia. Quod referas tamen ad eiusdem gnomen sic nos admonentis, Oportet obedire Deo magis, quàm Hominibus. Acto. cap. 5. Serui dominis obtemperent, dummodò pugnantia Deo non impetent.

Can. Si dominus. 11. q. 3. Can. Iuratos. 15. q. 6.

Iuuat hîc referre vobis constitutiones aliquas de seruis aut mancipiis Christianis: ad huius enim canonis elucidationem conferre mihi videntur.

Constantinus Magnus (dum consul octauùm esset, eiúsque natu maximus filius Constantinus, sextùm consul. id est, Anno Do. 330.) statuit. Ne quoquo modo Iudæus haberet Christianum seruum. Voluit autem Iudæum, legi contrauenientem, capitis sententiâ plecti: Seruúmque libertate donari. Lex vnica refertur in primo Codicis Iustinianei libro, sub hoc titulo (qui decimus tertius est) Ne Christianum mancipium Hæreticus, vel Iudæus, vel Paganus habeat, vel possideat, vel circuncidat. In adscriptis ibi consulibus inesse mendum suspicor: quia tales in fastis Consulum non leguntur. sed quos annotaui. Quam quidem Constantini legem paulò diuersius recitat Eusebius in quarto de vita Cōstantini libro, sic habentem— ἀλλὰ καὶ Ἰουδαίοις μηδένα χριστιανὸν ἐνομοθέτει δουλεύειν, μὴ γὰρ θεμιτὸν εἶναι προφητοφόνταις, καὶ κυριοκτόνοις, τοὺς ὑπὸ τοῦ σωτῆρος λελυτρωμένους ζυγῷ δουλείας ὑπάγεσθαι. εἰ δ' εὑρεθείη τις τοιοῦτος, τὸν μὲν, ἀνεῖσθαι ἐλεύθερον, τὸν δὲ, ζημίᾳ χρημάτων κολάζεσθαι. Id est, Sed & lege sanciuit, Nullum Christianum seruire Iudæis. Nec enim fas esse, Prophetarum occisoribus, & Domini trucidatoribus, ab ipso Saluatore redemptos, Seruitutis iugo subigi. Quòd si quispiam talis inueniatur, Hunc quidem Liberum dimitti. Iudæum verò pecuniâ mulctari. Eusebius (vt videris) nihil de circuncisione dixit, Nέq; de circuncidentis pœna. Legis tamen causam reddidit, quæ non est in Codice.

Christianus rex debet à non Christianorum seruitute Christianos eximere. Væ prodentibus.

Hermius Sozomenus in Historiæ suæ libro tertio cap. 17. scribit

bit à tribus Constantini filiis, imperij sui principio, religiosum parentem studiosius adhuc emulantibus, Legem positam fuisse, quæ mihi non videtur illi primæ dissimilis esse: Nisi quòd non de solis Christianis mancipiis loquitur: sed vult generaliter, quòd, Seruum nullum, nisi Iudæum, Iudæus habeat. In qua lege dicitur.—Ἰουδαίων δὲ ἐνομοθέτησαν μηδένα δοῦλον ὠνεῖσθαι τῶν ἐξ ἑτέρας αἱρέσεως. εἰ δὲ παρὰ τοῦτο ποιήσοι, δημόσιον οἰκέτην εἶναι· εἰ δὲ καὶ περιτέμοι κατὰ Ἰουδαίων θέμις, ὡς κεφαλὴν εἶναι τὸν κίνδυνον, καὶ ἀφαίρεσιν τῶν ὄντων. Id est, Constituerunt, Nullum Iudæorum emere posse Seruum alterius sectæ. Et si quis præter hanc constitutionem fecerit, publicum illum Seruum esse. Sin &, secundum Iudæorum legem, circuncidetit, in suum caput & ablationem substantiarum suarum, Hoc esse periculum. Sed ne quis existimet in primo legis capite filios mitiores fuisse, quàm Pater, quia pœnæ capitalis non meminere, Sciamus quòd lege Romanâ, Non minus capitale est, Seruum fieri, quàm morte damnari. Quæ verò sunt in libro. xvi. Codicis Theodosiani leges, eodem sub titulo (qui tertius est) Ne Christianum mancipium Iudæus habeat. mihi quidem non satis cohærent Nam prior variat in pœna: Posterior consules falsos habet. Hôc vnô conuenit, quòd Iudæus sectæ suæ cœno quemuis alium contaminans, Capitali pœnâ, proscriptione comitante, plectitur. In princi. l. 2. ff. de pœnis

Hi principes non auertebant Seruos à Dominis: Sed per istas leges suas, corrumpi vetabant Seruos à Dominis. Et vndiquaque religiosi reges Christianam religionem crescere volentes (prout est in Sozomeno) prouidebant, Vt qui non essent ex Iudæis orti, non surriperentur in Iudaïsmum, sed Ecclesiæ seruarentur ad Christianismum.

Quę ratio mouebat etiam diuum Gregoriū, quum vetabat. Ne Iudæi sibi quóquo modo Seruos compararent Christianos: quorum commercio fuerat ipsis interdictum, Quum rescribebat, Vt Iudæorum serui (quales quales essent, Iudæi, Pagani, Christiani) ad Ecclesiam confugientes, & baptizari, seu liberari supplicantes, ab Episcopis in libertatem modis omnibus vendicarentur: nec repetenti Iudæo redderentur, Nec ipsi præcium solueretur eius serui, quo fuisset plus, quàm per tres menses, vsus. si pagamus esset ille seruus: sin Christianus, per dies quinquaginta. sic habes in cap. 76. epistolarum libri. 2. Et in epist. 9. lib. 3. In epist. 31. Lib. 5. In epist. 35. lib. 7. Quod minimè fieret, Si dominus esset Can. Mancipia. Can. Fraternitatem. Can. Si quilibet. 54. dist.

Christianus,aut etiam si Paganus esset, habens Iudæum,vel Paganum,vel etiam Christianum seruum. qui domino dissentienti non est auferendus,ac repetenti venit restituendus,citra creatoris contumeliam, salutísque periclitationem. Sic intelligendum sentio canonem nostrum.In concilio Matisconensi priore, circiter annos Do.560.vel.570.per Gallias facta potestas fuit omnibus Christianis,In seruitium sibi,vel in libertatem (prout vellent) à Iudæo redimendi mancipium, quantumuis præciosum, Solidis tantùm duodecim domino solutis.(Solidus aureus nummus est certi sui ponderis átque valoris,quorum septuaginta duo faciũt auri libram.l.5.de suscept.lib.x.C.) Ibi ratio redditur,qualis à Constantino superius posita fuit:quia nefas est,vt quos Christus dominus sanguinis sui effusione redemit, persequutorũ vinculis irretiti permaneant.in concilij cano.16.Innocentius.3. reddit & alteram,Ne filij Liberæ filiis famulentur Ancillæ. Paulus ad Galatas,ancillam vocat Synagogam Iudæorum matrem: Libera mater est Ecclesia,Christianorum parens. Lege cap.1.2. 8.13. & 19. de.Iudæis, & Saracenis, & eorum seruis. In antiq. Videmus & hinc, Peiorem, quàm Gentilis, inter Christianos esse Iudæi conditionem.Sicut & in can.Iudæi. 28.q.1. Cuius rationem reddit ibi glossa(me iudice)perelegantem. Iudæi (dicit) quum Prophetas habeant & Legem,sunt ad conuertendum difficiliores,ad subuertendum subtiliores,& ideò magis odiosi,magísque cauendi,quàm Gentiles.Non alio puto ponendos esse locô Gnosticos æui nostri,quàm Iudæos. quod suprà quóq; monui.

Iudæus, neque seruũ sibi mãcipatũ, sed néque familiarem ministrum debet habere Christianum.

Can. Metuentes. & 4. sequētib. cano. d. 17.q.4.

Canon præsens à Gratiano citatur in decimæ septimæ causæ quæstione quarta. quem tripliciter Hugo nobis interpretatur. Seruus non deserat dominum, causâ religionis. Id est, Religiosi loci, videlicet, Ecclesiæ, ad quam se, flagrorum metu forsitan, contulit. Ad seruitium námque domini redire cogendus est: si tamen dominus coram Presbyteris iuratus condonatit offensam,suppliciúmque remiserit.quod iusiurandum,si dominus nõ obseruarit,ab Ecclesia,& omni communione Catholicorũ propellitur.Hæc expositio est violenta.Vel,Religionis, id est, Religiosæ professionis,puta, Christianitatis. quia Christianus est, aut esse vult.Hæc est interpretatio propria.Vel,Religionis, id est, ad religionem conuersionis, vt fiat Monachus. μηδένα προσδέχεσθαι ἐν τοῖς μοναστηρίοις δοῦλον, ἐπὶ τὸ μονάσαι, παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου δεσπότου. prout est in can.4. concilij Calchedonensis.Id est,Seruum nullum recipi volumus in monasteriis,vt monachetur(hoc est, vt ibi solitariè

Can. Quiverè 16.q.1.

tariè viuat, & monachus fiat) præter voluntatem proprij sui Domini. Quum de seruis promouendis in Ecclesia quæritur, vnum debemus Onesimi Paulini proponere nobis exemplum. Cuius, átque similium, declarabamus historias in.d.can. 82. Non immoror modò. Vera sunt omnia, nec indigna scitu, quæ proposuit Hugo. Cæterùm, vox, Theosebia, tot non. admittit significationes..

Non plura de seruis. Cogitemus nos omnes conseruos esse: quorum dominus vnus est in cœlo: qui per misericordiam suam reuocare dignetur ad suũ seruitium rebelles, deuios, & aberrantes: Vt omnes exhibeamus Domino nostro liberam seruitutem, Cuius pietate sumus ab ergastulis errorum liberati. Amen.

ΚΑΝΩ'Ν .Δ.

Εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι, λειτουργήσαντος αὐτοῦ, προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω.

Presbyteri legitimam habentis vxorem εὐλογία, καὶ κοινωνία, *id est, Benedictio, & Communio, non est declinanda: quasi coniugium foret aliquid inhonestum, ac fugiendũ, ceu malum. videto Socratem. cap. 43. lib. 2.*

CANON 4.

SI quis existimat de Presbytero coniugato, quòd eô sacrificante, non oporteat ipsius oblationi, vel sacrificio communicare—Anathema esto.

Zonaræ paraphrasin subscribam, quò planior sit hæc versio nostra. τὸν διακρινόμενον, ἤτοι ὑποστελλόμενον, καὶ μὴ θέλοντα μεταλαβεῖν, πρεσβυτέρου γεγαμηκότος λειτουργήσαντος, ἀναθέματι ὁ κανὼν ὑπάγει. Id est, discernentem, vel suffugientem, néque volentem, presbytero coniugato sacrum munus obeunte, communicare—Anathemati canon supponit, Hæc Zonaras.

Can. Si quis discernit. Hinc inde pro coniugio presbyterorũ Gratianus argumenta quærens, Istum canonem citauit in Diorismo suo. 28. & ex eo colligit, Vxoribus ergo videtur interdictum non esse Presbyteris. Eundem, similémque in rem, nuptiatores Gnostici proferunt: quô putant effectum plenè, quod intendunt - Anathema, videlicet, esse, qui propter initum coniugium respuunt, ac deponunt Sacerdotes. Infœlices blaterones, eâ laborant omnia perturbandi, cunctáque nouandi prurigine, vt néque legum caussas, néque loca, néque tempora discernant: átque sic nesciant, néque quid, néque de quo dicant: De cœlibatu sacerdotum, nec animus est dicere, nec est hîc etiam differendi locus. In-
26. 27. 28. Et. 31. 32. 33. 34. tegris septem Distinctionibus Gratianus hoc agitauit. Et nos post Gratianum (quod meminisse potestis) ex officio pro nostra tenuitate quotidie versantes in distinctionibus illis explicandis, Ecclesiæ veteris Græcæ, Latinæque mores, átque leges & constituta non pauca proferebamus ad eam rem pertinentia. Conclusum mihi fuit, & est, vobísque probatum puto, Nullos agni (quem sequuntur virgines) admotos mysteriis vnquam fuisse, qui non essent Eunuchi, hoc est, Qui se propter regnum Dei non castrassent. Vxores habuerunt ex illis non pauci (fateor) Sed, tamquàm Sorores, citra voluptarios & carnales amplexus, aut contactus. In Apostolico sexto canone fusius hoc expandebamus. Huiusce legis causam, rationémque videamus. Inde sensus apparebit.

Αγνεία mysteriis Agni est indiuulsè connexa.

Quum diuus Euangelista Ioannes in insula Pathmo exularet, in Asianis Ecclesiis (quas ille moribus, & sanâ doctrinâ persanctè instituerat) absente patrefamilias, inimicus homo seminauit Zyzania: túmque semina pullularũt Ebionis, Cherinti, Marcionis, quos Antichristos in Epistola sua vocat. Et quorum magistros Nazaræos Apostolus Paulus frequenter exagitarat: Inter alia verò peruersissima dogmata sua, Christum non putabant esse Deum. propterea quòd, de muliere natus erat, quæ viro per matrimonium iuncta fuerat. Nam Deus (aiebant) omnia virorum cum mulieribus consortia (Nuptias videlicet vt immundas) reprobat. quod & ipse Christus in terris commonstrabat, ab vxore semper abstinens, & alienus. Quum post Diocletiani cædem rediisset Euangelista, penè tunc ab omnibus Episcopis Asiæ (sicuti Hieronymus in proœmio super Matthæum scribit) & ab Ecclesiarum multarum legationibus coactus est altius aliquid, quàm cæteri, de diuina Christi natiuitate scribere. Quod (omnibus in-

Iohannes in Euãgelio diuinitatem Christi, simul & honestatẽ Matrimoniĩ statim probat.

dicto

dicto prius communi ieiunio) diuinè postea fecit. Illudque, velut è cælo veniens, & non humanâ voce, sed omnem sensum, sensibiléque supergressus Tonitrui filius inclamauit, orbíque persuasit. In principio erat verbum. Et verbum erat apud deum. Et Deus erat Verbum. Dum verò Christum sic asseruisset esse Deum, testimonióque Baptistæ, ipsum Dei patris Vnigenitum esse confirmasset, cuius & gloriam viderat: mox aduersus eosdem Hæreticos historiam de nuptiis in Cana Galilææ subnectit. Quas tátùm abest vt Iesus ipse Deus improbarit, vt iis non interesse tantummodo cum suis voluerit, sed eas etiam mirabili signo illustrarit, in vinum conuertens aquam. Per quod & ostendit non esse vinum damnandum. quod cum suis, Ebion faciebat.

Ergo (quod iam suprà dicebamus in can. 1. & in. 2. sæpius & infrà resumemus) Ob nuptias Lege contractas non est aliquis vt immundus, aut impurus, tamquámque prophanus, à Sacris Euangelicis arcendus. Puritatis enim Deus nunquam rebus impuris adfuisset. Attamē, Inhonestas illi nuptias, sordidásque dicebant. quia (sicuti puto) de matrimonij mūditie vel honestate scriptum nihil erat in Euangelio quodam secundum Hebræos quod vnum pro Scripturis omnibus recipi volebant. vt author est Eusebius histo. lib. 3. cap. 27.

Laudis Amor, & Honoris immēsa Cupido gignunt Hæreticos, & Gnosticos.

Excellens donum Dei in homine est Venerearū voluptatū cōtinētia vires hominis excedens, & admirabilē populo reddēs Cōtinentē. quippe qui videatur in carne iam sine carne viuere. Nulla res alia facit, aut vnquā fecit Hęreticos, quàm cupido laudis immodica. Singulare quiddā sibi volunt inesse videri, quô cæteros à tergo post se longè relinquant. Artes, hoc tēpore, iactant, Oratorias, Rhetoricas, Dialecticas (Et quia sic Deo visum) Scripturas ipsas: cúmq; Spiritibus & Phanærosibus suis, nescio quas exerūt & ostentant linguas. Hinc etenim (quod præposterū est populi iudiciū) virtutis aliâ nullâ specie prętensâ, surgentē vulgò plausum cōspiciunt: quem solum suâ, quacúmque valent, sagacitate venātur. Olim verò Gnostici (quia laus inde summa prodibat, & admiratio magna) nihil, quàm ieiunia. cōtinentias, flagella, vigilias, orationes atque preces longissimas, mœrores & plāctus assiduos prę se ferebant Hypocritæ. facies suas extenuentes, vt apparerent hominibus afflicti, spiritalibúsque laboribus consumpti. Tales æuo Christi viuebant Esseni, Nazaræi, Pharisæi, Sadducæi. Posteáque (iam nomine Christi per orbem se diffundente) Cerinthiani, Ebionęi, Valētiniani, Cerdoniani, Marcionistæ, Seueriani, Tatia-

ni, Valesij, Cathari (quamplurimos prætereo) Manichæi, qui sub Aureliano principe cœpere. post quos, Hieracitę. mox Ariani. anno Do.300.& annis postea triginta (post Aurelianum verò, nonaginta) prædictorũ sectator Eustathius, Aërius etiã cũ sequacibus. Qui præ cæteris omnibus virtutibus, vnã sic se fingebant amare Castitatẽ, sic haberi Casti volebant, vt nec ad mensam vel cõuiuia coniugatorũ vellent accedere, & Agapas agere. quod in xi. can. videbimus. Si quis autẽ maritus, & vnius vxoris vir (Ecclesiæ tum necessitate sic exigẽte) factus esset Ecclesiæ minister, & ordinatus Sacerdos, ab hoc illi secedebant: per quem Sacra pollui, quia cõiugatus esset, ob matrimonium solum credebant. Error sanè vanissimus. vt in superiore prosphonetica ostendimus Epistola. vers. Et qui Presbyteros coniugatos. Ad cuius erroris condemnationem, Patres hanc specialem tulere legem. Quâ quidem, non permittitur Sacerdotibus, vt vxorem ducant (fraudem Legi faciunt, qui sic eius sententiam circumueniunt) Sed quâ tum Gnosticis vetabatur, Ne quempiam putarent inhabilem esse ad Sacerdotium, Propterea quòd adhuc vxorem haberet. iniuria siquidem magna fiebat honestati, sanctitatíque matrimonij.

Non Matrimonium, sed opera Matrimonii repugnant Altaris ministerio.

Vos tamen hîc, Auditores Christiani, monitos necessariò velim. Tametsi Matrimonium constans adhuc inter virum & Vxorem, non arceat ab altaris accessu Virum: tamen altaris accessus hunc arcet ab Vxoris amplexu. Venit à ministerio deponendus, qui simul & ministerio vacat. & coniugio. Nec enim debet ampliùs altaris tractare munda, qui mulieris contrectat immunda. siue sit ea coniux, siue συνείσακτος alia mulier dicta: quam Sacerdos in domum suam subintroduxerit habitaturam secum. Talis, néque sacrum quid agat, Néque sacris adsistat: sed à communi fratrum societate pellatur.

Presbyteri cũ mulieribus, etiam coniugibus, habitare non debent.

Impurissimus sanctissimi protomartyris collega Nicolaus Antiochænus ab Apostolorum collegio fuit eiectus, quòd ille, postquam Diaconus electus fuisset, ad vxorem suam, quam formosam habebat, ὡς κύων ἐπὶ τὸν ἴδιον ἔμετον, reuerti non erubuisset. Hæc Epiphanius contra Nicolaitas scribẽs in lib.1. Tomi primi. Socratis adhuc æuo, sub Theodosio Iuniore, mos fuit ab illustribus Ecclesiarum per Orientem, Græciámque rectoribus, & Episcopis obseruatus, quem verbis ipsius referam. γενόμενος κληρικὸς ἐκεῖ, ἣν νόμῳ γαμήσας πρὶν κληρικὸς γένηται, μετὰ τὸ κληρικὸς γενέσθαι, συγκαθευδήσας αὐτῇ, ἀποκήρυκτος γίνεται. Hæc in lib.5.cap.22. Id est, factus ibi (In Orientis,

Orientis, & Græciæ multò maxima parte) Clericus, Quam lege duxerat vxorem, priusquàm Clericus fieret, posteaquàm Clericus factus est, Si cum illa dormierit, alienus fit, & abdicatur à Clericatus munere. Ergo iam nō debent ampliùs cohabitare. Sed nec etiam mulieres aliæ quæuis, Antiquorum Canonibus interdictæ, cum Presbyteris versari, commorarive debent. Alioqui, Mulierosorum Missas nullus audiat, Sacrificia nemo recipiat. quod argumentum plenè tractatur integrâ Dist.32. per Gratianum. Faxit Iesus Christus, vt ordinariis prælectionibus nostris illud explicare vobis, vt optamus, sic etiam valeamus.

Hic nostri Canonis sensus est: Non quem fingit & somniat impuritas Gnosticorum: qui λαγνοὺς pro ἀγνοὺς efformant nobis, & instituunt altaris ministros. Vni viro desponsi sumus, fratres charissimi. Connitamur igitur (nisi repudiari velimus) Virginem castam nos exhibere Christo. qui viuit & regnat Virginum dux in æternum. Amen.

Hic aduenere lætæ Pentecostes feriæ, quæ nos quindecim diebus ob alia sequentia festa distinuere. Quibus necdum finitis, aliæ repentinæ parùm lætæ superuenere: quæ ferè bimestre occuparunt. Quas ordinariæ nostræ Cereales & Vindemiales subsequutæ sunt. quæ tres penè menses de more sibi vendicarunt, Augustum, Septembrem, Octobrem. Postea me Coli dolor (quem designare volentes extremum Galli nostri Passionē vocant) mihi plus nimio grauis & molestus, integrū mensem lectulo defixit. Gratia Domino nostro Iesu Christo, qui me tam sæpe sic visitare dignatur. Hæc cessationis tam diuturnæ caussa.

Vndecimo Calend. Decembris. hoc est. XXI. die Nouembris. 1558. quô Mariam templo fuisse præsentatam memorat Ecclesia, De religione Templorum dicturus post repentinas valde longas, & inauspicatas ferias Cathedrales, ad Cathedram rediit Quintinus. Et sic est exorsus.



CHristiani auditores — Quando quis in excubiis collocatur, & Speculæ præficitur: Is nisi vigilet assiduè: Nisi, quicquid est venturum, longè prospiciat: Nisi hostes irruentes præuideat: sedulóque cæteris suæ curę traditis prouideat: in crimen incidit, aliâ re nullâ, quàm proprio capite luendum per legē: Dixit enim legifer noster apud Ezechielem — Sanguinem pereuntium, de

manu somnolenti speculatoris,& excubitoris dormitantis, Ego requiram.Lex ista quidem posita fuit Episcopis,ad animas populi Christiani custodiendas,ante omnes,præcipuéque delectis & institutis. Hoc equidem scio. Sed quid vetat omnes Ecclesiasticarum disciplinarum doctores & professores, Episcopos appellari? Certè sunt. Et quicúmque moribus ac religione, Iuuenum rudes & simplices animos informât & instituunt. Hi si viderint igitur, imò, (malum?) quum videant ex insidiis hostes vndíque modò prosilientes,clangere tubâ suâ debent: Suis,videlicet, prælectionibus, & frequentibus concionibus, auditores pios admonere, quantâ vi valent, vt à veniente gladio caueant. Quod si vel ipsi nesciamus,aut vafri dissimulemus,aut timidi taceamus,néq; buccinâ cecinerimus, tacitæ veritatis rei sanguinẽ pro sanguine pendemus. Duas enim rathymiâ nostrâ simul animas occidimus, Eius, qui moneri debuerat, & nostram,qui non monuimus. Non mentior: Deus audit. Hæc vna me ratio sola reducit ad nostrum modicum,simplex,non ambitiosum,nulli noxium,modicis contentum, deníque Scholasticũ,munus profitendi Canonas, & Ecclesiæ decreta, patrúmque dogmata prisca monstrandi. Parum quidem splendidum visum nõnullis indoctâ nescio quâ, nec docili,superbiâ præditis & perditis ardelionibus,nihil quàm Mitras & Magistratus immerenter,indignéque captantibus,& crepantibus. Hoc,satis ego noui. Néque tamen facio pili: Quippe,Qui bonis,grauibus,& honestis quibúsque viris Officium, munúsque docendi, sciam non minus honorificum semper habitum fuisse, quàm sit alius quiuis honoris in bene constituta ciuitate gradus. Et in antiquorum ecclesia Catechistes (Scholarum, puta, magister & Præses)ab Episcopo secundas penè gerebat.Hoc omnium maximè Christi sacerdotem decet. In primis námque sanctum & salutare est illud Officium docendi (Recta, inquam,sanctáq; docendi.Non enim Dialecticorum Leptologica,Rhetorúmve Mateologica laudamus) Totum prǽterea charitati consecratum solis illud proximi commoditatibus inseruit. Omnibus prodesse, nulli nocere laborat. Hoc certè munus est primum propriúmque sacerdotis. Quod mihi Christus adimplere suâ gratiâ donet. Hâc spe bonâ fretus, Auditores Christiani, huc accedo.

Sed,quod inter operandum sacris in memoriam mihi mane venit, vos, oro, sine superstitione mecum perpendite. Quo die fuit à parentibus oblata,præsentatáque Salomonis in templo virguncula María, θεοτόκος postea futura, Hunc ipsum diem recolit ho-

hodie, & rememorat Ecclesia. Dicturus ego de χειροποιήτοις, seu manufactis Templis, omen protinus accepi. Sed ardenter omnes vnanimes Virginem matrem rogemus, vt nos quóque Templum pariter efficiamur, in quo Virginis filius habitare dignetur. Amen. Hæc dicendorum summa.

Nimis diuturnæ feriæ, molestæ profectò nobis, pridem nostros in Eclogis Gratiani de priscis patrum Canonibus interrupere sermones. Tum substitimus in quinto Cano. synodi Gangrensis. quem vobis explicandum iam capio.

KANON .ε.

Εἴ τις διδάσκοι τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ εὐκαταφρόνητον εἶναι, καὶ τὰς ἐν αὐτῷ συνάξεις, ἀνάθεμα ἔστω.

Anathema dicenti religionem templorum vanam esse.

CANON .5.

SI quis doceat domum Dei contemnendam esse: Et in ea Populi conuentus esse despiciendos, Anathema esto.

De templis, cultúque templorum dicturo mihi videtur antè monendum, quid, & quibus nominibus appellemus Templum.

Templum. Sacellum. Basilica. Ecclesia. Domus Dei. Dom' Patris. Domus Orationis.

Latinis Templum est locus in quo, & vnde, cœlum, cœlestiáq; tuemur, & vndiquáque speculamur, inde signa dispicientes & consilium præstolantes. A tuendo (quod est accuratius inspicere, & quasi cominus videre) deductum volunt: & à Templo Contemplari. quod est oculis animæ, & intuitu mentis superna rimari & inspicere. Vehemens & attenta spiritalium, diuinarúmque duntaxat rerum meditatio & speculatio est Contemplatio. Scriptores Ecclesiastici non aliam norunt. quæ nominatur Græcè

Te.5. θεωρία, siue θεωρικὴ. De qua Hieronymus Thren.cap.3. Theorica, id est, Contemplatio Dei: cui meritò omnia iustificationum merita, vniuersa virtutum studia, postponuntur. Inanis ergo Theoria nõ est, auditor Christiane: sed est optimi maximi Dei penitior speculatio, cura, culturáque Dei legitima. Ab hoc autem exercitio, & sancta conuersatione, consecratas, & Deo dicatas ædes nominamus Templa, quasi, Tecta ad contemplationem diuini numinis ampla. Vt ait Isido. cap.4.lib.15.Etymol. Ductus hôc etymo putauit Archidiaconus, Templa propriè vocari maiores Ecclesias, vbi sub Vnius amplitudine tecti Populus adunaretur. Equidem sic autumo. Et (quamquam Gellius aliter.cap.12.lib.6.) à Sacellis Templa distingui puto: cúmque Trebatio existimo Sacellum ex duobus compositum verbis, Sacri & Cellæ. quasi, Sacra cella, vt Sacellum sit locus paruus Deo sacratus cum ara. Maiora phana sine diminutione solent à Latinis vocari Sacra. Pontificalis inter gentiles ista fuit obseruatio (quod in Macrobio reperies cap.4. lib 3.Satur.) Vt etiam nomina sacrorum locorum cum proprietate proferrent. Nos quoque faciamus idem.

θεωρία. Contēplatio.

In Can. Et hoc diximus 16.q.7.

Græcis appellatur Ἱερὸν, & Ναὸς. Vtráque vox in Euangeliis tritissima. Videtur obseruatione dignum, quòd Acto.cap.19 Ephesinæ Dianæ templum vocetur Ἱερὸν. quum reliquis omnibus in locis, de sacro duntaxat Hierosolymitano templo dicatur Ἱερὸν. Sed & Lucas eius Dianæ simulachra & idola nominauit Ναοὺς ἀργυροὺς. Interpres vertit Ædes argenteas. Mirabilis quidem munificentiæ fuit illud Ephesinum templum. de quo Plinius cap.14.lib 36. Sed argenteas aliquas tales postea factas fuisse non proditur. Ea noua significatio videri potest. Vt sit hîc Ναὸς, Ferculum (sicuti vocant) Theca, Repositorium statuarum Dianæ. quæ Demetrius ἀργυροκόπος fabricabat.

Ἱερὸν. Ναὸς.

Templa vocari Basilicas dicemus in vigesimo Canone. Pariter & Ecclesias dici docuimus in Analectis nostris. Frequenter à Diuo Hieronymo sic est vsurpatum vocabulum. de quo hîc referam quod in sequenti mox sexto præsentis Concilij Canone Zonaras scriptum reliquit — ὁ ἀθροισμὸς τῶν πιστῶν, οὗτος γάρ ἐστι κυρίως ἡ ἐκκλησία. ὁ γὰρ ναὸς, κατὰ τὸν ἅγιον Ἰσίδωρον τὸν Πηλουσιώτην, ἐκκλησιαστήριον λέγεται, ὡς θυμίαμα καὶ θυμιαστήριον, καὶ θυσία, καὶ θυσιαστήριον. Congregatio fidelium, hæc propriè est Ecclesia. Naos autem, secundum sanctum Isidorum Pelousiotem, Ecclesiasterium dicitur. vt Thymiama & Thymiasterium. Et Thysia & Thysiasterium. De templis autem, materia-

Cap. Quum clerici. de verb. sign. in antiq.

terialibus hîc agimus. id eſt, Quæ non ex viuis lapidibus, ſed ex lapidibus nihil ſentientibus extructa ſunt. quæ templorum diſtinctio ponitur in.d.Can. Et hoc. χειροποιήτον quóque templum iſtud, nominatur οἶκος τοῦ θεοῦ. vt hîc. Domus Dei. Chriſtus appellauit οἶκον τοῦ πατρός. Domum patris ſui. Ioann. cap.2. Vocatur οἶκος προσευχῆς. Domus orationis. Eſaiæ cap. 56. & Marc. cap. 11.

De vocabulo ſatis. ad rem, de qua nos, quàm breuiter poterimus, tria proponemus. De templorum vetuſtate. De templorum ſanctitate. De templorum per Gnoſticos oppugnatione. In primis. —

Cum hominibus quidem vult & gaudet habitare Deus. Prou. 8. Deliciæ meæ, Eſſe cũ filiis hominũ. Sed in habitaculo ſeparato.

Origo rei diuina eſt. Inter homines enim Deus conuerſari dignatus, à promiſcuis mundi locis diuiſum, vníque ſibi proprium locum ſemper habere voluit, ſeparatíque præcepit. id eſt, quod Templum nunc appellamus. Exodi cap.25. Loquere Filiis Iſrael, Vt faciant mihi Sanctuarium: Et habitabo in medio eorum. Néque præcepiſſe contentus, ædificii quóque formam deſignauit, inquiens - Faciant illud ſecundum exemplar, & iuxta ſimilitudinem tabernaculi, quod tibi in monte monſtratum eſt. Satis & hoc viſum non eſt. Sui prætereа tabernaculi docuit Architectos, Fabros, Sculptores, átque Pictores. quod in vigeſimo Cano. dicemus. Mandatum repetitur in repetitæ legis libro. cap.12. Ad locum, quem Dominus Deus veſter elegerit de cunctis tribubus veſtris, Vt ibi nomen ſuum ponat, & habitet in eo, venietis: Et offeretis in loco illo victimas, & holocauſta veſtra, decimas & primitias manuum veſtrarum, Vota átque donaria. Poſtea, Ne

Tempora Tabernaculi Moſaici et Tẽpli Salomonici.

perfunctorium átque temporarium videretur, hoc eſſe mandatum, poſt annos ab hac prima Tabernaculi diuini conſtructione, quadringentos & octoginta (qui fuerunt inter Moſen, & Salomonem) Per ipſum Salomonẽ conſtrui ſibi Domum illam mirabilem voluit. de qua.2.Reg.cap.7. tertiíque Reg. cap.5. &.6. Item.1. Paralip. cap.17. &.22. Ab hac ædificatione ſtetit illa domus annis quadringentis quadraginta duobus: quum Rex Chaldæorum Nabuchodonoſor, Hieroſolymis euerſis, hanc incendit. quod non impunè tulit. vt mox audietis. Incenſam ſic, miſerabilitérque dirutam, poſt iſtius deſolationis annos ſeptuaginta, rurſus ædificari ſibi Dominus Deus cœli præcepit Perſarum monarchæ Cyro. Et ædificata fuit.2. Paralip. cap. vlt. & octo primis capitib. libri primi Eſdræ.

Néque sancti primi patres, qui mandata de Domini tabernaculo seu templo præcesseruut, Adam (videlicet) Abel, Seth, Enos, (qui cœpit inuocare nomen Domini) Enoch, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, ipsi deníque duo fratres, Moyses & Aaron, ante factum sibi de tabernaculo mandatum, (post annum repromissionis de vocatione gentium, quæ fuerat Abrahæ facta, quadringentesimũ trigesimum) ábsque tabernaculo tamen, siue Templo Deum coluerunt. Erectis námque thysiastiriis, inuocantes ibi Deum, sua deferebant illuc, & offerebant Holocausta. Noë doctus à maioribus suis ædificauit altare Domino, de cunctis pecoribus & volucribus mundis ponens super altare. Gen. cap. 8. Sic Abraham, & Abrahæ nepotes fecerunt. Ista verò θυσιαστήρια, id est, Altaria, quamuis non in formam Templorũ constructa, pro templis tamen & locis accipio nominatim Deo consecratis. quandoquidem Templum nobis eum locum significat, in quo sola diuina specialiter & vnicè contemplamur, & agimus. Locus ædificio vacuus, & ábsque parietibus in agro deserto, Lapis ille solus, quem Iacob in στήλην statuerat, οἶκος θεοῦ, Domus Dei nominatur. Gen. 28. in fin. cap. *Patres ante legem habebãt etiã templa.*

Néque sanctos illos patres credere fas est, super altaria sua post oblata sua sacrificia cõmune quid & immundum statuisse, vel fecisse, próque stabulis ea duxisse. quod impius nescio quis de grege Gnosticorum non erubuit de templis nostris euomere. ἀρχαῖε sceleratissime, de stabulo, vt néque de foro, Deus non eiecisset ementes & vendentes: quos tamen furore diuino expulit è templo. Taceo, quòd illud Amos prophetæ cap. 4. Iurauit Dominus in sancto suo. pleríque priscorum doctorum, sanctorúmque scriptorum interpretantur, quòd iurauit Dominus per templum sanctum suum, veluti per rem sacerrimam. Et audes cum stabulo componere templum? quod & nominatur Domus Dei. Domus Patris. Domus Orationis. Stabulum non sic appellauit. Nicanoras audire mihi videor, coniurantes in planitiem se deducturos Dei phana, & effossuros altaria: quæ libero Patri (suæ, videlicet, Gnosticæ libertati) sint consecraturi. Finem non expectent igitur alium, quàm Nicanoris. Sed in cœpto pergamus argumento. *1. Maccab. 14.*

Solent qui sacra tractant, Hominum mores & instituta distinguere (sanè conuenienter) in tria tempora — Naturæ, Legis, & Gratiæ. quod accipias — Quum Naturâ ducerentur, Quum

Lege regerentur, quum per Euangelium monerentur homines. Heri conabamur docere, tam Naturam, quàm Legem construxisse Deo templa. Monstrare superest Euangelium non destruxisse Templa. De quorum constructione & exædificatione, quæ suprà diximus, Gnosticos ignorare non putamus: Verùm, tanquàm Iudaica damnant. à quibus quidem (Mosis, puta, Legalibus) Christi fideles abhorrere totâ mente conuenit. Id (aiunt) Paulus ad Hebræos scribit. Agedum, Iam Christianos, ipso velut Architectante Christo, sua construxisse templa doceamus.

Christianorũ templa designantur per illã Propheticã, & Euangelicã Turrim in vinea Domini constructam.

Paterfamilias (qui Deus intelligitur) vineam plantauit: In ea Turrim ædificauit: Agricolis eam locauit, vt suo tempore fructus redderent. Matth. cap. 21. Vinea Domini, est Gens à Domino vocata, Populus electus: qualis primò fuit Domus Israël. Quam quidem vineam transtulit Dominus de Ægypto. Psal.79. Turris in vinea. haud dubium, quin Templum, prout Hieronymus interpretatur ibidem, & Esaiæ cap. 5. Ædificauit Turrim in medio eius. Templum, videlicet, in media ciuitate (ait Hieronymus) & Torcular extruxit in ea, quod Altare quidam significare putant. Agricolæ verò primi fuere Iudæi. qui, quia, nedum seruos locatoris Domini, sed ipsum hæredem vineæ, puta, Filium Patrisfamilias interemerunt, ablata est ipsis vinea: & aliis, id est, Nobis Christianis, ad Euangelij gratiam, Deique legem vocatis locata, sed non ábsque torculari, vel turri. Per quæ, sicut olim Hieronymus, Altare, Templúmque, Sic modò nostras è materia factas Ecclesias intelligere mihi non absurde videor. Vulgaribus Hominum vineis abunde est, Si plantatæ sint, & cultæ diligenter. Si sæpibus circundatæ. Si torcular (quod non omnes adhuc) habeant, & excipiendo musto Lacum. In vinea verò Domini Turris insuper ædificari debet, ad vineæ Dominicæ custodiam. quo sese frequenter agricolæ recipiant, inuicem vineæ cultum procurantes. Hic igitur mihi Gnostici πυργομαχεῖν desinant, & sciant quòd, Absque Turri coli commodè nequit vinea Domini: quæ quidem Turris, Vinitorum commune est asylum, non singulare cuiuspiam domicilium.

Non in alicuius priuatas ædes ad Dominicam Cœnam manducandam Christiani congregabantur. Ecclesiæ Dei communis erat ille locus. ita coniicio. Paulus enim dixit, Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? 1. Co-

rinthiorum cap.11. quaſi diceret, Hoc in loco publico, qui ſacris noſtris conuenientibus eſt dedicatus, agendum nihil eſt prophanum, & quod ſacris noſtris non congruat myſteriis.

Eiuſdem quóque temporis exemplum certiſſimum proferam, quod antiquiſſimam demonſtret originem templorum noſtrorum: quæ tum certè cœperunt ædificari, quum cœpit Euangelium prædicari.

Philonis Iudæi (quem Romæ cum Petro loquutum ferunt) libellus extat, περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν. id eſt, De vita contemplatiua. vel de Precatorum virtutibus. Euſebius cap.16. &.17. lib 2.hiſto. teſtatur hunc totum ſcriptum fuiſſe de Chriſtianis, déque moribus & vita Chriſtianorum. Hieronymus concinit Euſebio: Et Philonem propter hunc ipſum librum recenſet inter Eccleſiaſticos ſcriptores. Nomine tamen abſtinet ille Chriſtianorum: fortè quia ſuæ genti, in qua primas gerebat, inuiſum foret: vel (quod magis credo) quia nondum Chriſtianum nomen vbiuis locorum percrebuerat: quod Antiochiæ primùm cœpit, ab Euangelii promulgatione circiter annos ſexdecim. Acto. Apoſt. cap.11. Quonam tempore nouum Chriſtianorum nomen auditum fuerit, ita Suidas prodidit. χριστιανοί, ἐπὶ κλαυδίου βασιλέως Ῥωμαίων, πέτρου τοῦ ἀποστόλου χειροτονήσαντος Εὐόδιον ἐν Ἀντιοχείᾳ, μετωνομάσθησαν. οἱ πάλαι λεγόμενοι, Ναζαραῖοι, καὶ γαλιλαῖοι, χριστιανοί. Id eſt, Chriſtiani ſub Claudio rege Romanorum, quum Petrus Apoſtolus ordinaſſet Euodium in Antiochia, ſunt nominati: Prius appellati, Nazaræi, & Galilæi, Chriſtiani. Poſt Euſebium ſic tempora digerimus. ἱκέτας, & θεραπευτὰς, Philo nominat. id eſt, Precatores, & Cultores. quòd Deum ſupplicationibus, & omni cultus, officiorúmque genere venerarentur & colerent, diuináque tantummodo curarent. Inter hos diuitem, pauperémve nullum fuiſſe refert. Patrimonia diuidebant egentibus. Pſalmis & orationi vacabant. Doctrinæ quóque & Continentiæ ſtudebant. In ſumma, Qualem ſcribit Lucas Eccleſiam primorum fidelium fuiſſe in Hieruſalem. Act. cap.4. Tales erant & Eccleſiæ, quas Euangeliſta Marcus, In Ægyptum miſſus, Alexandriæ conſtituit: de quibus agit Philo. qui quum Therapeutarum Alexandrinorum domos & ſodalitia deſcripſiſſet, eorundem loca refert, ad quæ Deo ſupplicaturi, rémque diuinam facturi quotidie conueniebant.

Diſcipuli, Fratres, Nazaræi, Galilæi, Ieſſæi, deinde, Iucte, et Therapeutæ prius vocabantur, qui poſtea nominati fuere Chriſtiani. anno poſt Chriſtum in cœlos regreſſum. 16

Phi-

Philonis verba sunt. — ἑκάστῳ δέ ἐστιν οἴκημα ἱερόν, ὃ καλεῖται σεμνεῖον καὶ μοναστήριον, ἐν ᾧ μονούμενοι τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦνται: μηδὲν εἰσκομίζοντες, μὴ ποτὸν, μὴ σιτίον, μηδέ τι τῶν ἄλλων ὅσα πρὸς τὰς τοῦ σώματος

Semnion. χρείας ἀναγκαῖα: ἀλλὰ νόμους, καὶ λόγια θεσπισθέντα διὰ προφητῶν, καὶ ὕμνους, καὶ

Monasteriũ. τὰ ἄλλα, οἷς ἐπιστήμη καὶ εὐσέβεια συναύξονται καὶ τελειοῦνται. Id est. — In singulis est domus sacra: quæ vocatur Semnion & Monasterium. In qua soli manentes religiosæ vitæ mysteriis operantur: intro nihil importantes, néque potum, néque cibum, néque aliquid aliorum, quæ sunt ad corporis vsum necessaria: sed Leges, & Oracula diuinitus à prophetis ædita, & Hymnos, & id genus alia, quibus scientia simul & pietas augentur & consummantur.

Auditor Christiane, Hîc tibi Christianorum templa repræsentantur efficacissimè. Nec enim de Iudæis, vel Hebręis, nisi iam conuersis ad Christum, ista possunt accipi, qui suorum conuentuum loca, Néque Monasteria, néque Semnîa, Sed Synagogas appellabant. Vnicum præterea templum habebant Hierosolymitanum, in quod & Esculenta & Poculenta inferebantur. Epiphanius etiam contra Nazoreos, non de aliis, quàm de Christianis, Philonem scripsisse refert, Qui tunc (ait) non Christiani, sed ex nomine Iesu domini nostri vocabantur — Ἰεσσαῖοι. Iessæi (Nomen aptius, quàm nescio quorum modò Iesuitarum) Philonísque librum dicit inscriptum fuisse, περὶ Ἰεσσαίων. In æditis nunc titulus est, περὶ ἱκετῶν, vt audistis. Voces illæ duæ græcæ, Semnium & Monasterium manserunt in vsu vulgi gallici, vocantis congregationem Presbyterorum, Le Sennè. Et Ecclesiam, siue Templum, Le moustier.

Ecclesias ergo Templáque nostra, Dei dicata nominatim laudibus, ad hæc vsque tempora nostra processisse ex Apostolorum more, átque institutione videmus. Ex vtráq; sancti Iustini martyris apologia, similiter & ex Tertulliani pro Christianis apologetico nos eadem cognoscimus. Quin ipse Tertullianus initio statim libri contra Valentinianos, ædificandorum templorum modum, formámque penè depinxit, Inquiens — Nostræ columbæ domus, Simplex, Etiam in æditis semper & apertis ad lucem. Amat enim figuram Spiritus sancti. Amat Orientem Christi figurã. Sic Tertullianus, quasi dicere vellet, Christianorũ

Nihil in templo Domini reperiri debet, quod non sit in mensura & Sapiẽtia cõstitutũ.

templa ſimplicia debent eſſe,puta, Sine Gentilium luxu, & ambitioſo aliquo ornatu,ſic vt maieſtatem præ ſe ferant magis,quàm venuſtatem,vel luxuriam. qualia priſcorum fuerunt: Non ſemel, & vbique diſertè,Lactantius talem profuſionem ridet,ac reprehendit in Gentilibus,quod in noſtra quædam retorqueri poſsit. In alto ſint poſita loco, patula, & aperta.Lux enim eſt figura Spiritus ſancti noſtris inhabitantis in templis.Ideo feneſtrarum multæ ſunt in eis apertiones. Ad Orientē verſa. Veteres enim precari ſic ſoliti ſunt. apud eundem Tertullianū cap.16. Apolog. quod obſeruat Eccleſia. Subdam breuiter (vt concludam) quid apud Hieronymum legatur in Epiſtola,quâ Paula & Euſtochiū Marcellæ ſuadent,vt commigret Bethlehem— Ergóne erit illa dies (aiunt)quâ nobis liceat in ſpeluncam Saluatoris intrare? In ſepulchro domini flere cum ſorore? flere cum matre? Crucis deinde lambere lignum?Et in Oliueti monte cum aſcendente domino,Voto & Animo ſubleuari?Samariam pergere,& Ioannis Baptiſtæ,Heliſei quóque, & Abdiæ pariter cineres adorare? Quibus in locis(ait Hieronymus) Eccleſiæ, quaſi quædam victoriarum Domini ſunt erecta vexilla. De templorum antiquitate non plura perſequar.Iam de veneratione dicamus.

Sicut Apoſtoli,quum tempus aduenisset orationis, aſcendebāt in templum,ſacris pręcationibus vacaturi,Act.cap.3.ſic etiam Diſcipuli,quos inſtituerant Apoſtoli,faciebant,orare Deum volentes: Et in ſuas Eccleſias,vt in locum, vbi Deus magis propitius & fauens ſoleat exaudire preces hominum,veniebāt. Deus enim quum præcepit ab hominibus ædificari ſibi ſpecialem domum, quò ſuas oblationes,& vota Pij deferrent, eo certè loco præſentior & fauorabilior intelligitur adeſſe voluiſſe,quàm cæteris ſibi ſpecialiter non dedicatis locis adſit. *De religione ac veneratione Templorū.*

Ædificato ſuo templo,ſic Salomon precatur. Domine Deus Iſraël, exaudias deprecationem ſerui tui, & populi tui Iſraël, Quodcúmque orauerint in loco iſto.Et exaudies in loco habitaculi tui in cœlo.& quum exaudieris,propicius eris. In dicto cap. 8.Reg.3. Statímque cap.9.Dominus Salomoni reſpondet — Exaudiui orationem tuam,& deprecationem tuam,quam deprecatus es coram me.Sanctificaui domum hanc, quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum.Et erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Idem quóque de ſuis templis Eccleſia credit:& orat modò(ſicut antea Salomon)— *Præceptū de templo ædificando ſatis oſtendit & Vtile,& Neceſſarium,& Sanctū fuiſſe Templum.*

Hoc

Hoc in templo, summe Deus,
Exoratus, adueni,
Et clementi bonitate
Precum vota suscipe.
Largam benedictionem,
Hic infunde iugiter. Et alio rursus carmine dicit.

Hæc domus ritè tibi dedicata
Noscitur: In qua populus sacratum
Corpus assumit: bibit & beatum
Sanguinis haustum.

Hic sacrosancti latices veternas
Diluunt culpas, perimúntque noxas.
Et alia quæ sequuntur in hymno.

Certè, per iudicia, per ceremonias, per vniuersam denique suam legem, quondam Iudæi magis appropinquantem sibi Deũ (quo summo bono iustißimè gloriantur. Deute. cap. 4.) non habuerunt in tabernaculo suo, quàm postea suis in templis, & Ecclesiis habuerint & habeant Christiani: dum causâ congregantur illius, qui dixit Matth. cap. 18. Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Propter vnum Christum templa nostra frequentamus: inter nos igitur est ibidem medius.

Iudas Maccabæus, quum Hierosolymitanum templum, quod impiæ sub Antiocho gentes contaminauerant, per electos Sacerdotes repurgasset, altaréque nouum nouis è lapidibus instaurasset, eius ἐγκαινισμὸν cum gaudio, & lætitia magna celebrauit, & à posteris annuatim suo die celebrari mandauit. 1. Maccab. cap. 4. Quod æuo Christi, hoc est, Anno post Maccabæum centesimo sexagesimo tertio, Iudæi multa cum religione seruabant. Io. cap. 10. facta sunt Encænia Hierosolymis, & hyems erat. Cui celebri festo deesse noluit Iesus: vt néque Paschæ, néque Scenopegiorum festis abfuit: arcana fidei nostræ mysteria, nunquam quidem docere cessans, sed his festis maximè diebus, populũ docẽs.

ἐγκαινίζω. Obiter hîc dicam, Néque non ex re. ἐγκαινίζω græcum verbum, quod in Bibliis est frequentißimum, vetus interpres Bibliorum duobus vertit modis. In verbum, Dedico. 2. Paralip. cap. 2. ἐνεκαίνισαν τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ ὁ βασιλεὺς. Dedicauit domum Dei Rex. &

tione, absoluta die tertio mensis Adar. 1. Esdræ cap. 6. mensis est est duodecimus Iudæorum. qui respondet partim Februario nostro, partim Martio. seu Maccabæum, quum templum contaminatum purgauit, & dedicauit die vigesimo quinto mensis Casleu. d. cap. 4. hoc est circa finem nostri Nouembris. Hos (inquam) sequuta priscæ fidei patres Ecclesia præcepit Solennitates dedicationum Templorum per singulos annos à populo celebrari. can. Solennitates. d. Dist. 1. de consecr.

Deus autem consecratas sibi domos, & dedicatas ædes, quàm gratas & acceptas haberet, signis admirabilibus ostendit. Quum Moses tabernaculum testimonij perfecisset, Nubes operuit, & gloria Domini repleuit illud: ita vt ne Moses quidem posset introgredi, nube omnia cooperiente, & maiestate Domini coruscante. Exodi cap. vlt. Absolutum Salomonis templum mox gratia Domini repleuit: sic vt Sacerdotes stare non possent, & ministrare, propter nebulam, quæ domum Domini repleuerat. d. cap. 8. Argumenta sunt hæc euidentissima Dei sibi res ab hominibus oblatas, & domos extructas mirificè comprobantis, & sese talibus oblectantis. Quarum prophanatores, & impios violatores pœnis formidabilibus corripuit. Philisteos in secretiori parte natium percussos ferè dedit muribus deuorandos. quòd Arcam Domini violassent. 1. Reg. cap. 5. Nabuchodonosor rex Babylonis, domum Domini succendit, & omnia vasa sustulit. 4. Reg. cap. 25. Ideo regnum eius transtulit Dominus: & ab hominibus ipsum deiecit. in bestiam mutatum, comedentem fœnum. Daniel. cap. 4. De Antiocho Epiphane dicemus in cano. 20. Prophana præterimus, quorum pleni sunt authorum prophanorum libri, De neglecta religione.

Deus accerrimâ semper vindictâ, puniuit rerum sacrarũ, Téplorumque violatores, & prophanatores.

Neque de solo primo Salomonis templo putet aliquis intelligi superiora. Quicquid in vna summi Dei laude atque fide, qualis erat Salomonis, extructum est, id mihi Salomonis templum est. Auditor Christiane, Accipe quod dicere uolo. Zorobabel euersum primum illud templum restituit, quod nullius pensi fuit ad Salomonicum. 3. Esdræ. 5. Hoc item secundum Maccabæus reparauit. Post Zorobabelem, post Maccabæum, Antipatri filius Herodes Hierosolymis illud ipsum longè duobus illis magnificentius à fundamentis instaurauit, dedicandúmque curauit. vt à Iosepho describitur capite vltimo lib. 15. antiq. Id ipsum templum est, in quo legimus angelum apparuisse Zachariæ. Lucæ cap. 1.

Salomonis templũ, non ex ædificãte solùm Sed ex ædificãtis fide & ratione denominatur.

Templum illud eſt, in quod ipſe Ieſus tam frequenter conuenit, vbi quotidie concionatus eſt, vnde vendentes & ementes eiecit, quod orationis & propitiationis domum nominauit. Lu. cap. 19. Euangelia, Porticum Salomonis in eo locant: in quo de lapidibus Salomonis ne vel vnus extabat. At vnus omnium finis erat, Honor, laus, gloria maximi Dei noſtri. Nemo igitur ſtruat his calumniam: Nemo tanquam vana & ſuperflua templa contemnat. Qui talia ſpernit, His inhabitantem nobiſcum Deum ſpernit. Ergo templa Deo, tam Naturâ, quàm Neceſsitate ſunt inſtituta & erecta, Súntque ſingulari veneratione proſequenda.

De Templorũ contemptu.

Obſtare tamen nihil potuit execrabili perdiriſsimorum quorundam furori: qui, diuino timore poſito, ſacrum quid inter homines haberi ſpeciale non ſuſtinent. O ſacram verè execrandorũ canum rabiem? De qua nobis eſt tertio loco dicendum.

Gentiles aliqui Dæmonibus ſuis templa conſtrui nolebant: & cõſtructa deſtruebant.

Virus hoc ab Ethnicorum nonnullorum Δεισιδαιμονίᾳ manauit in peruerſos quoſdam ſe mendaciter Chriſti nomine iactantes. Superſtitioſa námque gentilium templa ſuis non caruere ſpretoribus, & euerſoribus: qui quidem ſuorum Dæmonũ Lucos, ac Delubra, nec in agris, nec in vrbibus eſſe volebant. Iſta Perſicorum fuit opinio Magorum. quibus authoribus, Xerxes inflammaſſe templa Græciæ dicitur: Eò quòd, parietibus includerent Deos, quibus omnia debent eſſe libera, átque patentia: quorúmque mũdus hic totus, domus eſt ac templum. Ita Cicero lib. de legib. 2. Quum Xerxes Græciam vaſtabat, Zeno tunc Athenis manebat, circiter Olymp. 70. & 80. (Eiecti Româ tum Reges fuerant, & Conſules cœpti creari) Zenonis hoc vnum dogma fuiſſe ferunt, ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν. Sacra, ſiue Templa Deorum non eſſe ædificanda. quod à Perſis omnia tunc obtinentibus hominem Cyprium didiciſſe puto. Similiter, Qui Deos, & Deorum prouidentiam negabant, ἄθεοι propterea nuncupati, Diagoras (qui temporibus etiam Xerxis docebat in Græcia) Theodorus, Epicurus in eadem ſententia cum ſuis erant. Nec iis templa ponebant, quos eſſe non credebant. Contrà, Socrates, Plato, párſque melior Philoſophorum ſentiebant. ipſius Platonis dialogum decimum de legibus adi.

Zenonem tamen dixiſſe verum ſcio, tametſi non ea fuerit ipſius mens, Rectéque ſenſiſſe, Diis ſuis extrui templa non oportere. Nec enim Dii ſunt. Incommutabile námque Dei nomen lignis,

lignis, lapidibus, vllive creaturæ non est imponendum Sap. 14. Sed hunc honorem Deo vero, Diuísque nostris coram Deo Dominóque vero malignè denegare, non est aliud, meâ quidem sententiâ, quàm Deum ipsum cum Diagora negare: cuius memoria, non in animis hominum tantùm, verùm etiam in oculis, quatenus fieri potest, assiduè versari debet.

Quomodo Templa Sanctis erigantur. Diuis autem, Sanctísque Dei Martyribus templa dixi construi, Sed coram Domino duntaxat, id est, Ad benedictionem, & claritatem, & gratiarum actionem præstandam domino Deo nostro, pro suorum sanctorum glorificatione. Non autem vt hi Latriâ colantur. sicuti pòst admonebimus. Ex ista enim Latria sequeretur mox Idololatria, & Anthropolatria. Vnde scribens Augustinus contra Maximum Arianorum Episcopum. cap.11. lib.1. dixit—Nonne si templum alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis, & lapidibus faceremus, Anathema essemus à veritate Christi, & ab Ecclesia Dei? quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem, quæ vni tantùm debetur Deo. Néque Petro igitur, néque Paulo, néque sanctis aliquibus aræ statuuntur, Auditores Christiani: sed vni Christo, qui laudabilis & gloriosus est in Sanctis suis. de quibus ipsemet protestatus est, Qui vos spernit, Me spernit. Nulla vis tamen, nec authoritas remorari valuit effrenes illos & impudentes Persarum Magos, quin discipulos mediis in adytis Christianorum post tot elapsos annos inuenirent: qui Basilicas martyrum declinarent, & in sepulchris latirantes habitare gauderent. quod à diuo Hieronymo proditur in caput Esaiæ.65.

d.can. 20. Inferius.

To.6.

Can. Qui vos. 8.q.1.

Eustathius (an primus, nescio) inter Christianos renouauit hanc impietatem, Per superbiam contemnens, Et Ecclesias ipsas χειροποιήτας (vti vocant) id est, manu factas, & ἐκκλήσεις, Id est, Euocationes & congregationes ad ipsas. Hoc illi nunquam non fecerunt, qui, despectis aliis fratribus, solos se sapientes & sanctos esse crediderunt. Eustathius iste cognominabatur ἀποτακτικός. vt superius audistis. Quales profectò sunt, omnes huius infœlicis æui Gnostici.

Hugo Ferrariensis, ætate suâ, circiter annum Do. 1200. non multò post Gratianum nominat hîc Hæreticos nescio quos Patarenos: qui, quod in sequente cano. In. 20. quóque, similiter & in isto vetatur, impiè factitabant. Istos oportet ex Valdensi-

bus fuisse: Vel ex Patarenis, Valdenses: qui tum similibus Hæresibus Ecclesiam turbabant. Honorius Papa tertius, & Federicus imperator secundus hæreticos Patetenos infamiâ perpetuâ damnarunt, eorundem bona publicarunt., & personas proscripserunt. In vlti. cap. collationis. 10. Feud. §. Gazaros—nunc dictis, vel paulo pluribus annis. Etiam in. §. Gazaros. C. de Hæret. De Patarenis habeo non æditum cuiusdam fratris Famerij de ordine prædicatorum, fragmentum, quod in opusculi fine forsitan subiiciemus. Anglia postea dedit Vuiclefuistas. Deinde Bohemia protulit Hussitas, omnes Eusthathianâ peste contaminatos. Ab Hussitis in eadem nati fuere Bohemia Thaboritæ. quorum dux & princeps extitit nescio quis famosus latro Bohemus, nomine Ryscha (Zyscham vocant alij) Ioannis Hus discipulus. qui, spretis spoliatísque per Bohemiam, vicinásque regiones templis, in monte quodam cum magna perditorum manu tentoria fixit: Sibi quémque de suis ædificare domum iussit. Montem vocauere Thabor, ab illo excélso Galilææ monte, quem Dominus transfiguratione suâ nobilitauit. Matth. 17. Illum nefarium prædonem nominabant Dominum suum, Se verò discipulos. Et domos suas appellarunt σκηνὰς, Id est, Tabernacula quare nomen inde fratrum Thaboritarum sumpsere. quod euenit circiter annum Do. 1420. paulò post Constantiense concilium. Pius papa scribens de Bohemis historiam plenius enarrat. Horrori tanto, terroríque fuit vndiquáque vicinis rabidus ille Ryscha, vt mortuo sibi pellem detrahi iusserit. Indéque tympapanum confici, quod sui prodeuntes in Ecclesias, & Ecclesiasticos pulsarent: & canis aiebat — In tympano formidabunt etiam Ryscham.

Patareni Hæretici.

Ryscha Bohemus.

Fratres Thaboritæ.

Ab annis quadraginta, Auditores Christiani, nostris Sacerdotum peccatis exigentibus (aliam certè non credo tam magni mali causam fuisse) quintus Angelus, cui data fuerat clauis putei abyssi, tubâ cecinit: & rursus aperuit abyssi puteum. Mox bestia multo cum fumo de abysso egressa est: quæ ferahbus armata Gnosticorum copiis, iterum templa contemnere, prophanare, pro stabulis ducere, in armamentaria, & ergasteria cõuertere, demoliri plæráq; cœpit—Anabaptistæ, Sagarelli, Fratres Hortẽses in sua nimborum, turbinúmque barbaria sic egerunt & agunt. Rei me cogit indignitas, auditores Christiani, Cogit, vt gemens de nobis etiam loquar. Hîc, (inexpiabile nefas!) Hîc, dico, scilicet, in celeberrimo totius orbis terrarũ theatro nudiustertius fa-

ctiosas

ctiosas,néq; tamen punitas, (prô scelus vtrúmque?) fratrum Pratensium cantilenas audiuistis: pœnam nullam vidistis.

Brugandus. A cuius improbitate nefanda puto grassatores nostrate linguâ cœptos appellari Brygans. In Brugandũ istum (nisi fallor) Episcopi 32. Galli, & Germani conuenerũt apud Theodonis villam, cõtra violentiam latronis à Regib' et primis Galliæ supplicantes auxilium sibi præstari. Synodum videas in. 2. Cõciliorũ Tomo

Can. qui aliorum 24. q. 3.

Suos quóque Ryschas habent & isti. quos, non Hæreticos tantum, sed Hæresiarchas etiam, quia defendant errores aliorum, Canon vocat. Non ita pridem, nescio quos famelicos Duces, Marchiones, Comites, & alios nefandos excursores, Ecclesiarum expilatores, & muolatores: qualis in Can. De nefando. 12. q. 2. Brugandus quidam barbarissimus homo describitur à Nicolao primo. Tum regnabat in Gallia Carolus Caluus, circiter annos Do. 860. Tales, inquam, Brugandos (cuius enim sunt emulatores impietatis, deinceps eius nomen gerant) audaciâ solâ, crudelitate, furtis, impudentiâ, libidine, rapinis, sacrilegiis, indicibilibus flagitiis tantùm nobiles, ac famosos, nullis nõ affecta probris Ecclesia, nullis non iniuriis oppressa tulit, etiamnum suffert, & adhuc patitur. Hi sunt Gnosticorum Ryschæ: qui nihil, quàm theologantur, & in Regiis passim baubantur inferni, & plus quàm Cerberei canes, Corpora quidem sua Principi se deuouisse: Non insuper hunc debere de cuiusquam religione vel anima sollicitum esse: quasi velint (& volunt) esse liberum, Credere, vel non credere. Principi suo dicant igitur (nec enim dissimile quid est.) O Rex, ne sit tibi curæ, Si quis adulteretur, Si quis furetur, Si quis in proximum grassetur, Si quis deniq; Scelus quodcúmque machinetur & aggrediatur. Isthæc tua nihil intersunt, modò corporibus, & bonis imperes. Eâdem dicant operâ, Ne sis Christianus. O miserabiliter cœcos, quicúmque rerum potiuntur, si non videant, quicquid hîc dicitur, quicquid coitur, quicquid cantillatur, in suũ caput, & dici, & coiri, & cantillari. Impetum quidem primùm fecerunt in Ecclesiam, iuxta Domini mandatum, propter nostra Sacerdotum nõn ampliùs ferenda flagitia, præcipientis viris illis, qui vas interfectionis habent in manibus suis, A Sanctuario meo incipite. Ezech. cap. 9. Gnostici sat sciunt Ecclesiam non aliam, nisi modestiæ, simplicitatis, & scientiæ, machæram gestare, quâ sibi rebelles cõtundat. Illi viderunt, Nos Sacerdotes, moribus, doctrinâ, virtutibus, exemplis, omnibus modis inermes. Exarmatos inuadunt, intrepidi nobiscum pugnant, & cõgrediuntur, & vincere videntur. A domo Dei quum sic inceperit iudicium, Quis aliorum, quæso, finis est futurus? qualem propheta prædixit eis, qui secedunt & aberrant ab Ecclesia, nec oppugnatam propugnant: Eorum viam super caput eorũ reddet Dominus. Archiam quidem regibus Gnostici loquuntur: Anarchiam meditantur.

1. Pet. 4. Can. Et purgabit Dist. 50.

Ciuiles in ore ſemper habent Magiſtratus,Poteſtates,Principum maieſtates: quos tantùm non Deos in terra faciunt: quibus obedire,tributa ſoluere,quos honorare debeant,& libenter velint,vt ſimulant. Hypocritica,& coacta eſt hæc obedientia,quam gladij metus extorquet.Nec enim dum,ſe Machærophoris eſſe pares ſatis intelligunt. At in ſuis coitionibus nocturnis altum clamant & prædicant, Si ſeruus es,Si ditioni ſubiectus es alterius, magis tibi curæ ſit,vt liber fias.Libertas omnium maximè decet Chriſtianũ. Profectò.Si iamiam ſe Principes nõ arment cautiùs aduerſus iſtæ falſę libertatis cornua,quàm dura ſint & inflexilia,breui ſentient. Apoſtolus iſtos (Aruales,Nemorales,Pratenſes,Tricliniarios intelligo fratres modò Gnoſticos) φιλαύτους, ἀστόργους, ἀσπόνδους appellat. 2.Timoth.cap.3. Sui duntaxat amantes,Affectu carentes,Omnis fœderis contemptores. Reges ab iſtius generis Alazonibus non expectent vllos ſibi fore cum Dei timore ac tremore, in cordis ſimplicitate fideles. Ad oculum ſeruiunt,ὡς ἀνθρωπάρεσκοι. Nec aliud,quàm,Bona pars eorum ἰσοτιμίαν, ἰσοτίμιαν nonnulli, Maxima pars ἀτίμιαν circumſpiciunt. A domo Dei cœpit hoc iudiciũ, deiectis ἀκαπήτοις Epiſcopis,átq; Presbyteris ſibi præfectis. (quorum ne denominationes quidem,quaſi probroſas,& contumelioſas,ferre queunt) Alios omneis humanarum quarumcúmq; politeatum primores & gubernatores, quantumlibet armatos, & gladiis fultos,indubitanter hoc idem iudiciũ manet: Vt nec ampliùs audire Principis,aut Domini ſui nomen illi ſuſtineant. Falſus ſim vates,Si non ibi regnant,quò profugiunt exulatum,& vbi decepto populo prædicant Euangelium ſuum.Malè me diuinare dicas,Si non ipſorum dux primus ad has ſeditiones,Regi tum nõ contemnendo,ſibi contradicenti reſcribere ſit auſus,inter infinita conuiciorum plauſtra, quæ nemo alius poſſit excogitare, Vos mentimini per guttur veſtrum, Domine Rex Thomiſtice. Vbi (quem ſimulant) hîc Regibus debitus honor? Hoc non eſt orare pro Regibus & omnibus,qui ſunt in Dignitate:etiam ſi ſint infideles. Execrandus eſt in nobis ſacerdotibus, is,per quem Scandalum tantum venit in Eccleſiam.fateor. Abominandi quóque, propter quos incœpit,& etiamnum durat. Sed & Væ, ſceleratiſſimis illis homicidis,agrorum,ciuitatum,templorum deprędatoribus,vaſtatoribus,& incendiariis Brugandis,per quos exercetur. Equidem crediderim nunquam ſummum Sabaoth Deum deteſtandis & Atheis iſtis exercituum ductoribus adeſſe velle. Niſi (quod ſolet) quando ſe de inimicis ſuis vindicat per inimicos ſuos,& conſolatur ſuper hoſtibus ſuis. Eſaiæ cap.1. Quando (puta,

ta) Philiſtæos, Iſmaelitas, Agarenos, Nabuchodonozores, Antiochos, modóque Turcas, & Ryſchas, in ſuum quidem ſpeciali vocatione, ſed iam propter enormia peccata non ampliùs ſuum populum mouet, excitat, & vincere facit.

SEd iſtorum nefariorum Brugandorum, ſeu Ryſcharum diſcutiamus arietes, planè ficulneos, quibus tamen audent noſtra conquaſſare templa. — Ioan. cap.4. Chriſtus ita reſpondet Samaritanæ — Mulier, crede mihi. Venit hora, quando, nec in monte hoc, nec in Hieroſolymis adorabitis Patrem. Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus: Et eos, qui adorant eum, in Spiritu, & Veritate oportet adorare.

24. q. 3. can. pen. §. Anthropomorphitæ.

Primùm vides inſultum Ryſchatum: quem leui brachio retundas Authorũ fretus auxilio ſanctorum. Specialiter hîc Iudaïci templi prædicit euerſionem Chriſtus: Ab eodem non ſemel prædictam. Matth.24. Mar.13. Luc.21. Non relinquetur hîc lapis ſupra lapidem, qui non deſtruatur. Quemadmodum plangens, obſidionem, deſtructionémque totius Hieroſolymitanæ ciuitatis futuram prænunciat, Lucæ cap.13.19.23. Quod poſt illud Chriſti vaticinium, hoc eſt, poſt eius paſſionem, circiter annos duos & quadraginta (poſt natiuitatem verò, Septuaginta duobus) euenit ſub Veſpaſiano, & Tito. ſub quibus, expugnatâ Vrbe, templum fuit incendio conſumptum. prout à Ioſepho pleniùs deſcribitur excidium. cap.9. & .10. libri ſeptimi De bello Iuda. Inter cætera dicit ibi, Iamdudum, Dei ſententiâ, templum illud igne damnatum fuiſſe. Ni fallor, ad Eſaiæ prophetiam. cap.29. reſpiciens, vbi eſt — A Domino exercituum viſitabitur Ariel (id eſt, Leo Dei, Templum, videlicet, & Altare, quod erat in Hieruſalem. ſicut interpretatur Hierony.) in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & flammæ ignis deuorantis. hoc exponens ait idem Hieronymus, Templum comburendum ſignificat. Itáque, Venit & inſtat hora, quũ non adorabitis Hieroſolymis — Templo, videlicet, in fauillas & cineres diſſoluto. quo in loco, nec aliubi, Iudæis adorare, & ſacrificare per Legem tantùm licebat. d. cap. Deut.12. Sed iam lege Chriſti certus nullus adorandi præſcribitur locus, ita vt aliubi ſit nefas adorare. Senſus iſte verus eſſe mihi videtur Euangeliſtæ. Quem Paulus quóque prætendit. 1. ad Timoth. cap.2. Volo viros orare, ſimiliter & mulieres, in omni

loco. Non propterea Synaxes contemnens, vel ad templa vetans accedere, ficut hîc afferit Zonaras. Quapropter, magnâ cauillandi rabie laborant (perpetuo Gnosticorum morbo) inde colligentes, euerti nostra Christianorum templa debere.

Sed (aiunt) in Spiritu & Veritate oportet adorare. Arguté. quasi nõ possimus in templo sic adorare: sed oporteat nos in pratum Clericorũ, vel in suburbanos lucos, & hortos exire, vel in aliquod nuptiale triclinium conuenire, si velimus in Spiritu & Veritate Patrem adorare. Nunquid isto Spiritali modo Prisci patres Abel, Seth, Enos, & alij nominati superius in principio Canonis, ad altaria sua conuenientes adorarunt, & coluerunt Deum? Non equidem puto Christum de talibus hîc negare voluisse, quin Spiritu & Veritate fidentes adorarint. Deus enim Spirituales adoratores & à Iudæis olim, & nunc à suis etiã Christianis exegit, quæsiuit, & quærit vbique. Nam, qui Spiritaliter, & in Veritate non orat, siue id in templo, siue in agro faciat, is nec orat, nec adorat. Deus igitur vbiuis coli vult in Spiritu & Veritate. Hoc est, Animo nõ ficto, non hypocritâ, sed in Fide, Spe, & Charitate. in corde contrito & humiliato quod tum demum fit, quum pias & puras manus attollimus in cœlum, nulli malè volentes, ábsque ira & disceptatione. Semigẽtilis quidam Sapiens & hoc nos dudum docuit, alloquens filium suum.

Nõ nisi in Spiritu et Veritate verè Deus adorari potest

Si Deus est animus, nobis vt carmina dicunt.
Hic tibi præcipuè sit purâ mente colendus.

Spiritalibus enim sacrificiis Deo tantùm litatur.—Huic interno & spiritali cultui, (quãdo colentis & adorãtis animus nullis auaritiæ, libidinis, ambitionis sordibus est maculatus) loca nostra sacra non obstant, imò contrà, iuuant & incitant affectum precantis. Ergo sacrilegus & impius est, quisquis ea contemnit, & violat. Idolorum fana Gregorius euerti noluit: sed in Ecclesias dedicanda mandauit. Epist. 71. libri noni: Et impie tu Misonãe non formidas sacrata Deo, manu verbísque temerare? Sed, quid non audet lingua dolosa dicere? Et manus impia facere?

Stephanum deinde, & Paulum concionantes auxilio sibi vocant: Illum Iudæis, Hunc Atheniensibus. Act. Apost. cap. 7. & 17. Vtriúsq; summa concionis est. — Deus excelsus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt. De quo Propheta dicit, Cœlum mihi sedes est, & Terra scabellum pedum meorum. Quum sit hîc cœli, terræque Dominus, non in templis manu factis, inhabitat,

tat, nec manibus hominum colitur. Quam domum ædificabitis mihi? dicit Dominus. aut quis locus requietionis meæ? Nonne manus mea fecit hæc omnia?

Certè, Balista, ni plumbea foret, omnia comminuere potens: vt ne lapidi quidem lapis impositus relinqueretur in templis nostris: quibus tamen impacta suo se ipsa conterit ictu. Salomon non ignorauit, omniúmque primus fortissimè retudit: quippe qui post absolutum, iámque Domini gloriâ plenum suum templum, Sic exorsus est orationem suam. Ergo ne putandum est, quòd verè Deus habitet super terram? (id est, in isto pusillo templo) Si enim cœli cœlorum te capere non possunt, quanto minus domus hæc, quam ædificaui tibi? d. 3. Reg. cap. 8. Quum Salomon tanto sumptu celebratissimum illud suum templum Deo dedicabat, haudquaquam putabat eo se templo, veluti claustro aliquo, Deum cõcludere posse (quæ vana fuit Persicorum Magorum, posteáque nonnullorum Græcorum opinio) quod ex prædictis satis intelligitur verbis. Sed quia Deus promiserat Patribus electurum se locum specialem, vt esset nomen eius in eo: quò, nec aliò, præceperat hostias omnes, & pia populi vota deferri. d. Deut. cap. 12. Quẽ tum manifestè locum delegit, quum Dauidi Salomonis patri pollicitus est, Filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit mihi domum. d. 3. Reg. cap. 8. quam diuinam promissionem sciebat & ipse Salomon: propterea sic pergit orare — Sed respice ad orationem serui tui, & populi tui Israel hoc in loco factam, & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo. Dei vides habitaculum in cœlo, simul & in templo: non velut hominis domo suâ clausi, quum Deus nullo circumscribi loco possit, & nusquam præsens non adsit, cuius plena sunt omnia. Sed Deus in templo singulariter inhabitat, sicut in loco præ cæteris à se delecto, vbi sint, ob assiduum diuini cultus exercitium, exaudibiliores supplicantum preces & orationes. Tunc enim Pietas & Religio, sine quibus impossibile est placere Deo, maximè versantur in animis nostris, quum rebus diuinis operam damus in templis nostris.

Deus est in templo, quum tamen non sit in aliquo loco.

Hîc operæprecium me facturum puto, si vigesimam totam Augustini quæstionem (nec enim longa est) ego transcripsero ex Octoginta trium quæstionum libro. sic ille disserit. — Deus alicubi non est. Quod enim alicubi est, continetur loco: quod continetur loco, Corpus est. Deus autem non est corpus: Non igitur alicubi est. Et tamen quia est, Et in loco non est, In illo sunt potiùs To. 4.

omnia,quàm ipse alicubi: Nec tamen ita in illo,vt ipse sit locus. Locus enim in spatio est,quod longitudine,& latitudine,& altitudine corporis occupatur. Nec Deus tale aliquid est. Et omnia (To.6.) igitur in ipso sunt: Et locus non est. Locus tamen Dei abusiuè dicitur Templum Dei: Non quòd eo contineatur,sed quod ei præsens sit. Id autem nihil melius, quàm anima munda intelligitur. Hæc Augustinus. vnde percipere facile est,quomodo nostras Ecclesias Deus incolat. Eundem videas cap. 10. libri contra Adimantum.

Atheniensis illa concio, quâ Deus hominum coli manibus, & in templis hominum manu constructis habitare negatur, ab ipso cõcionante exponitur. κολοβῶσι Gnostici mutilam pro more suo citant. Ibi enim subditur, Indigens aliquo,quum ipse det omnibus. Id est, Deo templa non ædificantur, Deo nihil offertur, quasi,vel egeat ille,qui mundum,non sibi,sed homini,fecit: qui de se ait, Si esuriero, Non dicam tibi, Meus est enim orbis terrarum,& plenitudo eius. Psal.49. vel quasi re delectetur aliâ, quàm purâ & resipiscente animâ. quod est acceptissimum Deo templum. Non semel hoc attestante Paulo. Templum Dei estis: & Spiritus Dei habitat in vobis. Iterum, Templum Dei Sanctum est, quod estis vos. Item — Membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti,qui in vobis est. Atque iterum — Vos estis Templum Dei viui. Prioris ad Corinth.3.&.6.cap.&. 2.Corinth.cap.6. Ad Hebr.cap.3. Domus Christi sumus nos: si fiduciam,& gloriam spei firmam úsque ad finem,retineamus. In lapideo quidem,siue materiali Templo Deum colimus,& sacraméta recipimus. de quo quidem nihil vetat illud intelligere Pauli, Si quis Templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Verum tamen sciamus quòd τὸν ναὸν τὸν χειροποίητον τύπον ἐστὶ τοῦ ναοῦ τοῦ ἀχειροποιήτου. Id est, Illud manufactũ, siue Materiale templum, typus est& figura templi nõ manufacti. videlicet, Omnium Christi fidelium. de quibus ait Petrus, Et vos tanquam viui lapides ædificamini domus spiritales. 1.Pet.2. Paulus quóque, Dei ædificatio estis: cuius & se profitetur Architectum. d.cap.3. Dei Templum est, Non lapides, aut lutum, sed homo ipse, qui figuram Dei gestat. vt ait Lactantius. cap.8. libri de Iustitia.

Nec oblationibus nostris, Néque téplis indiget Deus: sed ipsi sumus, qui talibus indigemus.

Irenæus cap.34. lib.4.

In fine cap.21. li.2.off. Sed agimus de templis, non iis hominibus, sed ab hominibus, & hominum manufactis. De quibus Ambrosius — Hoc (ait) Sacerdoti maximè conuenit, Ornare Dei Templum decore congruo:

gruo: vt hôc etiam cultu resplendeat aula Domini. Nepotianus Presbyter à Hieronymo laudatur, quòd in omnes Cæremonias piè dispositus esset, ac solicitus, Si niteret altare, Si parietes absque fuligine, Si pauiméta tersa, Si ianitor creber in porta, Vela semper in ostiis, Si sacrarium mundū, Si vasa luculenta: qui Basilicas Ecclesiæ, & martyrum conciliabula diuersis floribus, & arborum comis, vitiúmq; pampinis adumbrarit: & quicquid placebat in Ecclesia, tam dispositione, quàm visu, Presbyteri laboré, & studium testaretur. Anni plus mille cum ducentis præteriere, quibus hæc de templis nostris chîrotopûs ab Ecclesiæ Catholicæ doctoribus (nescias, Doctioribus, an Sanctioribus. græcos, & antiquiora Cōcilia non recito) scripta fuere. quæ nunc, quā curā possumus, obseruamus. Cur hæc, impij Myconinistæ, subsamnatis? Tempora samnis vestris, & Antecessores opponimus.

In Epita. Nepoti. To.1.

Cæterùm, de duobus hîc meminerimus, Auditores Christiani. primùm, quòd tametsi templi structura minor sit, aut eius ornatus, attamen non debet esse minor in eo Dei cultus. Iudæi de Babylone reuersi quum modicum duntaxat altare cōstruxissent, inferius, & incomparabiliter minus illo priore Salomonis, Oblatorum puritatem propterea non valde curabant, & immunda recipiebant. Ibi námque putabant deesse religionis sanctimoniam (verbis hoc Hieronymi, quum nequeat aptioribus, referam) quia deerat ædificationis ambitio: Mox audiunt à Domini Propheta Malachia.cap.1. Ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum: & dicitis — In quo despicimus nomen tuum? Offertis super Altare meum Panem pollutum. Et dicitis — In quo polluimus? In eo, quod dicitis — Mensa Domini despecta est: καὶ τὰ ἐπιτιθέμενα ἐξουθένωται. (prout est in Septuaginta) Et ideo, quę superposita sunt, nihili fiunt, & contemnuntur, quia vilis & contemtibilis est ara ipsa. Grande profectò scelus ascribere gemmis & auro, Sacrorum, Sacramentorúmque diuinitatem. Vasis ligneis, Stanneis, Argenteis, Aureis nihil addi vel detrahi mysteriis nostris docebamus in Can. Aposto.73. iuxta Can. Vasa. de consecr. Dist.1. Sacra semper Sacra sunt, etiam si tenue, modicum, testaceum fuerit Altare.

Templa, quò sunt ornatiora, nō sunt eò plus maiestatis habere credenda.

Sed & hîc venit in memoriā secundò reuocandum, quod Hieronymus, Demetriadem docens virginitatem, scribit. Non satis esse parietes ædificare, columnas Ecclesiæ substruere, & in his lapidibus pecuniā effundere, qui cum terra & seculo transituri sunt.

To.1.

Non reprehendo, Non abnuo (dicit ille) sed hoc nō satis est, Nisi pariter & in nobis extruamus Deo viuenti viuum quóque templum. Quibus autem lapidibus isthęc structura fiat, in eadem (ne sim prolixior) legas epistola. Similiter apud Augustinū differentem, Quomodo Christus vbíque sit. Epist. 57. Si fiduciam habuerimus in auratis laquearibus, & in ædificiorum splendore: dixerimúsque, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini: certè confidimus in verbis mendacij. Hierem. 7. Illud est enim Templum Domini (sicut ait Hieronymus) in quo vera fides habitat, Sancta conuersatio, & omnium virtutū chorus. Hæc est Domus fidelis. Hoc est immortale Templū: In quo si quis non sacrificauerit, immortalitatis præmium non habebit. ex Lactantio cap. 14. De vera sapientia. Certè, Nisi quis Deo Templum struxerit in anima sua, nihil est, quod ab alia Templi constructione, debeat expectare. quod Hieronymus Agg. cap. 2. probat. Architectus ille cœlestis (cuius & ipsi sumus exterius opificium) tale sibi dignetur interius in nobis construere Templum. Amen.

To. 2.

To. 6.

Firmius & incorruptius Dei templum est pectus humanum.

ΚΑΝῺΝ .5.

Εἴ τις παρὰ τὴν ἐκκλησίαν ἰδίᾳ ἐκκλησιάζοι, καὶ καταφρονῶν τῆς ἐκκλησίας, τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐθέλοι πράττειν, μὴ συνόντος τοῦ πρεσβυτέρου, κατὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ἀνάθεμα ἔστω.

In domo Dei (quæ est Ecclesia) semper ea fuit œconomia, Vt sine patrisfamilias (qui Christus est) aut eius Legatorum seu Vicariorum (qui sunt Episcopi, & Presbyteri) Voluntate, nihil agatur.

CANON .6.

SI quis extra Ecclesiam priuatim conciones habet: Et Ecclesiam contemnens, ea quæ sunt Ecclesiæ vult agere, Non adstante Presbytero, cum voluntate Episcopi: Anathema esto.

Apo-

Apostolici trigesimi primi canonis authoritate Patres in Gãgris præsentem promulgarunt legem, aduersus Eustathium qui nondum factus Episcopus, Episcopum tamen agebat. Id est, quos poterat ad se populos priuatim vocabat, & domi conciones habebat: vbi (quod suprà docuimus) homo Apotacticus vsu iam publico recepta multa nouabat. Id audebant & eius sequaces, Ecclesiam quoque multâ proteruiâ negligentes. Nam, quocúmque locorum placebat, vnà conueniebant: & ibidem non tam Synaxes, quàm Parasynaxes (vt in lege dicitur) agebant: Ibi sacris mysteriis vacabant: & Ecclesiastica non in Ecclesia tractabant ábsque Presbytero: Néque factum probante Episcopo. Quod in ecclesia Christi nunquam licuit: imo specialiter hoc vetitum fuit. Ne priuatim, publicéve, sacri aliquid quis ageret, Episcopo non consulto, néque consentiente. Prolixè declarabamus hoc in d. can. 31. & in can. 38. Quamobrem, pauca sufficiat hîc dixisse.

Ecclesiasticũ non est, quod Ecclesiastico modo, ritúque non geritur.

L. Quicúmque. C. de Hęreti.

Præ cæteris occurrit hîc aliquid obseruatione dignum. Canone præsenti cauetur, quòd, Nemini licet παρὰ τὴν ἐκκλησίαν ἰδίᾳ ἐκκλησιάζειν, μὴ συνόντος τοῦ πρεσβυτέρου, κατὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου. Græci decreti sunt hæc ipsa verba: quæ Latinè reddita sonant—Nemini licet extra vel præter Ecclesiam priuatim (publicè multò minus, Id est, in ipsa Ecclesia) conuentum celebrare, non simul adstante Presbytero, secundum sententiam Episcopi. Suam sumpserunt hinc legem Christiani principes Arcadius & Honorius, centum circiter post annos, quæ refertur in tit. De episcopis & Cleri. C. Quum verò debeat ex antiqua Patrum constitutione, in omnibus Ecclesiæ negotiis adesse Presbyter Ecclesiæ, cum Episcopi cognitione, sicut hîc habetis.—Ideo mihi canonica non videntur ea collegia, quæ prætextu religionis habentur in Ecclesiis ábsque Presbytero, & sine speciali Pontificis authoritate. Qualia sunt per Ecclesias Gallicas Æditũorum collegia, Presbyteros Ecclesiarum parochos excludentia, nec Episcopi consensu probata, vel instituta. Scio doctorum quorundam sententiam in contrarium ferri. quam solâ lege primâ. ff. de collegiis illicitis. defendunt. Quâ similiter lege, quod assero, defendere possum. Martianus ait—Religionis causa coire non prohibetur: dum tamen nihil fiat contra Senatusconsultum, quo illicita collegia prohibentur. In Ecclesia simile dico. Non improbo singulare παροικῶν (phani, scilicet, inquilinorum, vel accolarum) collegium: dum non fiat contra canones, qui iubent adesse Presbyterum. vt hîc: Qui canones, φρατρίας vetant: Qui fabricam soli Presbyterorum solici-

L. Conuenticula.

Laicorum phratriæ quæ sub Ecclesiæ Tutelariorũ, vel ædituorũ nomine fiunt in Parœciis, excluso Parœciæ Curatore, non sunt in Canonibus approbatæ.

Can. Cõiuratio-num. 11. q. 1.

Can.Vulteranæ. & duob. seq.12.q.2. tudini mandant: in quam quicquid erogatur, Episcopo non tantùm sciente, sed etiam disponente, debet erogari. Sic Papa Gelasius primus, anni sunt plus mille, seruari solitum rescripsit. Præterea, Doctores, atque defensores istorum μαργαινόντων, In presbyteros tam procaciter agentiũ, mihi dicant. — A Tenebris ad Lucem colligere fas ne est argumentum? scilicet, à Iouis Δεισιδαιμονίᾳ ad Christi religionem? à Dæmoniorum tenebris ad Euangelij lucem? Suos illi sibi pro suis affectibus fingebant Deos, alios alij: quibus sodalitates, & sacra peculiariter instituebant: ἱερεῖς ὀργίων, συνθιασώτας, συναπτίους, ὁμοταφίους habebãt, & innumera generis istius nugamenta. de quibus in. l. vltima. d. tit. de colleg. illicitis. Vnus autem nobis & verus, non ascititius, est Deus. Vna vera, certáque lex. Itáque, si Christiani sumus, non amplius ita ratiocinemur, nec argutemur—Ethnici suæ causâ religionis (quæ tamen religio non erat) quum volebant, & quò volebant, ipsi coibant: ergo licet hoc etiam Christianis. Quorsum (quæso) fidelium Patrum canones, si moribus & legibus infidelium viuere, nostráque regere velimus adhuc? Et, Ne parodoxum quid proposuisse videar, attendite quid Pontifex Innocentius quartus ea de re scriptum reliquerit, anni sunt plures quadringentis.
Cap.Dilecta. Religionis (ait) aut pietatis causâ constitui quidem Collegia possunt, vt missas pro viuis & defunctis celebrent, vt oppressos iuuent, vt eleemosynas faciãt, & pro consimilibus. Verùm, quum Collegia ista, & Rectores eorum subsint ordinariis & maioribus Potestatibus (vt mihi quidem videtur) ad eorum iussum destrui possunt, & prohiberi ne incipiant. Hæc ille in principio, & in fine cap. 14. de excesib. prælat. in antiq.

Ad nostrum can. Vetus interpres Concilij non per omnia respondit elegantiæ Patrum: sensum tamen expressit.

In Cataphronitas hoc decretum fuit. Id est, in eos, qui non ad ad sobrietatem, nec ad modestiam, sed nimis quàm superbè sapiunt, altius aliquid & excellentius de se, quàm par sit, ac deceat, existimantes, de seque nimium magnifica sentientes: & nõ in humilitate, & simplicitate, prout vnicuíque Deus dona sua gratuita diuisit. ad Ro.12. Immorigeri propterea facti, maioribus obedire nolebant. Imò, nullos in Ecclesias se maiores, aut superiores agnoscebant. Atqui, legimus à Paulo mandatum— Obedite præpositis vestris, & subiacete. Ipsi enim vigilant pro animabus vestris rationem reddituri. ad Hebr. vlt. Hegemonas illos Apostolus proculdubio vult intelligi, qui nobis in via salutis præsidea

sides & duces existunt, sanè, Presbyteros, & Episcopos.

Id autem genus homines, qui derelictâ Maiorum viâ, semitas & diuerticula quærunt (Presbyterorum suorum, dicimus, & Episcoporum contemptores) Canones appellant συνασιάστας, στασιώδεις, φράκτορας, atque τυράννους. Id est, Coniuratos, Conspiratores, Seditiosos, deníque Tyrannos, ideo quòd obedire nullius imperio, sed suo parere velint omnes.

Tyrannus est in Ecclesia, qui legibus regi non vult Ecclesiasticis.

Can. Cõiuratio-nũ. & sequentib. cano. 11. q. 1.

Annis non adeo multis post synodum Calchedonensem, quæ congregata fuerat anno Christi. 454. nescio quis Seuerus ex Abysso putei solutus exiliit, eam sanctam Sexcentorum triginta Patrum synodum, pariter & omnia, quæ præcesserant, concilia superbè despiciens, dissolutè ridens, & procaciter impugnans. Episcoporum se decretis & obedientiæ subtrahens, vni sibi de rebus diuinis, & Ecclesiæ sacramentis credebat. Successoribus non caruit. Et his (quæso) quando caruit Diabolus? in rebus etiam quantumuis absurdis, & horrendis?

Seuerus in Ecclesia primus dictus Acephalus.

Impotentes istos & licentiosos homines appellare cœperunt Ἀκεφάλους, Id est, Sine capite, seu Capitis expertes: qui nullum supra se caput, hoc est, Dominum habere volebant. Ἀκέφαλοι (ait Suidas) Αἵρεσίς τις, ἧς ἦν σευῆρος ἔξαρχος. Acephalus (inquit) Hæresis quædam, cuius erat Seuerus princeps. Eutychetis hic propugnator adeo pertinax erat, vt maluerit ab vniuersali Ecclesia, quàm ab impietate priuata deficere. Christum negabat ex duabus naturis existere: sed in eo solam diuinam permansisse naturam post assumptam humanam. qui fuerat Marcionis error, asserentis Christi carnem putatiuam fuisse. quod & Valentinus, & Apollinaris, & Manichæus asseuerabant. Contra quos illud est ex Athanasij symbolo. Sicut anima rationalis & Caro, Vnus est homo: Ita Deus & Homo, Vnus est Christus. Quum verò conciliorum premeretur authoritate, Patrúmque sententiis, néque vinci vellet (Hæreticus alioqui non fuisset) à Maioribus & Conciliis omnibus desciuit, ab antiquis tradita & præcepta omnia contempsit. Hoc euenit anno. Do. 461. quum diem suum Martianus Imperator obiisset: cuius imperio, Papæque sanctissimi Leonis primi solicitudine Synodus illa Calchedonem conuenerat. A quo quidem Martiano lex octaua de Hæreti. C. lata fuerat, anno Imperij sui vltimo. videlicet, Anno. 459. contra infœlicissimum illum Monachum Eutychetem Constantinopolitanum, con-

Humanæ carnis veritatem negantes in Christo.

tráque ſequaces: quos lex nominat Eutychianiſtas, & ſeuerisſimè punit. Nam prǽterquam, quòd in Eccleſia nemini ſubiici volebant (Acephali propterea dicti) de Chriſti quóque ἐνανθρωπήσει (prout dixi) valde impia ſomniabant, Verbi Dei, & carnis vnam eſſe naturam pronunciantes. Chriſtum, videlicet, humani quidem corporis ſpeciem geſtaſſe, Humanæ verò carnis veritatem Verbo vnitam minimè fuiſſe. vnde horrenda naſcebantur opinionum monſtra. de quibus in xi. Leonis Epiſtola.

Eccleſiæ conſuetudo poſtea, Clericos illos qui nullius Epiſcopi diſciplinâ, nullius Senioris prouidentiâ gubernari vellent, qui Præpoſitos ſuos contemnerent, & ab ipſis temerariè ſecederent, & ſi aliter à Fide non aberrarent, Acephalos nominauit. can. Nullâ ratione. 93. diſt. Rauennatum Eccleſiam, quæ multo ſe tempore ſegregarat à Romana, Nec vllam ſupra ſe volebat agnoſcere, propterea vocarunt ἀμοκεφάλων, ſiue, ἀυτοκεφάλων quæ ſibi caput eſſe volebat. Hanc diſſenſionem, quæ plures, quàm trecentos, durarat annos, Domnus papa ſedauit, Apoſtolicæque ſedi obtemperantem reddidit circiter an. Do. 675.

Acephali ſic deſcribuntur in cano. 22. concilij Maguntiaci, habiti anno Do. 813. ſub finem Pontificatus Leonis. 3. & Imperij Caroli Magni.—Acephali, id eſt, Qui ſine capite ſunt, Neque ſub Epiſcopo, néque ſub Abbate: ſed ſine canonica vel regulari vita degentes, libertate gaudentes, ſolo ſuo deſiderio feruntur. Hos ab Epiſcopo primùm volunt excommunicari: quâ pœnâ ſi non emendantur, ad Archiepiſcopi iudicium duci mandant: quos, ſi non poteſt corrigere, vinculis demum conſtringi, carceréque publico ſeruari præcipiunt, ad magnam vſque ſynodum. Id eſt, Quoúſque nationis, aut regni totius congregentur Epiſcopi. Tum vagabundis optio dabatur, vtrùm mallent, à Rege, vel à Synodo iudicari. Priſcorum decreta videmus in Acephalos, qui ſuis Epiſcopis non obediunt. Indubitanter hi reprobi & iudicio, conciliόque rei tenentur. De quibus egimus in can. Apoſt. 34. Et de vagis Clericis dicebamus in principio partis vltimæ Exegeſeos noſtræ.

Can. Qui ſuis 93. diſt.

Non plura nunc proponemus, Nec aliud cōcludemus, quàm quod Irenæus colligit cap. 43. libri quarti aduerſus Hæreſes, inquiens—Quapropter, Eis, qui in Eccleſia ſunt, Preſbyteris obaudire oportet: His, qui ſucceſsionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſten-

Quicúmque veteres Eccleſiæ ritus, & ſucceſsiones, átque traditiones non ſe-

quuntur, aut Hæretici, aut Schismatici, aut Hypocritæ sunt. Hoc sentit Irenæus.

ostendimus:qui,cum Episcopatus successione, charisma veritatis certum,secundum placitum patris,acceperũt.Reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocúmque loco colliguntur,suspectos habere: vel quasi Hæreticos,& malæ sententiæ: vel quasi scindentes,& elatos,& sibi placentes:aut rursus, vt Hypocritas,quæstus gratiâ, & vanæ gloriæ hoc operantes. Vir sanctus exinde confert Hæreticos,& alienas ipsorũ doctrinas,Abiu, & Nadab,filiis Aaronis,alienũ ignem offerentibus ad altare Dei: quapropter,vt hi,sic igne cœlesti comburentur & illi.Leuit. cap. 10.Qui autem scindunt,& diuidũt vnitatem Ecclesiæ(nostri,puta,Stasiodę)sicuti de Ieroboam, non relinquet ex eis Dominus mingentem ad parietem.Iamdudum sua cœpit exercere,& exercet occulta quotidie iudicia.Donet ille tandem nobis,Vt Vnum simus omnes,quemadmodum ille cum Patre Vnum est.Amen.

Can. Inter hæc. de pœnit. dist. 3.

ΚΑΝΩΝ. ζ.

Εἴ τις καρποφορείας ἐκκλησιαστικὰς ἐθέλοι λαμβάνειν, ἢ διδόναι, ἔξω τῆς ἐκκλησίας, παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ἢ τοῦ ἐγκεχειρισμένου τὰ τοιαῦτα, καὶ μὴ μετὰ γνώμης αὐτοῦ ἐθέλοι πράττειν, ἀνάθεμα ἔστω.

Ecclesiæ bona vel beneficia dispensare nemo debet, Episcopo non consentiente.

CANON. 7.

SI quis oblationes Ecclesiasticas, haud in Ecclesia, sumere vel dare voluerit. Non ex Episcopi,vel eius,cuius manibus administrandæ sunt commissæ,cõsilio: velítque, non secundum voluntatem ipsius, aliquid agere, Anathema esto.

Quod hoc in canone, sequentíque statuitur, ex quatuor Aposto.canonib.emanasse videtur.38.39.40.&.41. quorum summa est. Néque Spiritale quid,neque Temporale gerendum est in Ecclesia, sine Rectoris Ecclesiæ (puta) Presbyteri,& Episcopi

voluntate. Conueniunt ea, quæ dicta modò fuere in præcedenti Canone.

Cap. Causa Carpensis. & cap. Quũ inter vos.

Quid per Oblationes intelligant Ecclesiastici scriptores, dudum nos in Analectis nostris explicabamus. cap. 13. & cap. 29. de verb. sign. In antiq. Græci canones appellant προσφόρας, & καρποφορίας. Prisca latinitas (quod ibi cum Festo Pompeio dicebamus) Offerrumenta vocabat ea, quæ Diis suis offerebat. Nostrum vulgus Offerendas: Ideo futuri voce, Quia Populus in manum dabat Sacerdoti, quod Sacerdos postea, nomine populi, specialiter offerret Deo. Sic enim Hieronymus aduersus Luciferianos — Sacerdos quippe pro Laico offert oblationem suam, imponit manum subiecto, Reditum sancti Spiritus inuocat. quod obseruari solitum cognoscis ex Innocentij primi Epistola prima. Res in Ecclesiis antiquissima: inter pios omnes ac religiosos Dei cultores, ab ipso Abel durans in hoc vsque tempus. Benedictiones, Eulogiæ, Collectæ Paulinæ, sunt Oblationes. Iuxta quod in Deuteronomij capite. 16. Mandatum fuerat - Non apparebit ante Dominum vacuus. Sed offeret vnusquisque secundum quod habuerit, Iuxta benedictionem domini Dei sui, quam dederit ei. Subindéque repetitum legimus - Honora Dominum de tua substantia. prouerb. cap. 3. Sic enim pro modo facultatum nostrarum foris & exterius interioris animi nostri gratitudinem testamur erga Dei beneficentiam: & in bonis nostris agnoscimus erga nos bona, beneficiáque Dei. Néque mihi (quod Gnostici mouent) Paupertatem quis obtendat. Etiam, quæ sola supersunt ad victum, mittamus in gazophylacium. Laudauit enim Dominus pauperculam viduam, quæ sic fecisset Lucæ. 21. Vna tamen cum donis & oblationibus istis meminerimus Hostiam viuam, Rationalem, Deo placentem (nosmetipsos, videlicet) offerre Deo. Nam superuacanea forent alia quæuis munera.

To. 2. Can. vlt. de conse. dist. 1.

Can. Omnis Christianus. de consecr. dist. 1.

Christiani debent in primis offerre se totos Deo: postea de suis, id quod possunt.

Quomodo autem veteres olim Christiani, & quando suas oblationes reddiderint, apud Tertullianum legimus in Apologetici contra gentes pro Christianis, cap. 39. (si modò liber ille fuit in capita distinctus) Vbi de ritibus, moribus, & disciplina Christianorum tractans ille, quum dixisset — Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum, quasi manufactâ, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Pòst paulò subdit — Atqæ quoddam genus illic est (nonnulli corruptissimè legunt,

Oblationum modus, átque tempus.

legunt, Artis) Non de Oneraria summa, quasi redemptæ Religionis, congregatur. Modicam vnusquisque stipem, menstruâ die, vel quum velit, & si modò posit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc ibi Tertullianus. qui & alibi frequenter Oblationum meminit. Oblationes pro defunctis annuâ die facimus. ait in libello de corona militis. Ac Cyprianus Oblationes cum precibus persæpe nominat. In Epistola. 9. libri primi vetat - Ne pro dormitione cuiusdam Victoris, in Ecclesia fiat Oblatio, aut deprecatio: quia nimis grauiter Ecclesiam læsisset. Hieronymum nunc audistis: qui, præsertim Prophetas exponens, totus est, dum locus occurrit, in Oblationibus describendis & commendandis. Augustinus pariter hîc inter alia, respondens secundæ quæstioni Dulcitij, docuit, quòd, Oblatio, quæ fit pro quiescentibus, ipsorum confert animabus. Et in libro de cura pro mortuis agenda. Reliquos omitto. Néque plura colligere decet. Satis hæc Oblationum demonstrant vsum. Tépus verò non semper idem. Fabianus papa, martyr Christi sanctissimus, Cypriani coëtaneus, annis post Tertullianum circiter centum, crescente in dies multitudine Christianorum, constituit. Vt, non iam menstruâ die, hoc est, Singulis mensibus, sed singulis Dominicis diebus, ab omnibus viris & mulieribus fieret Oblatio tam panis, quàm vini. Vt per has immolationes (ait) à peccatorum suorum fascibus liberentur. Hoc inuenies inter eius decreta, primo Concil. tomo relata. To. 4.

Oblationum in plerisque Vanitas, Auaritia, & Corruptela.

Illa verò Tertulliani arca, siue γαζοφυλάκιον, facit, vt Fideles coniiciam (prout Euangelium docet) in occulto suas Oblationes dedisse: Nec alium sciuisse, quid alius in arcam mitteret. Eò postea, vel Offerentium vanitate, vel Sacerdotum cupiditate, vel vtróque, res deuenerat, Vt publicè Diaconus Offerentium nomina recitaret, ac enunciaret, quantum quísque detulisset, ex ambone clamans, Ille tantum pollicitus est. Illa tantum obtulit. Sic (ait Hieronymus) Redemptio peccatorum (pro peccatis enim fiunt Oblationes) mutabatur in laudem peccãtium. Quod ille grauissimè reprehendit in Ecclesiarum principibus hoc apud se ferentibus. exponens illud Hieremiæ, Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit tam multa scelera, cap. 11. Insuper & Ezechielis cap. 18. quum de virtute decima loquitur, vbi est; Si panem suum dederit esurienti. Quod Innocentius primus vetuit etiam fieri, iam. d. can. vlt. de cons. dist. 1. Sed & istarum Oblationum colore committebantur alia quædam valde reprehensi-

bilia: per quæ ſanctitas, & honeſtas Eccleſiæ turbabatur. Apollonius Eccleſiaſticus ſcriptor apud Euſebium recēſens Mōtani Phrygis errores maximos & impiiſsimos, inter alios obiicit vnum, quem referam, tum propter oblationum demonſtrandos abuſus, tum quòd audiam Gnoſticos æui noſtri ſimile quid agere. Capite.18. libri quinti de Montano ſic dicit. —ὁ ἐπ᾽ ὀνόματι προσφορῶν, τὴν δωροληψίαν ἐπιτεχνώμενος: ὁ σαλάρια χορηγῶν τοῖς κηρύττουσιν αὐτὸν τὸν λόγον. ἵνα, διὰ τῆς γαστριμαργίας, ἡ διδασκαλία τοῦ λόγου κρατύνηται. Id eſt, Qui (Montanus) ſub nomine Oblationū cōmentus eſt acceptionē munerū. Qui ſalaria ſuppeditauit prædicantibus ſermonē ſuum, quatinus per gaſtrimargiam doctrina ſui ſermonis obtineret. Hîc licet intueri Gnoſticorum technas, quibus illorum ſermo, viam faciente gaſtrimargiâ, tam periculoſè ſerpit. In catalogo ſuo Gennadius Iulianum reponit Epiſcopum Capuanum: quem ſex elegantiſsimis libris Auguſtinus contudit. Ille Pelagiano captus errore, ſcriptis ſuis, átque libellis hæreſin, quà poterat, vt ſolent omnes Hæretici, promouere tentábat: vſus & aliâ inſuper arte, Gnoſticis pariter vſitatiſsimâ. Famis enim tempore, ſua quóque diuendens, Eleemoſinas magnas indigentibus, & in anguſtia poſitis erogabat. Quâ benignitatis & miſericordię ſpecie deceptos quamplurimos ad impietatem ſuam traxit. Non alius nunc eleemoſinarum finis ſpectatur à Gnoſticis.

Apud Euſebium vides etiam reprehendi quòd, Per exactiones, & auaritiam ſacerdotū, de Proſphora fiat Dorolepſia: quum pro receptione Chriſmatis, aut alicuius ordinis promotione, pro nuptiarum benedictione, pro ſepulturis ac mortuorum funeribus & exequiis, aliiſque ſacris adminiſtrandis, precium ſpectatur, & exigitur: quod horribile nimis eſt in Eccleſia Chriſti: propterea vetitū ſtrictiſsimè quomodo lex quædā Romana vetat, Ne xenia magiſtratuū producantur ad qualitatē munerū. In eccleſiaſticis iſtis Oblationibus aliud etiam nō rarò, néque minus, interueniebat erratū. Sæpe námque magis gratiâ, quàm veritate diſtribuebātur: & habebāt ſpeciem quamdam Largitionis, quâ recipientes corrumperentur. vt à neſcio quibus olim diuiſoribus Romanis diſtare non viderentur Eleemoſynarum diſpenſatores. Quâ referunt arte multos quōdam creatos Abbates fuiſſe. Qui dum Cellarij forent in ſuis monaſteriis, pinguiùs opſonabantur: átque ſic Opſonatores ſynmonachorū ſuorum fauorē & ſuffragia demerebātur. Apud eundē Euſebiū Sanctus papa Cornelius, Chriſti martyr glorioſus, de ſeditioſo Nouato ſic ſcribit in cap. 43. libri ſexti.

Cap. 8. &. 9. de Simo. Iu antiq.

In fi. l. 6. ff. de offi. procō. & leg.

Νουά-

Νοουάτος ποιήσας γὰρ τὰς προσφορὰς, καὶ διανέμων ἑκάστῳ τὸ μέρος, καὶ ἐπιδιδοὺς τοῦτο, ὀμνύειν ἀντὶ τοῦ εὐλογεῖν τοὺς ταλαιπώρους ἀνθρώπους ἀναγκάζει, κατέχων ἀμφοτέραις χερσὶ τὰς τοῦ λαβόντος, καὶ μὴ ἀφιεὶς ἕως ἂν ὀμνύοντες εἴπωσι ταῦτα. (τοῖς γὰρ ἐκείνου χρήσομαι λόγοις). ὄμοσόν μοι κατὰ τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, μηδέποτέ με καταλιπεῖν, καὶ ἐπιστρέψαι πρὸς κορνήλιον. Id est, Nouatus, qûum dispensaret oblationes, & cuique partem diuideret, iurare prius, quàm de Eulogiis acciperet, miseros homines compulit, ambas ipsorum manus præhensans, neque dimittens, donec iurantes ista dicerent. (Ipsius vtar verbis) Iura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, quòd nunquam me deseres, nec redibis ad Cornelium. Vides ambitum manifestum, prætextu misericordiæ seu largitionis in pauperes exercendæ. Quam ob rem, ne sic amplius tam perniciosè delinqueretur in distributionibus ac diuisionibus oblationum, cura distribuendarum (sicut & omnium Ecclesiæ facultatum) fuit Episcopo soli demandata. Can. 39. contra cuius authoritatem nihil est hîc audendum. Can. De his. 10. q. 1.

Oblationum dispẽsatio, siue distributio

Sed quibus illas dispertietur Episcopus, aut ab Episcopo constitutus Oeconomus? Audiamus Tertullianũ, qui post arcæ prædictæ descriptionem, posuit, quidnam de stipibus in eam collatis ageretur, inquiens — Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde, Non epulis, nec poculis, nec ingratis voratrinis dispensatur: Sed Egenis alendis, Humandísque, Et pueris ac pupillis, re ac parentibus destitutis, Ætatéque domitis senibus. Item Naufragis, Et si qui in metallis, Et si qui in insulis, vel in custodia, duntaxat ex caussa Dei sectæ, alumni confessionis suæ sunt. Hæc Tertullianus. Erogandarũ mos oblationum nequit apertiùs ostendi. Qui fuit in Ecclesia perpetuus, & inuiolabiliter obseruatus. Oblationes, & Ecclesiæ facultates omnes ab Episcopo distribui mandat 16. q. 3. Papa Gelasius in Viduarum, Pupillorũ, atque Pauperum, necnon Can. Præsulum. Clericorum stipendia, prout accipere soliti sunt. quod autem reliquum fuerit, Episcopus habeat ad peregrinorum, captiuorúmq; subuentionem. Scripsit hoc Siculis Anno Christi. 496. In Aureliana prima Synodo, circiter annũ Do. 512. Gallici Patres ita rem distinxerunt — Vt si quid à fidelibus offeratur altari maioris Ecclesiæ, Medietatem sibi vendicet Episcopus: Et sibi Clerus secundi gradus (eiusdem, videlicet, Ecclesiæ Clerus) alteram. Sin verò d. Can. de his. & seq. 10. q. 1. quid aliis parochiis oblatum fuerit, Oblationum pars tertia tradenda sit Episcopo: Duæ penes Ecclesiæ Clericos remaneant. In Can. 17. & in Can. 18. Synodi: Brixiensis, Et alij aliter hoc tractant apud Gratianum, sed ni fallor, aberrantes à vero Canonum sen-

nodum, complectentem Canones. 145. Tres insuper æditi fuere libelli, Pipino, Aquitaniç Regi, Ludouici Filio descripti, Aduersus illos, qui nullum dicebant esse discrimen seu delictum, Si quis in suis necessitatibus vtatur rebus oblatis Deo. Scripturæ variis authoritatibus & locis, Patrúmque priscorum decretis ostenditur apertè contrarium. Citantur, cum multis aliis, & hi duo Canones nostri. cap. 26. libri tertij. Patres octauum citarant. qui sexagesimus sextus numeratur in ea celebri Synodo. Libellos autem cum Synodo reperies in secundo Conciliorum Tomo: dignos lectione viri, qui tranquillitatem desideret Ecclesię, tectam sarctámque rueri velit. Non plura proferam. Diuitibus (etsi cupidis & auaris) ex Augustini sententia, Non est aliquid auferendum vel subtrahendum, quô Pauperes fulciantur ac sustententur. quanto minus Ecclesiæ? Peccas, auferendo. Peccas, elargiendo. Sic addis peccatum peccato. Diuinè Gregorius, Aliud est (inquit) propter peccata, Eleemosynas facere; aliud propter Eleemosynas, peccata perpetrare.

Can. Fortè aliquis. 14. q. 5. Can. Nō est putāda. 1. q. 1.

Sanè, qui Leuiticum legit, ibi videt frugum primitias, Decimásque vini, & olei, Necnon res omnes Deo deuotas, nefas esse manibus à quopiam de populo contingi, vel in alios vsus, quàm Templi, transferri. Sed eas esse reseruandas Sacerdotibus, in Dei conspectu ministrantibus. quod qui faciunt (prout est in Iudith) certum est, quòd in perditionem dabuntur.

Reg. Iuris. 51. in 6. cap. 11.

Hinc nostrorum firmatur opinio doctorum scribentium quòd, Si priuatis in ædibus ædicula Sacra vel Imago sit, ad quam quid offeratur: Oblatū, non ædium Domino Laico, sed parœciæ Presbytero debetur. Hostiensis Card. Butrius, Panhor. hoc affirmāt, & alij subscribunt. quibus addo, quòd, Ædium Dominus Canonis pœnæ sit obnoxius, si quid inde subtrahat. Et hunc ad Hospitalia (quorū species multæ) porrigo Canonem. In domo quísque sua, quando & quomodo vult, Hospitalitatem exercere potest: Et Pauperibus largiri de suo quantum vult. Hospitalia verò publica (sicuti néque Monasteria, vel Sacella) nec institui possunt, néque regi sine voluntate & authoritate Episcopi. cui ratio totius administrationis est reddenda. Rei sunt mali regiminis, quicúmque Pandochia ad Ecclesiæ regulam non regunt. Longius euagari non est opus. Fixum sit, quòd, Ecclesiastica & Religiosa bona sunt à solis Ecclesiasticis & Religiosis dispensanda, & expendenda. Sed hi viciſsim meminerint, quòd, Ecclesiis oblata om-

In Rubr. de Paro.

Can. Quidam 18. q. 2. Clem. 2. de relig. domib.

omnia ſunt peccatorum precia, Pauperum patrimonia, Fratrum ſtipendia: quibus Epiſcopi, non vt propriis, ſed vt commodatis, & commendatis vti debent. Dominus Ieſus faxit, vt, & Chriſtiani ſic offerant, & ſic Epiſcopi diuidant, Vt noſtra omnium pars ſalua ſit cum illo, qui Semetipſum per Spiritum Sanctum obtulit immaculatum Deo pro peccatis noſtris. Amen.

Can. Res Eccleſię. 12. q. 1.

ΚΑΝῺΝ .θ.

Εἴ τις παρθενεύοι, ἢ ἐγκρατεύοιτο, ὡς ἂν βδελύττων τῶν γά-μων ἀναχωρήσας, καὶ μὴ διὰ τὸ, τὸ καλὸν, καὶ ἅγιον τῆς παρ-θενίας, ἀνάθεμα ἔστω.

Nuptiarum βδελυρία, id eſt, execratio átque deteſtatio prohibetur.

CANON .9.

SI quis Virginitatem cuſtodiat, aut in Continentia degat: ac velut abhorrens nuptias, ſecedat, & ſolus agat. Non ideo, quia Sancta ſit Virginitas, Néque propter ipſum Virginitatis bonum — Anathema eſto.

Error idem damnatur, qui fuit in Can. primo. rurſus & in. 14. Sordidos, Fœdos, & execrabiles eſſe omnes cõplexus fœmineos, tam gentilium, quàm Chriſtianorũ Philoſophi nonnulli aſſeruerunt. vnde his odium fœminarum maximũ. Græci μισογυνείαν vocant, & μισογύνες, oſores mulierum, quíque nuptias auerſabantur. Continentiam quidam profitebantur, nõ ipſius amore virtutis & continentiæ, Néque propter eius aliquam ſanctimoniam: ſed à mulierum commixtione ſeſe continebant, velut ab aliquo turpi ſcelere. Concilium tales Anathemate damnat.

Omni quidem concubitu melior eſt Continentia. Virtus an-

gelica, cuius & amator ſingularis, & author átque dator ſolus eſt Deus. Fateor. Egregia res eſt (inquam) propéque diuina, Continere: quæ ſimiles nos ipſi Paulo (ſicuti optabat) imò ipſis Angelis Dei reddit. Sed quia proprium quíſque donum ſortitus eſt à Deo: Alius aliud: Qui ſe non continent, matrimonium contrahant. Matrimonialis enim coitus honeſtus eſt, Nec habet peccatum.

Sola Continētia nō melior indicāda concubitu matrimoniali.

De carnali duorum coniugum copula noſtri diſputant, An ſine peccato poſſit eſſe? quærentes. In Can. 2. diſt. 13. In Can. Omne itáque nuptiarū bonum. 27. q. 2. in Can. Cōnubia. 32. q. 2. in Can.
To. 6. Vir cum propria Vxore dormiens 33. q. 4. Diuus Auguſtinus in cap. 6. & 7. De bono coniugali. quæſtionem ſic abſoluit. Coniugalis concubitus generandi cauſſa, culpam nullam habet: Satiandæ cauſſā libidinis, culpam habet venialem: Concubitus alius o-
To. 7. mnis culpam habet lætalem. Hoc repetit in lib. 2. de peccato Originali. cap. 38.

Caſtitas, & Continentia Virtus eſt. ergo propter vnam ſe expetenda eſt. Honeſtum enim (quod & Virtus appellatur) id intelligimus, quod, omni detractâ vtilitate, ſine vllis premij fructibus, per ſeipſum poſſit iure laudari. ſic Honeſtum Cicero finiuit. Virtus autē ſi propter alias res expetatur, aliquid eſſe virtute melius neceſſe eſt. κάλλιστον μὲν ἡ παρθενία. καλὸν δὲ ἡ σωφροσύνη. Ἀλλὰ εἰ δὴ αὐτὸ τὸ καλὸν γίνοιτο, καὶ διὰ τὸν ἐξ αὐτῶν ἁγιασμόν. ait hîc Zonaras. Id eſt, Optimū quiddam eſt Virginitas. Bonū pariter eſt Caſtitas, ſed ſi propter ipſum Bonum fiat: & ob ſanctificationē ſeu puritatē, quæ prouenit ex eis. Laudatur Eremus & Solitaria vita: commendatur Ἄσκησις: ita demū, Si propter Deum, fugámq; ſeculi petatur. Quòd ſi μισάνθρωπος quiſpiam (qualis à Plutarcho Timon Athenienſis in Antonio deſcribitur, odioſus, inhumanus, hominum quorúmq; fugiens colloquia. qualis & à Laërtio Myſon quidā Philoſophus traditur fuiſſe) ab hominum ſecedat commercio, Tales ego nunquam laudauerim. Nam, qui ſe Religioni deuouet, aliud, quàm Religionem ſpectare non debet: Alioqui, néque meritum, néque gratiam debet vllam expectare. Matth. 6. Amen dico vobis, Receperunt mercedem ſuam. Dominicus non inſubtiliter colligit hinc, & ex Can. ſeq. quòd, Religionem profitens, Non homini, ſed ipſi Deo (hoc eſt, Religionis bono) ſeſe obligat, & votum facit. Quare, nec Abbas (ait) ſed nec vllus hominum (ſic aſſero) votum relaxare poteſt. Non agamus hîc pluribus. Deus eſt amandus

In. 3. de finib. & in. 1. de legib.

Can. Caueadum. de pœni. diſt. 3.

dus & colendus propter se: Et Ecclesia propter Ecclesiam. Nec in Coniugio, nec in Continentia, nec in Virginitate, Salus animæ, quiésve nostra consistit. O Domine Iesu concedas, Vt te primum, Te solum, nec aliquid vltra te cum regno tuo quæramus: Vtque requiem per te nostris animabus inueniamus. Amen.

ΚΑΝῺΝ .ι.

Εἴ τις τῶν παρθενευόντων διὰ τὸν κύριον, κατεπαίροιτο τῶν γεγαμηκότων, ἀνάθεμα ἔστω.

Virgo, quia incorrupta virgo est, ideo mulieribus aliis anteponenda non est.

CANON .10.

SI quis Virginitatem seruans ob Dominum, superbiat, ac se supra Coniugatos extollat, — Anathema esto.

Vnâ omnes voce Catholici Doctores effusissimè laudarunt Virginitatem. de qua scripsere inter alios, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, & omnium disertissimè Hieronymus, Néque semel. à quo citantur & opuscula Damasi Papæ super hac re, versu, prosáque composita. citat & præceptorem suum Gregorium Nazianzenum, de Nuptiis & Virginitate differentem græcis versibus. Omnium gentium literis, átque linguis in Ecclesiis laudata semper est Virginitas.

Christi Virgo nõ minus animã, quam carnem debet habere incorruptã. Alioqui, Virgo sæculi est, nõ Christi.

Quid autem sit Virginitas, ex Apostolo discere possumus, qui Virginem definiuit eam, Quæ & corpore, & mente sancta est 1. Corinth. 7. Carne Virgo, si non & Spiritu sit Virgo, iam non est habenda Virgo: cuius quidem corpus integrùm est, Anima verò corrupta. Nihil enim prodest habere carnem Virginem, si mente quis nupserit. Illa sola Virgo dicitur, cuius nec men-

32. q. 5. integrâ penè q.

tem cogitatio, nec carnem libido maculauit. Hoc Hierony-
To.2. mus in fine libri contra Heluidium. & in libro contra Iouinianum primo. Breuiter, Muris & claustris lapideis extorqueri Virginitatem nolunt. Flagitia námque multa admittit, (vt ait Tertullianus) inuita & coacta Virginitas.

De Virginib. velandis.

* Est hoc sanè quàm difficile. & ideo rarum. Non est veritus idem Hieronymus ad Demetriadem, dicere, Contra Naturam, imò, Vltra Naturam id esse humanam: Nō exercere (videlicet) quod natus sis,& in corpore viuere sine corpore. Propterea, Nuptiis, non illis quidem prohibitis, sed postpositis,Continentiam Virginitatémque præferunt. Huic palmam, principatúmque donant inter hostias illas viuas,puras,sanctas,immaculatas,quas homines in terra consecrant & offerunt Christo.Primus est, átque summus Virginum gradus. In quo qui sunt, Deo certè proximi sunt,cuius & ipsum donum speciale est. Secundus est Continentum Tertius & omnium postremus est Coniugatorū. In fi.cap 1. de summa trinir. & fide cath. In antiq. Pares istos gradus facere, Sacratæque Virginitati nuptias coëquare,Non est Christiani,sed sed impuri Iouiniani. prout est in cap.68. de dogmatibus Ecclesiast.apud Augustinum.

To.1.

Virgines. Continentes. Coniugati.

To.3.

Propter excellentiam tantam Virginitatis,quidam παρθενεύοντες, id est,Virginitatem ex professo custodientes, (Tertullianus in libello, de Virginibus velandis, παρθενεύειν vertit in Virginari, hoc est, Agere Virginem. sic Flaccus in arte, νεανεύειν dixit Iuuenari) Virginantes isti arroganter insolescebant, efferebantur, insurgebant aduersus coniugatos (Hoc est enim κατεπαίρονται τῶν γεγαμηκότων) In omnibus,eò quòd inferioris essent meriti, sese præferebāt ipsis:In Ecclesia Primas vbique tenere volebant: Et nō ob aliud, quàm quòd Virgines erant.

In magno semper honore Populum Romanum habuisse Virgines, ex eo cognoscimus, quod Hieronymus in Iouinianū profert. lib.1. Consules,& Imperatores,& quoscúmque Magistratus ipsis de via cedere solitos esse.Hac in opinione Baldus quoq; post tam longa tempora videtur fuisse.Nam scripsit in cap.14 De probat. Hoc esse Virginitatis priuilegium, Vt magis credatur Virginis testimonio quàm viduæ. Subiungit insuper,quòd in mensa, & in itinere,Virgines semper præcedere debent alias mulieres.

cap. Causam matrimonij

Vir-

Virginitas quidem res diuina, res angelica, res admirabilis est sed sola non prodest, neque saluat, si cætera desint opera bona. Virginib. fatuis Virginitas nihil profuit: à nuptiis enim Spōsus illas exclusit. Matth. 25. cap. Diuus Augustinus in libro de sancta Virginitate totus in eo est, vt doceat, Ideo Coniugatos nō esse despiciendos, quia iure diuino (sicut ait) Continentia connubio, & Nuptiis pia Virginitas anteponitur. In cap. 31. sic ille scribit. Quum ergo perpetuæ Continentiæ professores, se Coniugatis comparantes, secundum scripturas compererint eos infrà esse, & opere, & mercede, & voto, & premio: statim veniat in mentem, quod scriptum est, Quanto maior es, humilia te in omnibus: & inuenies coram Deo gratiam. Eccli. 1. cap. 3. To. 6.

Virginibus maximè cauenda est Superbia.

Certè hæc humilitas & animi submisio, carens inuidia, non habens emulationem, est illa mentis Virginitas, sine qua frustrà corpore virginamur. (Tertulliani mihi liceat vti verbo) Referam vobis Augustini sententiam confirmantem, quod audiistis. Ita vir ille sanctus scribit in expositione psal. 147. Paucorum est virginitas in carne. Omnium debet esse in corde. Virginitas carnis, Corpus intactum. Virginitas cordis, fides incorrupta. De qua Virginitate, post innumeras fornicationes, post incestum, post Idolorum cultum, Credentibus tamen Corinthiis, & ad fidem conuersis loquitur Apostolus, Despondi vos vni viro, Virginem castam exhibere Christo. 2. Corinth. xi. Diuinè diuus Hieronymus hac ipsa de virginitate scripsit, exponens illud Oseæ in cap. 2. Et sponsabo te mihi. Vide (ait) quid sit inter Dei coniunctionem, & hominum. Homo, quum Vxorem acceperit, de virgine mulierem facit, Id est, Non virginem. Deus etiam Meretricibus copulatus, mutat eas in Virgines. To. 8. To. 6.

Virgines Christi sunt, quicúmque per Pœnitentiam despondentur & cöiunguntur Christo:

Nulla tam clara virtus, quàm superbia non obscuret. Propterea, Domine, Tuis in donis Da nobis non altum sapere, sed ad sobrietatem per indicibilem tuam humilitatem, propter quam tibi nomen datum est, quod est super omne nomen, in secula perseuerans. Amen.

ΚΑΝΏΝ .ια.

Εἴ τις καταφρονοίη τῶν ἐκ πίστεως ἀγάπας ποιούντων· καὶ διὰ τιμὴν τοῦ κυρίου συγκαλούντων τοὺς ἀδελφούς· καὶ μὴ

ἐθέλοι κοινωνεῖν ταῖς κλήσεσι· διὰ τὸ, ἐξευτελίζειν τὸ γινόμενον. Ἀνάθεμα ἔστω.

Epulũ nemo calumniari debet in fide datũ Fratribus, aut Pauperibus.

CANON .II.

SI quis illos despicit, qui Agapas in Fide faciunt, & Fratres inuitant in honorem Domini: Neque velit his inuitationibus communicare: Per hoc vilipendens quod agitur — Anathema esto.

Gratianus in Diorismo suo 42. explicans illud Apostoli verbum, Sacerdotes oportet esse Philoxenos (Id est, Hospitales, benignósque peregrinorum susceptores, & amatores) istum præsentem canonem posuit. Cuius antiquus translator, In duobúsque sequentibus ibi, græcam vocem, Agapas, reliquit in sua versione Latina. quàm Gratianus, aut alius interpretari voluit. Interpretationémq; suam contextui canonis adiecit - Agapas, Id est, Cõuiuia pauperum. Si dixisset, Hominum se mutuò diligentiũ conuiuia, rectiùs dixisset. Agapis enim tam pauperes quàm diuites intererant. de quo dicamus.

Agape, vox est in Apostolo frequentissima, nec in Euangeliis rara. quæ modò vertitur Dilectio, modò Charitas. Quin & Latina facta uidetur Ecclesiæ Latinæ vsu. Tertullianus ad Martyres, Agapen fratrum nominat: & alubi non semel. In Cypriano legimus Agapen & dilectionem fratrum religiosè & firmiter exercendam cap. 3. libri tertij ad Quirinum. Scribens ad Eustochium, de custodia Virginitatis, Hieronymus hanc vsurpat. Augustinus etiam cap. 4. & cap. 20. libri vicesimi contra Faustum Manichæum. Dilectio quidem siue Charitas est Agape. scilicet, in animo consistens. Est animi affectus. velut Amicitia vel Amor. Præterea, Munus, & quicquid huiusce dilectionis causâ donatur & exhibetur, Agape similiter vocatur. Eleemosynas appellant Agape.

To.6.

pellant Agapas, ex more Vulgi. Námque mendici per Galliam sibi donari quid efflagitantes, orant, Vt ipsis charitatẽ faciamus.

Epulum, quod per Charitatem, fraternámque dilectionem præparatur indigis & pauperibus est Agape. Iudas Iacobi frater in epistola sua de quorundam loquens impietate dicit—οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, συνευωχούμενοι ἀφόβως, ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες. vbi sic interpres.—Hi sunt in Epulis vestris, Maculę, Conuiuantes sine timore, Semetipsos pascentes. Agapas vertit in Epulum, uel Epulas. accipiens (vt Latini) pro conuiuio publico, seu pro mensa communi.

Conuiuandi verò seu conuescendi vsus ex Apostolorum, & Apostolicorum longissima consuetudine processit, & per annos quamplurimos obtinuit. Illis enim Christianæ pacis & concordiæ antesignanis in more solemni fuit (sicut hîc à Zonara scribitur) ὡς μετὰ τῶν ἁγιασμάτων μετάληψιν, συνέρχεσθαι, καὶ συνεσθίειν. τῶν πλουσίων τὰ βρώματα χορηγούντων, συγκαλούντων καὶ τοὺς πένητας. Id est, Vt post Sacrorum communionem siue participationem (postquam, videlicet, de Corpore domini, & Calice participassent) omnes simul irent, & vnà cibum sumerent: Diuitibus cibos ministrantibus, & pauperes conuocantibus. In eo conuiuio summa rerum frugalitas, & omnium conuiuentium par fuit æqualitas. vt nẽque purpuratus, prior accumberet. Néque pauper & pannosus, posterior. Iaco. cap. 2. Hoc autem quia Corinthij non obseruabant, Ideo Paulus grauiter illos increpabat, ὡς τὸ ἔθος παραχαράσσοντας (dicam Zonaræ verbis) καὶ οὐχὶ κοινῶς δειπνοῦντας. vt consuetudinem peruertentes, & non ex æquo siue communiter cœnantes. alius enim famelicus esuriebat, & alius ebrius erat. 1. Corinth. 11.

Agaparum Christianorũ simplicitas & modestia.

Petrus hanc Epuli dandi consuetudinem commendare plurimùm videtur in ea sanctimoniæ vitæ catena, quam nectit in epistolæ suæ. 2. capite primo, sic dicens—ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ εὐσεβείᾳ τὴν φιλαδελφίαν· ἐν δὲ τῇ φιλαδελφίᾳ τὴν ἀγάπην. Quum multa sanctissimus Apostolus connexuisset, quæ sunt inuicem colligata, séque mutuò consequuntur. videlicet, Fides, postea Virtus. deinde, Scientia. quam sequitur Abstinentia. mox & hanc, Patientia. Patientiæ comes est Pietas. Inde suam velut absoluens catenam dicit—Et in pietate subministrate Philadelphiam. Et in Philadelphia subministrate Agapen. Philadelphia est amor fratrum mutuus. Fratres autem sunt omnes Christiani, qui vnum patrẽ Deũ agnoscunt, & vnum Spiritum sanctitatis habent. Ex hac autem

Agapes excellentia.

voluntate. Conueniunt ea, quæ dicta modò fuere in præcedenti Canone.

Cap. Causa Carpensis. & cap. Quū inter vos.

Quid per Oblationes intelligant Ecclesiastici scriptores, dudum nos in Analectis nostris explicabamus. cap. 13. & cap. 29. de verb. sign. In antiq. Græci canones appellant προσφόρας, & καρποφορίας. Prisca latinitas (quod ibi cum Festo Pompeio dicebamus) Offerrumenta vocabat ea, quæ Diis suis offerebat. Nostrum vulgus Offerendas: Ideo futuri voce, Quia Populus in manum dabat Sacerdoti, quod Sacerdos postea, nomine populi, specialiter offerret Deo. Sic enim Hieronymus aduersus Luciferianos — Sacerdos quippe pro Laico offert oblationem suam, imponit manum subiecto, Reditum sancti Spiritus inuocat. quod obseruari solitum cognoscis ex Innocentij primi Epistola prima. Res in Ecclesiis antiquissima: inter pios omnes ac religiosos Dei cultores, ab ipso Abel ducans in hoc vsque tempus. Benedictiones, Eulogiæ, Collectæ Paulinæ, sunt Oblationes. Iuxta quod in Deuteronomij capite. 16. Mandatum fuerat - Non apparebit ante Dominum vacuus. Sed offeret vnusquisque secundum quod habuerit, Iuxta benedictionem domini Dei sui, quam dederit ei. Subindéque repetitum legimus - Honora Dominum de tua substantia. prouerb. cap. 3. Sic enim pro modo facultatum nostrarum foris & exterius interioris animi nostri gratitudinem testamur erga Dei beneficentiam: & in bonis nostris agnoscimus erga nos bona, beneficiáque Dei. Neque mihi (quod Gnostici mouent) Paupertatem quis obtendat. Etiam, quæ sola supersunt ad victum, mittamus in gazophylacium. Laudauit enim Dominus pauperculam viduam, quæ sic fecisset. Lucæ. 21. Vna tamen cum donis & oblationibus istis meminerimus Hostiam viuam, Rationalem, Deo placentem (nosmetipsos, videlicet) offerre Deo. Nam superuacanea forent alia quæuis munera.

To. 2.

Can. vlt. de confe. dist. 1.

Can. Omnis Christianus. de consecr. dist. 1.

Christiani debent in primis offerre se totos Deo: postea de suis, id quod possunt.

Quomodo autem veteres olim Christiani, & quando suas oblationes reddiderint, apud Tertullianum legimus in Apologetici contra gentes pro Christianis, cap. 39. (si modò liber ille fuit in capita distinctus) Vbi de ritibus, moribus, & disciplina Christianorum tractans ille, quum dixisset — Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum, quasi manufactâ, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Pòst paulò subdit — Aræ quoddam genus illic est (nonnulli corruptissimè legunt,

Oblationum modus, atque tempus.

legunt, Artis) Non de Oneraria summa, quasi redemptæ Religionis, congregatur. Modicam vnusquisque stipem, menstruâ die, vel quum velit, & si modò posit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc ibi Tertullianus. qui & alibi frequenter Oblationum meminit. Oblationes pro defunctis annuâ die facimus. ait in libello de corona militis. Ac Cyprianus Oblationes cum precibus persæpe nominat. In Epistola. 9. libri primi vetat. Ne pro dormitione cuiusdam Victoris, in Ecclesia fiat Oblatio, aut deprecatio: quia nimis grauiter Ecclesiam læsisset. Hieronymum nunc audistis: qui, præsertim Prophetas exponens, totus est, dum locus occurrit, in Oblationibus describendis & commendandis. Augustinus pariter hîc inter alia, respondens secundæ quæstioni Dulcitij, docuit, quòd, Oblatio, quæ fit pro quiescentibus, ipsorum confert animabus. Et in libro de cura pro mortuis agenda. Reliquos omitto. Neque plura colligere decet. Satis hæc Oblationum demonstrant vsum. Tẽpus verò non semper idem. Fabianus papa, martyr Christi sanctissimus, Cypriani coëtaneus, annis post Tertullianum circiter centum, crescente in dies multitudine Christianorum, constituit. Vt, non iam menstruâ die, hoc est, Singulis mensibus, sed singulis Dominicis diebus, ab omnibus viris & mulieribus fieret Oblatio tam panis, quàm vini. Vt per has immolationes (ait) à peccatorum suorum fascibus liberentur. Hoc inuenies inter eius decreta, primo Concil. tomo relata. To. 4.

Oblationum in plerisque Vanitas, Auaritia, & Corruptela.

Illa verò Tertulliani arca, siue γαζοφυλάκιον, facit, vt Fideles coniiciam (prout Euangelium docet) in occulto suas Oblationes dedisse: Nec alium sciuisse, quid alius in arcam mitteret. Eò postea, vel Offerentium vanitate, vel Sacerdotum cupiditate, vel vtroque, res deuenerat, Vt publicè Diaconus Offerentium nomina recitaret, ac enunciaret, quantum quisque detulisset, ex ambone clamans, Ille tantum pollicitus est. Illa tantum obtulit. Sic (ait Hieronymus) Redemptio peccatorum (pro peccatis enim fiunt Oblationes) mutabatur in laudem peccãtium. Quod ille grauissimè reprehendit in Ecclesiarum principibus hoc apud se ferentibus. exponens illud Hieremiæ, Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit tam multa scelera, cap. 11. Insuper & Ezechielis cap. 18. quum de virtute decima loquitur, vbi est, Si panem suum dederit esurienti. Quod Innocentius primus vetuit etiam fieri, iam. d. can. vlt. de cons. dist. 1. Sed & istarum Oblationum colore committebantur alia quædam valde reprehensi-

bilia: per quæ ſanctitas, & honeſtas Eccleſiæ turbabatur. Apollonius Eccleſiaſticus ſcriptor apud Euſebium recẽſens Mõtani Phrygis errores maximos & impiiſsimos, inter alios obiicit vnum, quem referam, tum propter oblationum demonſtrandos abuſus, tum quòd audiam Gnoſticos æui noſtri ſimile quid agere. Capite. 18. libri quinti de Montano ſic dicit. — ὁ ἐπ' ὀνόματι προσφορῶν, τὴν δωροληψίαν ἐπιτεχνώμενος: ὁ σαλάρια χορηγῶν τοῖς κηρύττουσιν αὐτὸν τὸν λόγον. ἵνα, διὰ τῆς γαστριμαργίας, ἡ διδασκαλία τοῦ λόγου κρατύνηται. Id eſt, Qui (Montanus) ſub nomine Oblationũ cõmentus eſt acceptionẽ munerũ. Qui ſalaria ſuppeditauit prædicantibus ſermonẽ ſuum, quatinus per gaſtrimargiam doctrina ſui ſermonis obtineret. Hîc licet intueri Gnoſticorum technas, quibus illorum ſermo, viam faciente gaſtrimargiâ, tam periculosè ſerpit. In catalogo ſuo Gennadius Iulianum reponit Epiſcopum Capuanum: quem ſex elegantiſsimis libris Auguſtinus contudit. Ille Pelagiano captus errore, ſcriptis ſuis, átque libellis hæreſin, quà poterat, vt ſolent omnes Hæretici, promouere tentabat: vſus & aliâ inſuper arte, Gnoſticis pariter vſitatiſsimâ. Famis enim tempore, ſua quóque diuendens, Eleemoſinas magnas indigentibus, & in anguſtia poſitis erogabat. Quâ benignitatis & miſericordię ſpecie deceptos quamplurimos ad impietatem ſuam traxit. Non alius nunc eleemoſinarum finis ſpectatur à Gnoſticis.

Apud Euſebium vides etiam reprehendi quòd, Per exactiones, & auaritiam ſacerdotũ, de Proſphora fiat Dorolepſia: quum pro receptione Chriſmatis, aut alicuius ordinis promotione, pro nuptiarum benedictione, pro ſepulturis ac mortuorum funeribus & exequiis, aliiſque ſacris adminiſtrandis, precium ſpectatur, & exigitur: quod horribile nimis eſt in Eccleſia Chriſti: propterea vetitũ ſtrictiſsimè, quomodo lex quædã Romana vetat, Ne xenia magiſtratnũ producantur ad qualitatẽ munerũ. In eccleſiaſticis iſtis Oblationibus aliud etiam nõ raró, néque minus, interueniebat erratũ. Sæpe námque magis gratiâ, quàm veritate diſtribuebãtur: & habebãt ſpeciem quamdam Largitionis, quâ recipientes corrumperentur. vt à neſcio quibus olim diuiſoribus Romanis diſtare non viderentur Eleemoſynarum diſpenſatores. Quâ referunt arte multos quõdam creatos Abbates fuiſſe. Qui dum Cellarij forent in ſuis monaſteriis, pinguiùs opſonabantur: átque ſic Opſonatores ſynmonachorũ ſuorum fauorẽ & ſuffragia demerebãtur. Apud eundẽ Euſebiũ Sanctus papa Cornelius, Chriſti martyr glorioſus, de ſeditioſo Nouato ſic ſcribit in cap. 43. libri ſexti.

Cap. 8. & 9. de Simo. Iu antiq.

In fi. l. 6. ff. de offi. procõ. & leg.

Νουά-

Νοουάτος ποιήσας γὰρ τὰς προσφορὰς, καὶ διανέμων ἑκάστῳ τὸ μέρος, καὶ ἐπιδιδοὺς τοῦτο, ὀμνύειν ἀντὶ τοῦ εὐλογεῖν τοὺς ταλαιπώρους ἀνθρώπους ἀναγκάζει, κατέχων ἀμφοτέραις χερσὶ τὰς τοῦ λαβόντος, καὶ μὴ ἀφιεὶς ἕως ἂν ὀμνύοντες εἴπωσι ταῦτα. (τοῖς γὰρ ἐκείνου χρήσομαι λόγοις). ὄμοσόν μοι κατὰ τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, μηδέποτέ με καταλιπεῖν, καὶ ἐπιστρέψαι πρὸς Κορνήλιον. Id est, Nouatus, qûum dispensaret oblationes, & cuique partem diuideret, iurare prius, quàm de Eulogiis acciperét, miseros homines compulit, ambas ipsorum manus præhensans, néque dimittens, donec iurantes ista dicerent. (Ipsius vtar verbis) Iura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, quòd nunquam me deseres, nec redibis ad Cornelium. Vides ambitum manifestum, prætextu misericordiæ seu largitionis in pauperes exercendæ. Quam ob rem, ne sic amplius tam perniciosè delinqueretur in distributionibus ac diuisionibus oblationum, cura distribuendarum (sicut & omnium Ecclesiæ facultatum) fuit Episcopo soli demandata. Can. 39. contra cuius authoritatem nihil est hîc audendum. Can. De his. 10. q. 1.

Oblationum dispesatio, siue distributio

Sed quibus illas dispertietur Episcopus, aut ab Episcopo constitutus Oeconomus? Audiamus Tertullianũ, qui post arcæ prædictæ descriptionem, posuit, quidnam de stipibus in eam collatis ageretur, inquiens — Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde, Non epulis, nec poculis, nec ingratis voratrinis dispensatur: Sed Egenis alendis, Humandísque, Et pueris ac pupillis, re ac parentibus destitutis, Ætatéque domitis senibus. Item Naufragis, Et si qui in metallis, Et si qui in insulis, vel in custodia, duntaxat ex caussa Dei sectæ, alumni confessionis suæ sunt. Hæc Tertullianus. Erogandarũ mos oblationum nequit apertiùs ostendi. Qui fuit in Ecclesia perpetuus, & inuiolabiliter obseruatus. Oblationes, & Ecclesiæ facultates omnes ab Episcopo distribui mandat 16. q. 3. Papa Gelasius in Viduarum, Pupillorũ, atque Pauperum, necnon Can. Præsulum. Clericorum stipendia, prout accipere soliti sunt. quod autem reliquum fuerit, Episcopus habeat ad peregrinorum, captiuorúmq; subuentionem. Scripsit hoc Siculis Anno Christi. 496. In Aureliana prima Synodo, circiter annũ Do. 512. Gallici Patres ita rem distinxerunt — Vt si quid à fidelibus offeratur altari maioris Ecclesiæ, Medietatem sibi vendicet Episcopus: Et sibi Clerus secundi gradus (eiusdem, videlicet, Ecclesiæ Clerus) alteram. Sin verò d. Can. de his. & quid aliis parochiis oblatum fuerit, Oblationum pars tertia tra- seq. 10. denda sit Episcopo: Duæ penes Ecclesiæ Clericos remaneant. In q. 1. Can. 17. & in Can. 18. Synodi: Brixiensis, Et alij aliter hoc tractant apud Gratianum, sed ni fallor, aberrantes à vero Canonum sen-

omnia sunt peccatorum precia, Pauperum patrimonia, Fratrum stipendia quibus Episcopi, non vt propriis, sed vt commodatis, & commendatis vti debent. Dominus Iesus faxit, vt, & Christiani sic offerant, & sic Episcopi diuidant, Vt nostra omnium pars salua sit cum illo, qui Semetipsum per Spiritum Sanctum obtulit immaculatum Deo pro peccatis nostris. Amen. Can. Res Ecclesię. 12. q. 1.

ΚΑΝΩ'Ν .θ.

Εἴ τις παρθενεύοι, ἢ ἐγκρατεύοιτο, ὡς ἂν βδελύττων τὸν γάμον ἀναχωρήσας, καὶ μὴ δι' αὐτὸ, τὸ καλὸν, καὶ ἅγιον τῆς παρθενίας, ἀνάθεμα ἔστω.

Nuptiarum βδελυρία, id est, execratio átque detestatio prohibetur.

CANON .9.

SI quis Virginitatem custodiat, aut in Continentia degat: ac velut abhorrens nuptias, secedat, & solus agat. Non ideo, quia Sancta sit Virginitas, Néque propter ipsum Virginitatis bonum — Anathema esto.

Error idem damnatur, qui fuit in Can. primo. rursus & in. 14. Sordidos, Fœdos, & execrabiles esse omnes cõplexus fœmineos, tam gentilium, quàm Christianorũ Philosophi nonnulli asseuerunt. vnde his odium fœminarum maximũ. Græci μισογυνείαν vocant, & μισογύνας, osores mulierum, quíque nuptias auersabantur. Continentiam quidam profitebantur, nõ ipsius amore virtutis & continentiæ, Néque propter eius aliquam sanctimoniam: sed à mulierum commixtione sese continebant, velut ab aliquo turpi scelere. Concilium tales Anathemate damnat.

Omni quidem concubitu melior est Continentia. Virtus an-

gelica, cuius & amator singularis, & author átque dator solus est Deus. Fateor. Egregia res est (inquam) propéque diuina, Continere: quæ similes nos ipsi Paulo (sicuti optabat) imò ipsis Angelis Dei reddit. Sed quia proprium quísque donum sortitus est à Deo: Alius aliud: Qui se non continent, matrimonium contrahant. Matrimonialis enim coitus honestus est, Nec habet peccatum.

Sola Continētia nō melior iudicāda concubitu matrimoniali.

De carnali duorum coniugum copula nostri disputant, An sine peccato possit esse? quærentes. In Can. 2. dist. 13. In Can. Omne itáque nuptiarū bonum. 27. q. 2. in Can. Cōnubia. 32. q. 2. in Can. Vir cum propria Vxore dormiens 33. q. 4. Diuus Augustinus in cap. 6. & 7. De bono coniugali. quæstionem sic absol uit. Coniugalis concubitus generandi caussâ, culpam nullam habet: Satiandæ caussâ libidinis, culpam habet venialem: Concubitus alius omnis culpam habet lætalem. Hoc repetit in lib. 2. de peccato Originali. cap. 38.

To.6. To.7.

Castitas, & Continentia Virtus est. ergo propter vnam se expetenda est. Honestum enim (quod & Virtus appellatur) id intelligimus, quod, omni detractâ vtilitate, sine vllis prǣmij fructibus, per seipsum possit iure laudari. sic Honestum Cicero finiuit. Virtus autē si propter alias res expetatur, aliquid esse virtute melius necesse est. κάλλιστον μὲν ἡ παρθενία. καλὸν δὲ ἡ σωφροσύνη. Ἀλλὰ εἰ δι' αὐτὸ τὸ καλὸν γίνοιτο, καὶ διὰ τὸν ἐξ αὐτῶν ἁγιασμόν. ait hîc Zonaras. Id est, Optimū quiddam est Virginitas. Bonū pariter est Castitas, sed si propter ipsum Bonum fiat: & ob sanctificationē seu puritatē, quæ prouenit ex eis. Laudatur Eremus & Solitaria vita: commendatur ἄσκησις: ita demū, Si propter Deum, fugámq; seculi petatur. Quòd si μισάνθρωπος quíspiam (qualis à Plutarcho Timon Atheniensis in Antonio describitur, odiosus, inhumanus, hominum quorúmq; fugiens colloquia. qualis & à Laërtio Myson quidā Philosophus traditur fuisse) ab hominum secedat commercio, Tales ego nunquam laudauerim. Nam, qui se Religioni deuouet, aliud, quàm Religionem spectare non debet: Alioqui, néque meritum, néque gratiam debet vllam expectare. Matth. 6. Amen dico vobis, Receperunt mercedem suam. Dominicus non insubtiliter colligit hinc, & ex Can. seq. quòd, Religionem profitens, Non homini, sed ipsi Deo (hoc est, Religionis bono) sese obligat, & votum facit. Quare, nec Abbas (ait) sed nec vllus hominum (sic assero) votum relaxare potest. Non agamus hîc pluribus. Deus est amandus

In. 3. de finib. & in. 1. de legib.

Can. Caueadum. de pœni. dist. 3.

dus & colendus propter ſe: Et Eccleſia propter Eccleſiam. Nec in Coniugio, nec in Continentia, nec in Virginitate, Salus animæ, quiésve noſtra conſiſtit. O Domine Ieſu concedas, Vt te primum, Te ſolum, nec aliquid vltra te cum regno tuo quæramus: Vtque requiem per te noſtris animabus inueniamus. Amen.

ΚΑΝῺΝ .Ι.

Εἴ τις τῶν παρθενευόντων διὰ τὸν κύριον, κατεπαίροιτο τῶν γεγαμηκότων, ἀνάθεμα ἔστω.

Virgo, quia incorrupta virgo eſt, ideo mulieribus aliis anteponenda non eſt.

CANON .10.

SI quis Virginitatem ſeruans ob Dominum, ſuperbiat, ac ſe ſupra Coniugatos extollat, — Anathema eſto.

Vnâ omnes voce Catholici Doctores effuſiſſimè laudarunt Virginitatem. de qua ſcripſere inter alios, Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, & omnium diſertiſſimè Hieronymus, Néque ſemel. à quo citantur & opuſcula Damaſi Papæ ſuper hac re, verſu, proſaque compoſita. citat & præceptorem ſuum Gregorium Nazianzenum, de Nuptiis & Virginitate diſſerentem græcis verſibus. Omnium gentium literis, átque linguis in Eccleſiis laudata ſemper eſt Virginitas.

Chriſti Virgo nõ minus animã, quam carnem debet habere incorruptã. Alioqui, Virgo ſæculi eſt, nõ Chriſti.

Quid autem ſit Virginitas, ex Apoſtolo diſcere poſſumus, qui Virginem definiuit eam, Quæ & corpore, & mente ſancta eſt 1. Corinth. 7. Carne Virgo, ſi non & Spiritu ſit Virgo, iam non eſt habenda Virgo: cuius quidem corpus integrum eſt, Anima verò corrupta. Nihil enim prodeſt habere carnem Virginem, ſi mente quis nupſerit. Illa ſola Virgo dicitur, cuius nec men-

32. q. 5. integrã pene q.

tem cogitatio, nec carnem libido maculauit. Hoc Hieronymus in fine libri contra Heluidium. & in libro contra Iouinianum primo. Breuiter, Muris & claustris lapideis extorqueri Virginitatem nolunt. Flagitia námque multa admittit, (vt ait Tertullianus) inuita & coacta Virginitas.

To.2.
De Virginib. velandis.

* Est hoc sanè quàm difficile. & ideo rarum. Non est veritus idem Hieronymus ad Demetriadem, dicere, Contra Naturam, imò, Vltra Naturam id esse humanam: Nō exercere (videlicet) quod natus sis,& in corpore viuere sine corpore. Propterea, Nuptiis, non illis quidem prohibitis, sed postpositis,Continentiam Virginitatémque præferunt. Huic palmam, principatúmque donant inter hostias illas viuas,puras,sanctas,immaculatas,quas homines in terra consecrant & offerunt Christo. Primus est, átque summus Virginum gradus. In quo qui sunt, Deo certè proximi sunt,cuius & ipsum donum speciale est. Secundus est Continentum Tertius & omnium postremus est Coniugatorū. In fi.cap 1. de summa trinit. & fide cath. In antiq. Pares istos gradus facere, Sacratæque Virginitati nuptias coëquare,Non est Christiani,sed sed impuri Iouiniani. prout est in cap.68. de dogmatibus Ecclesiast.apud Augustinum.

To.2.
Virgines. Continentes. Coniugati.
To.3.

Propter excellentiam tantam Virginitatis,quidam παρθενεύοντες, id est,Virginitatem ex professo custodientes, (Tertullianus in libello, de Virginibus velandis, παρθενεύειν vertit in Virginari, hoc est, Agere Virginem. sic Flaccus in arte, νεανιεύειν dixit Iuuenari) Virginantes isti arroganter insolescebant, efferebantur, insurgebant aduersus coniugatos (Hoc est enim κατεπαίρεσθαι τῶν γεγαμηκότων) In omnibus,eò quòd inferioris essent meriti, sese præterebāt ipsis:In Ecclesia Primas vbique tenere volebant: Et nō ob aliud, quàm quòd Virgines erant.

In magno semper honore Populum Romanum habuisse Virgines, ex eo cognoscimus, quod Hieronymus in Iouinianū profert. lib.1. Consules,& Imperatores,& quoscúmque Magistratus ipsis de via cedere solitos esse. Hac in opinione Baldus quoq; post tam longa tempora videtur fuisse. Nam scripsit in cap.14 De probat. Hoc esse Virginitatis priuilegium, Vt magis credatur Virginis testimonio quàm viduæ. Subiungit insuper, quòd in mensa, & in itinere, Virgines semper præcedere debent alias mulieres.

cap. Cau sam matrimonij

Vir-

Virginitas quidem res diuina, res angelica, res admirabilis est sed sola non prodest, néque saluat, si cætera desint opera bona. Virginib. fatuis Virginitas nihil profuit. à nuptiis enim Spõsus illas exclusit. Matth. 25. cap Diuus Augustinus in libro de sancta Virginitate totus in eo est, vt doceat, Ideo Coniugatos nõ esse despiciendos, quia iure diuino (sicut ait) Continentia connubio, & Nuptiis pia Virginitas anteponitur. In cap. 31. sic ille scribit — Quum ergo perpetuæ Continentiæ professores, se Coniugatis comparantes, secundum scripturas compererint eos infrà esse, & opere, & mercede, & voto, & premio: statim veniat in mentem, quod scriptum est, Quanto maior es, humilia te in omnibus: & inuenies coram Deo gratiam. Eccli. 1. cap. 3. To. 6.

Virginibus maximè cauenda est Superbia.

Certè hæc humilitas & animi submissio, carens inuidia, non habens emulationem, est illa mentis Virginitas, sine qua frustrà corpore virginamur. (Tertulliani mihi liceat vti verbo) Referam vobis Augustini sententiam confirmantem, quod audiistis. Ita vir ille sanctus scribit in expositione psal. 147. Paucorum est virginitas in carne. Omnium debet esse in corde. Virginitas carnis, Corpus intactum. Virginitas cordis, fides incorrupta. De qua Virginitate, post innumeras fornicationes, post incestum, post Idolorum cultum, Credentibus tamen Corinthiis, & ad fidem conuersis loquitur Apostolus, Despondi vos vni viro, Virginem castam exhibere Christo. 2. Corinth. xi. Diuinè diuus Hieronymus hac ipsa de virginitate scripsit, exponens illud Oseæ in cap. 2. Et sponsabo te mihi. Vide (ait) quid sit inter Dei coniunctionem, & hominum. Homo, quum Vxorem acceperit, de virgine mulierem facit, Id est, Non virginem. Deus etiam Meretricibus copulatus, mutat eas in Virgines. To. 8. To. 6.

Virgines Christi sunt, quicúmque per Pœnitentiam desponsdentur & cõiunguntur Christo.

Nulla tam clara virtus, quàm superbia non obscuret. Propterea, Domine, Tuis in donis Da nobis non altum sapere, sed ad sobrietatem per indicibilem tuam humilitatem, propter quam tibi nomen datum est, quod est super omne nomen, in secula perseuerans. Amen.

ΚΑΝΩ'Ν .ια.

Εἴ τις καταφρονοίη τῶν ἐκ πίστεως ἀγάπας ποιούντων· καὶ διὰ τιμὴν τοῦ κυρίου συγκαλούντων τοὺς ἀδελφούς· καὶ μὴ

ἐθέλοι κοινωνεῖν ταῖς κλήσεσι· διὰ τὸ, ἐξευτελίζειν τὸ γινόμενον. Ἀνάθεμα ἔστω.

Epulũ nemo calumniari debet in fide datũ Fratribus, aut Pauperibus.

CANON .II.

SI quis illos despicit, qui Agapas in Fide faciunt, & Fratres inuitant in honorem Domini: Neque velit his inuitationibus communicare: Per hoc vilipendens quod agitur — Anathema esto.

Gratianus in Diorismo suo 42. explicans illud Apostoli verbum, Sacerdotes oportet esse Philoxenos (Id est, Hospitales, benignósque peregrinorum susceptores, & amatores) istum præsentem canonem posuit. Cuius antiquus translator, In duobúsque sequentibus ibi, græcam vocem, Agapas, reliquit in sua versione Latina. quàm Gratianus, aut alius interpretari voluit: Interpretationémq; suam contextui canonis adiecit - Agapas, Id est, Cõuiuia pauperum. Si dixisset, Hominum se mutuò diligentiũ conuiuia, rectiùs dixisset. Agapis enim tam pauperes quàm diuites intererant. de quo dicamus.

Agape. vox est in Apostolo frequentissima, nec in Euangeliis rara. quæ modò vertitur Dilectio, modò Charitas. Quin & Latina facta uidetur Ecclesiæ Latinæ vsu. Tertullianus ad Martyres, Agapen fratrum nominat: & aliubi non semel. In Cypriano legimus Agapen & dilectionem fratrum religiosè & firmiter exercendam cap. 3. libri tertij ad Quirinum Scribens ad Eustochium, de custodia Virginitatis, Hieronymus hanc vsurpat. Augustinus etiam cap. 4. & cap. 20. libri vicesimi contra Faustum Manichæum. Dilectio quidem siue Charitas est Agape. scilicet, in animo consistens. Est animi affectus. velut Amicitia vel Amor. Præterea, Munus, & quicquid huiusce dilectionis caussâ donatur & exhibetur, Agape similiter vocatur. Eleemosynas appellant *Agape.* To. 6.

pellant Agapas, ex more Vulgi. Námque mendici per Galliam sibi donari quid efflagitantes, orant, Vt ipsis charitatē faciamus.

Epulum, quod per Charitatem, fraternámque dilectionem præparatur indigis & pauperibus est Agape. Iudas Iacobi frater in epistola sua de quorundam loquens impietate dicit—οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, συνευωχούμενοι ἀφόβως, ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες. vbi sic interpres.—Hi sunt in Epulis vestris, Maculę, Conuiuantes sine timore, Semetipsos pascentes Agapas vertit in Epulum, uel Epulas. accipiens (vt Latini) pro conuiuio publico, seu pro mensa communi.

Agaparum Christianorū simplicitas & modestia.

Conuiuandi verò seu conuescendi vsus ex Apostolorum, & Apostolicorum longissima consuetudine processit, & per annos quamplurimos obtinuit. Illis enim Christianæ pacis & concordiæ antesignanis in more solemni fuit (sicut hîc à Zωnara scribitur) ὡς μετὰ τῶν ἁγιασμάτων μετάληψιν, συνέρχεσθαι, καὶ συνεσθίειν. τῶν πλουσίων τὰ βρώματα χορηγούντων, συγκαλούντων καὶ τοὺς πένητας. Id est, Vt post Sacrorum communionem siue participationem (postquam, videlicet, de Corpore domini, & Calice participassent) omnes simul irent, & vnà cibum sumerent: Diuitibus cibos ministrantibus, & pauperes conuocantibus. In eo conuiuio summa rerum frugalitas, & omnium conuiuentium par fuit æqualitas. vt néque purpuratus, prior accumberet. Néque pauper & pannosus, posterior. Iaco. cap. 2. Hoc autem quia Corinthij non obseruabant, Ideo Paulus grauiter illos increpabat, ὡς τὸ ἔθος παραχαράσσοντας (dicam Zωnaræ verbis) καὶ οὐχὶ κοινῶς δειπνοῦντας. vt consuetudinem peruertentes, & non ex æquo siue communiter cœnantes. alius enim famelicus esuriebat, & alius ebrius erat. 1. Corinth. 11.

Agapes excellentia.

Petrus hanc Epuli dandi consuetudinem commendare plurimùm videtur in ea sanctimoniæ vitæ catena, quam nectit in epistolæ suæ. 2. capite primo, sic dicens—ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ εὐσεβείᾳ τὴν φιλαδελφίαν· ἐν δὲ τῇ φιλαδελφίᾳ τὴν ἀγάπην. Quum multa sanctissimus Apostolus connexuisset, quæ sunt inuicem colligata, séque mutuò consequuntur. videlicet, Fidès, postea Virtus. deinde, Scientia. quam sequitur Abstinentia. mox & hanc, Patientia. Patientiæ comes est Pietas. Inde suam velut absoluens catenam dicit—Et in pietate subministrate Philadelphiam. Et in Philadelphia subministrate Agapen. Philadelphia est amor fratrum mutuus. Fratres autem sunt omnes Christiani, qui vnum patrē Deū agnoscunt, & vnum Spiritum sanctitatis habent. Ex hac autem

Fraternitate, velut inter eiusdem patris coharedes filios, sequitur substantiæ familiaris communicatio. scilicet, Vt nullus sit inter eos egens: vt seinuicem sustentent: vt onera mutuò ferant. Hæc est Agape. quam, velut anulum Diuinæ illius catenæ supremum posuit Apostolus.

Tertullianus elegantißimè, citato superiùs cap. 39. Apologetici, qualia fuerint istiusmodi conuiuia Christianorum, describit. & ait— Cœna nostra de nomine rationem suam ostendit. ἀγάπη vocatur. Id quod dilectio penes Græcos est. Quātiscúnque sumptibus constet, Lucrum est, pietatis nomine facere sumptum. Siquidem, inopes quósque refrigerio isto iuuamus. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittitur. Non prius discumbitur, quàm Oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes capiunt. Bibitur, quantum pudicis est vtile. Ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem, & lumina, Vt quísque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, in medium prouocatur Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æquè Oratio conuiuium dirimit. Inde sic disceditur, vt qui, non tam cœnam cœnauerint, quàm Disciplinam. Prolixius hæc, & alia prætermissa, Tertullianus habet. Quæ Plinius, Annis antea penè. 90. compendio dixerat, Epistola. 317. lib. 10. de Christianis ad Traianum. Narrat ipsis morem fuisse conueniendi ad capiendum cibum, Promiscuum tamen, & innoxium. De quibus & Augustinus, dicto cap. 20. Agapæ nostræ pascunt pauperes (ait) sine Frugibus, sine Carnibus. Tam multa mihi dicere visum fuit de voce ἀγάπη. Ne quis amplius nescio quas Homericas εἰλαπίνας & Liguritiones pro sobriis Christianorum Agapis, in canonibus nostris temerariè supponat.

Quales erant Agapæ Christianorum.

Manualem dicit aquam, quæ Manibus abluendis effundebatur.

Sic igitur ad refolliciationem pauperum apparabantur Agapæ. quibus tamen vnà omnes, Pauper átque Diues, interesse debebant, verùm (quemadmodum suprà dictum fuit) accumbendi discrimine nullo Fratres omnes promiscuè sedebant. Nec alius in sessione præueniebat alium. Paulus enim sic instituerat, Fratres mei, quando conuenitis ad manducandum, Expectate inuicem. Superbis quibusdam Fratribus, qui salutari volebant in foro, & in conuentibus primas ambiebant cathedras, in cœnísque primos accubitus quærebant, id ignominiosum videbatur. Quare, φιλοπρωτευοντες (vt loquitur Iohannes) & elati, simplices istos

Cap. Liquido. de consecr. dist.

Agaparum cōtemptores.

Christianæ

Christianæ plebis conuentus, piásque cænulas dicteriis & scommatis suis eleuabant: his adesse per arrogantiam dedignabantur: Et eò conuenientes irridebant, Nec amplius in suum consortium recipiebant. Error Eustathianistarum. sicut hîc videtis. Error quóque Manichæorum: qui Christianis obiiciebant, quòd Sacrificia quædam paganorum, quibus Epulum dari solebat, in suas Agapas conuertissent. His maledicis, & impiis blateronibus respondet Augustinus. Hæc nostra lex Gangrensis anathemate notat & execratur istos omnes paternorum contemptores cauillatorésque rituum. Sic antea Iohannes accerrimè reprehenderat gloriosulum quendam Diotrephen: qui néque ipse recipiebat Fratres: Er prohibebat eos, qui recipiebant, eiiciens ab Ecclesia. In. 3. Ioan. Epist. quâ præsens confirmatur Canon. 42. dist.

Confraternitates non sunt improbandæ. Hinc Sodalitates illę, quas in Diuorum memorias, & ob religionem multi sæpissimè contrahunt, originem ducunt. Confratrias, siue Cōfraternitates appellant. In quibus ad cultum diuinum, ad Eleemosynas, ad communes etiam, seu conuiuales epulas fratrum, non illicitè ab vnoquóque nummi conferuntur. Vt sæpe Sacris iisdem adstantes, & annuo conuictu sese mutuo visentes, initam recolant inter se Diui alicuius auspiciis Fraternitatem & amicitiam. Hoc habet Agaparum priscarum speciem. Agapas autem despicere nemini fas est.

At in Agapis, Martyrúmque vestrorum memoriis, vestri se inebriant. Hoc Faustus Manichæus obiiciebat Augustino. quod & Gnostici nobis. Augustinus respondet. Hoc non docemus: quum si vel in domibus suis id faciant, per sanam doctrinam cōdemnemus, & corrigamus: verùm, Tollerare compellimur, ac sustinemus, donec emendemus. cap. 21. dicti libri vicesimi. Conuentûs ad Martyres, & Agapas, id est, Confratriarum, finis est bonus— Diuinus, puta, cultus. Absit autē, vt ea, quæ propter bonum ac licitum facimus: si cuiquam, per hæc, præter nostram voluntatem, aliquid mali acciderit, nobis imputetur. Hoc ille scripsit in sua quadam epistola ad Publicolam. Can. de occidendis. 23. q. 5.

Confraternitatū Fratres caueant à Phratriis. Meminerimus tamen quòd in Agapis, eâ se modestiâ semper, eâ simplicitate Christiani gerere debent, vt de Confratriis Phratriæ non fiant: Néve Fratres appareant Phratores, ac φρατριάζοντες. Hoc est, Ne veniat inde contra præfectos Ecclesiarum, vel alios

quosuis τὸ τῆς συνωμοσίας, ἢ φρατρίας ἔγκλημα. Id est, Coniurationis, & malignâ factiosáque mente factorum conuenticulorum crimen. quum tendunt aliis insidias, fraudem meditantur, malúmque moliuntur. Illicita sunt id genus sodalitia. Legibus Ethnicorum seuerissimè vetita. quæ & Calchedonensi canone. 18. grauissimè damnantur.

Can. Coniurationum. 11. q. 1.

Agapæ solæ probantur, quæ fiunt (vt hîc dicitur) ἐκ τῆς πίστεως. ex fide. quoniam, Quod non est ex fide, Peccatum est. Atqui, rebelles & seditiosi Gnostici nihil ex fide catholica faciunt: quam factis, quam verbis in aperto negant. Igitur, Coitiones illorum nocturnæ (quò se plúsquam libentissimè deuotæ quædam fœminæ surripiunt, & noctu coëunt) Agapæ vel Cœnæ dici simpliciter & cum veritate nequeunt. Inter illos quidem (fateor) maxima est concordia, nec est dilectio minor: sed non alia, quàm quæ dicitur à Satyrico, Magna inter molles concordia. qualis erat coniuratissima in Syssitiis & hetæriis Bacchanalium. Sed, quid hæc ad cœnas & Agapas Christi fidelium? quarum prima Lex est, Vt sint ex fide.

Nocturnæ Gnosticorum, Gnosticarúmque coitiones & cœnæ non sunt Agapæ.

Post annos Synodi præsentis circiter octoginta, quum patres Laodicæam conuenissent, aliæ duæ super Agapis latæ leges tum fuere. Prior vetat, Et Laicos, & Hieraticos εἰς ἀγάπην καλουμένους, μέρη αἴρειν. Ad Agapen vocatos, Ciborum partem quémque suam tollere. De suorum Idolothytorum ferculis, cuique suam partem Gentiles apponebant (μερίδας appellantur apud Athenæum) quas sibi conuiuæ tollebant. Synodus hoc improbauit: Et omnes in triclinio, seu domo refectionis manere voluit, ac simul omnes appositis vesci. Non esset alioqui in tam pio conuentu temperatum quid, aut certâ ratione digestum. Magnáque per hoc Ecclesiæ inureretur iniuria. canon concilij. 27. Inter grandia peccata filiorum Heli non dissimile refertur. quòd illi, videlicet, nondum peracto sacrificio, tollebant immolatarum carnium partem sibi contingentem, Sacrificiúmque deserebant. Colligit hinc Brixiensis, Episcopo non visitanti non esse procurationem mittendam: quæ quidem soli debetur officium per se præstanti, rémque sibi demandatam procuranti. Canones non inepté Pastum siue Refectionem, Prandium, Cœnam vocant Procurationem. Sic etiam tantùm præsentibus Diaria debentur. Id est, Distributiones siue Portiones quotidianæ. Nihil absentibus.

Can. Nō oportet. 42. dist.

Simul omnes & promiscuè vesci debent in Agapis.

1. Reg. 2.

Can. Relata. 10. q. 1.

Cap. Licet. de præb. in antiq.

Agaparum lex alia ſtatim ſequitur in Laodicæno Can. 28.

οὐ δεῖ τὰς ἀγάπας ἐν τοῖς κυριακοῖς, ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ποιεῖν· καὶ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ ἐσθίειν. *Id eſt,*

Can. Nō oportet. 42. diſt.

Non decet in ædibus Domino ſacratis, vel in Eccleſiis Agapas facere: Nec in domo Dei comedere.

In templis nō eſt epulū populo dādum. quod Ethnici faciebant.

Paulus hoc iam ſatis prohibuerat, in Corinthios exclamans, Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? An Eccleſiam Dei cōtemnitis? Certè, Qui priuatas & peculiares cœnas, aut aliud prophanum facit in Eccleſia, locum ſanctum contemnit, Et contumeliâ congregationem totam afficit. Sed neque Paulus, nec vllæ patrum ſynodi potuerunt ethnicorum recens ad Chriſtum conuerſorum ſic moderari lætitiam, quin (dum res admirandas fieri cernerent ad ſepulchra martyrum) ipſis quoque placere putarent ea, quæ ſuis haud ita pridem creditis diis exhibuiſſent, Epulum de rebus oblatis, & victimis immolatis.

Non pluribus annis poſt cōcilium, quàm. 50. Pontius Paulinus Epiſcopus Nolanus, Auguſtini συγχρονὸς & amiciſsimus, in decem libellis (quos decem Natales appellauit) ſancti Fœlicis Epiſcopi quondam Nolani vitam, carmine certè non infœlici, deſcripſit. In Natalis noni fine legitur aliquid huc attinens, propius tamen ea concernens, quæ dicentur inferius can. vlti. Propterea referam. Sanctus Epiſcopus Paulinus conqueritur, & fert ægerrimè quòd in æde ſacrata diuo Martyri Fœlici, populus (qui numeroſus eò quotannis confluebat) exultans gaudio parum ſobrius epularetur.

—Gens malè credula Sanctos (ait)
Perfuſis halante mero gaudere ſepulchris:
Verùm, vtinam ſanis agerent hæc gaudia votis,
Nec ſua liminibus miſcerent pocula ſanctis.

Ideo Paulinus Epularibus iſtis ſacrificiis occurrere volens, vndique templi parietes ornari variis vtriúſque teſtamenti Sanctorum vitis & hiſtoriis curauit: quibus dum paſcerent oculos, & alius alium de pictura rogaret, interim ventris obliuiſcerētur: Omníſque temperantiæ coràm poſita cernentes exempla, temperarent à ſympoſiis ſuis. Carmen dignum mihi videtur, quod audiatis. Elegans eſt, átque pium, ſic habet.

Pictura prouocat intuentes ad sui contemplationē.

Propterea visum nobis opus vtile, Totis
Fœlicis domibus pictura ludere sancta.
Si fortè attonitas hæc per spectacula mentes
Agrestum caperet fucata coloribus vmbra.
Quæ super exprimitur titulis, vt littera monstret
Quod manus explicuit: dúmque omnes picta vicißim.
Ostendunt, relegúntque sibi, vel tardius escæ
Sint memores, dum grata oculis ieiunia pascunt.
Atque ita se melior stupefactu inserat vsus,
Dum fallit pictura famem: sanctásque legenti
Historias castorum operum subrepit honestas
Exemplis inducta piis: suadetur hianti
Sobrietas: nimij subeunt obliuia vini.
Dúmque diem ducunt spatio maiore tuentes,
Pocula rarescunt, quia per miracula tractant
Tempora, iam paucæ superunt Epulantibus horæ.

Christiani vix potuerunt in festis Sanctorum natalitiis ab istis Visceratiombus (vt Ethnici vocabant) & Epulationibus, Choreis átque tripudiis contineri. Néque se continent adhuc. Quam ob rem fuit Lex illa sæpe repetenda. Post annos ducentos sexaginta, vel plures, anno puta, circiter. 681. Sexta synodus ad verbū renouauit illum Canonem Laodicænum: Pœnámque non obseruantibus indixit — οἱ δὲ τοῦτο ποιεῖν τολμῶντες, ἢ παυσάσθωσαν, ἢ ἀφοριζέσθωσαν. Qui facere hoc audent (in templo, scilicet, Epulari) Aut desinā̄t, Aut excommunicentur. Concilij canon. 74. Quo in loco Zonaras idem quod in canone Gangrensi iam dixerat (vt audistis) Iterum quóque refert, inquiens — Ἀρχαῖον ἔθος ἦν, τὸ μετὰ τὴν κοινωνίαν τῶν θείων μυστηρίων, συσσίτια γίνεσθαι καὶ συμπόσια: τῶν πλουσίων χορηγούντων τὰ βρώματα, προσκαλουμένων δὲ καὶ τοὺς πενεστέρους. Id est, Antiquus mos erat, post communionem diuinorum mysteriorum, coëpulationes & compotationes fieri: Diuitibus epulas suppeditantibus, & præterea pauperiores inuitantibus. Hunc plenū charitatis & misericordiæ, veréque Apostolicum morem verterant (quæ diaboli sunt artes) in lasciuiam. Subinde Lex ideo repetenda fuit. de qua dicemus adhuc in d. can. vltimo.

Ecclesia non est in cauponam vertēda.

Præterea, Quod in canone dicitur Nō oportere comedere in domo Dei. Modico postea tempore (dum consulatū gererent, sub Arcadio & Honorio, Cæsarius & Atticus hoc est, Anno. 399. Patres Carthagine repetierunt: hinc tamen excludentes necessitatē. Canon synodi Carthaginensis. 32. de symposiis in Ecclesia non agen-

agendis, est — Ἐπισκόπους, ἢ κληρικοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ μὴ συμποσιάζεσθαι. εἰ μὴ δ᾽ ἂν, τυχὸν ἀνάγκῃ ξενίας διαβάντες ἐκεῖ καταλύσωσιν. καὶ οἱ λαοὶ δὲ ἀπὸ τῶν τοιούτων συμποσίων, ὅσον δυνατόν ἐστι, κωλυθῶσιν. id est -- Episcopos, aut Clericos in Ecclesia conuiuari nõ decet. Nisi fortè necessitate peregrinationis transeuntes, illic hospitetur. Et Laici pariter ab istiusmodi conuiuiis (quantùm possibile est) prohibeantur. Insolenter & lasciuè saltans, edens, bibens, aut etiam dormiens in templo (qui ludus est Brugandorum) reus est Canonis. Quum verò diuertere nõ licet aliò: vel si qua iusta necessitas, aut caussa (velut in ęditui(s) eò nos adigit, culpâ vacamus. Omnis tamẽ insolentia semper abesse debet. In templis (vt ab eodem Paulino scriptũ legimus) — *Can. Nulla Episcopi. 42. dist.*

Vnus vbique Calix Domini: & Cibus vnus: & vna
Mensa, Domúsque Dei. diuendant vina tabernæ.
Sancta precum domus est Ecclesia.

Væ templorum prophanatoribus.

Zonaras insuper multus est in istis explicãdis verbis, ἐν τοῖς κυριακοῖς, ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. Canonicæ scripturæ phrasin non vnã profert in Symplecticis, átque Diazeucticis obseruatam. Demúmque astruit illud. ἢ non esse (quod solet) disiunctinum, sed hîc expositiuum. Vt sit. ἢ. ἀντὶ τοῦ, ἤτοι positum pro Videlicet, Scilicet. In Kyriacis, videlicet, in Ecclesiis. Nec enim κυριακὸν aliud est quàm ἐκκλησία. Translator Canonũ vetus hunc locum sic reddidit, In Basilicis, seu Ecclesiis. Inde scholastici Canonum commentatores, hæc duo pro diuersis accipientes, per Basilicas intelligunt solas Episcopales Ecclesias: quas vt plurimùm Reges fundauerunt, qui Græcè dicuntur Basilei. Dant & alia diuersa Basilicis etyma, non referenda. Sacræ verò domus aliæ, generali comprehẽduntur Ecclesiarum nomine. Sic isti. quod ἄκυρον mihi videtur. quidnam sit Basilica videbitur in Can. 20. Kyriacum, non minus quàm Ecclesia, vox est in Canonibus nostris, & scriptoribus etiã Canonicis, vsitatissima. vertitur in Dominicũ. Deus omnium Dominus est. Cui ritè consecratũ templum nominatur aptissimè Dominicum. Ruffinus vtitur in historiæ suæ libro. 1. cap. 3. describens Aristotelici nescio cuius philosophi, cum sancto quodam, sed minus erudito Episcopo disputationem in Nicæno Concilio. Quum symbolum Fidei nostræ simplex ille, sed Dei spiritu plenus, credendi, quàm cõtendendi, diligentior Episcopus argutatori superbóque philosopho simpliciter exposuisset, attonitúmque sermonis vehemẽtiâ, reddidisset, mox subdidit - Hæc si vera credis esse, O Philosophe, Surge, Sequere me ad Dominicum: & huius fidei signaculum suscipe. Quod & ille fecit: Vim verbi non in sublimitate

Kyriacum, Dominicum.

loquentis,ſed in ſimplicitate prædicantis ineſſe propalam confeſſus. Quod non ob aliud retuli vobis, quàm propter ὑπεροχὴν λόγου, ἢ σοφίας, Quâ ſolâ nunc Gnoſtici tument,& impiè tumultuantur.

De Chriſtianis Agapis non plura. Si dilexerimus nos mutuò, Fratrúmque neceſſitatibus ſubuenerimus, ὁ θεὸς ἀγάπης (qualem Paulus nominat) καὶ εἰρήνης erit nobiſcum. Quod ſuâ gratiâ concedat. Amen.

Decimo tertio Calend. Ianuarii,pridie feſti Thomæ Apoſtoli (ſicuti moris eſt) ob inſtantem Domini Ieſu natalem ſolitæ ſunt in ſcholis noſtris indictæ feriæ,ad poſtridianum úſque diem Epiphaniorum. Quò nos ille perducat,qui nos ad hunc adduxit. Et faciat,vt illum nobis natum ſentiamus.

Tertiò Idus Ianuarij, hoc eſt, Vndecimo Ianuarij die poſt menſtruas Natalis Ieſu Chriſti ferias, reditum eſt ad ordinarias prælectiones. 1558.



Hriſtiani Auditores, Quod modò ſum dicturus, à vobis accipi volo ſine ſuperſtitione. Nec enim ſuperſtitio vlla eſt, ſed religio vera. Quando quid agendum ſuſcipio, mox operis initio, non aſtrorum flexus, & influxus attendo: quod nec debet homo Chriſtianus facere. Sed in primis & vnicè conſidero, Cuinam diuinorum Chriſti miniſtrorum, iam cum ipſo Chriſto regnantiũ, dicatus ſit operis noui dies. Inde ſumens auſpicium, lætus & alacer admolior negocio manus, Omen accipiens è geſtu & vita ſancti: confidens ipſius apud Chriſtum precibus, vt dirigat & abſoluat incœpta.

Ianuarij dies hic præſens eſt vndecimus, Hygino quondam Papæ Romano ſacer: qui fuit Octauus à Petro (Linum, Cletúmque Petri ſubadiuuas de Pontificũ numero ſubtraho) dum regnaret Antoninus Pius: ſub quo mortem quóque pro Chriſto paſſus eſt, circiter annos Euangelii prædicati, centum cum decem. Chriſti verò nati, centum quadraginta. Patre Philoſopho natus Hyginus, & ipſe Philoſophus eſt cognominatus, Athenienſis Patriâ. Scripſiſſe fertur Athenienſibus Epiſtolam pietatis plenam. quam videas Tomo Conciliorum primo. Sedit annis quatuor: quo breui tempore multa profectò conſtituit Eccleſiæ perquam neceſſaria. quæ Damaſus, (& ipſe Pontifex, dum Hieronymus viueret) in Pontificali ſuo refert. Inter alia, Pontifex Hyginus Clerum compoſuit, & diſtinxit in gradus. Quum verò nihil, quàm de Cleri gradibus inſpiciamus hoc in Speculo: Scilicet, vt ſit Clerus moribus & ordine certo compoſitus, Optimâ ſpe nunc adducor,

San-

Sanctum Pontificem, Christique Martyrem (cuius die festo, Labores nostros renouamus) auxilio nostris venturum conatibus: & hu a Christo faustum fœlicémque finem suis impetraturum precibus. Iam dicere de Canone. 12. Synodi Gangrensis incipiamus.

De me (quod meum tamen non est, sed Chrysostomi in Homilia de Adam & Eua) sæpius audistis quòd, Peccatum est pœna peccati. Iuxta illud, Quia veritatis dilectionem non receperunt, vt salui fierent: Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. To. 2. 2 Tess. cap. 2.

Quod euenturum prædixit Apostolus, auditor Christiane, non potest non euenire. Quia Cataphronites Eustathius noluit antiquarum Ecclesiæ traditionum veritatem diligere, propterea, De errore subinde labebatur in errorem (Gnosticos infœlicis æui nostri putate vobis indice monstrari) Nuptias ille primùm cõtemnere, maláque dicere cœpit. Esum deinde carnium damnare. Dies postea festos prophanare. Templa sacra post hæc despicere. Et quæ vidistis hactenus alia. quibus non contentus, Vestium quoque superstitiones induxit.

Quod quidem pertinet ad id, quod ostendi superius, Omnes hæreses instar catenæ cuiusdam simul esse connexas, néque disiungi posse. Parua licet in principio videatur. (sicuti cœpere, Primùm disputantes περὶ βρωμάτων διαφορᾶς) Alia mox super aliam pedetentim sequitur. Vsquéquo miseri ruant in Abyssi profundum.

Tibi nunc ego referam, quod ab annis non adeo multis contigit in istorum phygadeuteriis, Vt tibi persuasum maneat, Hæresin semper ab Hæresi generari: Nec vnà contentos esse posse Gnosticos. Ad hos defecerat doctor quidam Gallus: qui statim fuit à Receptatoribus inter alios ibi Gallicè prædicantes admissus. Homo nec eruditione, nec audaciâ posterior vlli fugitiuorum (qui tamen postea resipuit, & ista literis prodidit. Animæ defuncti bene sit) Iámque primas inter illos sibi vendicabat. Quod ferre non valentes alii tres Prædicationis & fugæ tempore longè priores, illum mox calumniantur: ipse calumniatores vicißim recriminatur. ad suas tandem ventum est Systases (Synodos appellari volunt) ibi mutuò quásque Fidei suæ rationẽ poscit, átque reddit. Et ne dignum patellâ deforet operculum, Caligati nescio qui Bubulci venerabili Synodo præsidebant. Inter illos tres exurgens Myconinus: (Ita sui discipuli, sed & eius Antagonista cognominant, quisquis is tandem sit) Hoc mirum videri potest, quod obiter dicam. Gnostici, quum per Hæreses non aliud ambiant, quàm multam sui nominis & famæ propagationem: nullus tamen inter eos adhuc, aut pauci, (puto

quòd nullus) qui gentilitium nomen suum retinuerit: aliunde sibi fingunt & accersunt appellationes quasdā speciosas, propriis & familiaribus immutatis. ad rem. Myconinus exurgens, dum cuncta priscorum fidei symbola reiecisset, vnum suum singulare protulit, in diuinam Christi generationem sanè plusquàm blasphemum. Ridet enim battologiam (sic impiè vocat) horumce verborum, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. sed néque Trinitatis vocabulum recipiebat, quia tum sibi minimè latinum videbatur: Annis tamen postea paucis, dum suum Synmysten (seu Praeceptorem) procurauit exurendum (quòd is primam sibi cathedram praeripere vellet) aliud, alioqui miserrimo, meritissiméque exusto nihil obijciebat, inuidiae caussam tacens, quàm prodigiosos errores Sacrae Trinitatis negatae. ποικιλίαν vides Empusarum. Omnino Nicaenam fidem, totámque Synodum Myconinus ibi respuit. Athanasij symbolo néque se credere, néque discredere dixit, donec illud ad gnomen Scripturarum plenius examinasset (ὢ probum examinatorem? O quae iam satis ima dehiscat Terra tibi?) quia, non ab Ecclesia vera processisse putabat, sed à Papistarum primis, in quibus dietim repetitur. φεῦ τοῦ λόγου. Iam num tibi, qui post Iouinianos, & Vigilantios, & impuros alios gregis Epicurei subulcos, Patriarchas suos, Ciborum primùm praedicarat adiaphoram, Ceremonias Ecclesiae sustulerat, Ordinúmque, & Vestium discrimen esse nullum volebat, eò decidisse tandem videtur, vt Consubstantialem & Coëternum Patri Filium non credat? planè Christum talem negat, qui Deum verum de Deo vero Christum ridet átque negat. De nostro iam Canone tractemus.

ΚΑΝῺΝ .ιβ.

Εἴ τις ἀνδρῶν, διὰ νομιζομένην ἄσκησιν, περιβολαίῳ χρῆται, καὶ, ὡς ἂν ἐκ τούτου τὴν δικαιοσύνην ἔχων, καταψηφίσοιτο τῶν μετὰ εὐλαβείας τοὺς βήρους φορούντων, καὶ τῇ ἄλλῃ κοινῇ, καὶ ἐν συνηθείᾳ οὔσῃ ἐσθῆτι κεχρημένων, ἀνάθεμα ἔστω.

Anathema credenti genus aliquod indumenti vel afferre, vel auferre, spem salutis, ipsum gestanti.

CANON .12.

SI vir aliquis, ob eam, quam sibi sectandam putat, Religionem, vtatur Peribolaeo:

læo: Et velut in hoc Iustitiam constituens, condemnet eos, qui Bîros cum Dei metu atque reuerentia gestant,& aliâ communi solitáque veste vtuntur, Anathema esto.

De verbis Canonis nonnihil primò (quod expedit) de re postea dicemus.

Peribolæum. Dauid in Psalmo centesimo primo comparauit cœlos περιβολαίῳ. quod hac illac gestantis manu facilè circumuoluitur. ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτούς. vbi vetus interpres transtulit — Et sicut opertorium mutabis eos. Paulò pôst aliter idem vertit Psal.103. Ἄβυσσος, ὡς ἱμάτιον, περιβόλαιον αὐτοῦ. Abyssus, sicut vestimentum, amictus eius. Quomodo versum quóque legis ad Hebr. cap.1. vbi Paulus eum Psalmum.101. citat. Velut amictum, mutabis eos. Mulieris etiam capillos Apostolus nominauit περιβόλαιον. 1.Corinth.cap.11. ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίου δέδοται. sic ille reddidit, Capilli pro velamine sunt ei dati. Hæc eodem recidunt, Amictus, Opertorium, Velamen. Quicquid amicit, ambit, circundat nos (quemadmodum veste circuntegimur) id περιβόλαιον Græcè nominatur. apud Suidam περιβόλαιον ἐστὶ ἔνδυμα. Peribolæum est indumentum, seu vestimentum. Quare Peribolæum hîc rectè verterunt in Pallium. Sicuti Togam Romanorum, Sic Pallium dicunt esse Græcorum. Vox tamen purè Latina est Pallium .quam deriuant à Palàm. Velut & Palla. quòd foris pateat vtráque vestis, interioribus indumentis ac tunicis superposita. Palla tantùm muliebris est. Pallium verò commune, Puta, Virile, Muliebre, pariter & Puerile. sic Vlpiano definiente, Pandectarum lib.34. L.Vestis ff.de auro,& ar. lega.

Tertullianus factus Christianus mox libellum de Pallio scripsit ad Carthaginensium primores: qui, quòd hominis Centurionis & Proconsularis filius, derelictâ Togâ, Pallium sumpsisset, ipsum deridebant, átque subsamnabant, sine (vt loquitur) eum denotabant: obijcientes è triuio tunc prouerbium, De Toga ad Pallium. quasi diceres, A splendidis & lautis ad vilia deijci. De principe coquus, aut molitor factus, vt nostri loquuntur.

In eius libelli ſtatim principio deſcribit ille Pallium dicens — Pallij extrinſecus eſt habitus,& ipſe quadrangulus,ab vtróque laterum regeſtus,& ceruicibus circunſtructus,infibulæ morſu humeris acquieſcebat. In fine rurſus libelli, quum Togæ formam retuliſſet, quâ nihil erat impeditius, ita vt qui Togam geſtaret, Indutum ne ſe,an Onuſtum, Habere veſtem, an baiulare neſciret. Poſt hæc ait — Pallio,contrà,Nihil eſt expeditius: quod operit ſolutim (Id eſt, vno circuniectu ſine plicis, Non inculto illo,nec inhumano) & omnia hominis ſimul contegit. Pallij deſcriptionem vides. Per quam ſatis intelligitur ipſum propriè nominari Peribolæum. Pollux in Onomaſtico. αἱ δὲ ἐφεστρίδες, καὶ ἀμφιεστρίδες, περιβόλαια ἂν εἶεν. Id eſt, Exteriores veſtes,& quæ ſuperinduuntur,ac ſuperinuoluuntur,Peribolæa ſunt.cap.13.lib.7.

Palliũ eſt genus veſtis oblongum, ſimplex,et frugale, Hominis totum corpus, a ceruicibus ad talos vſq, vno circumiectu cõtegens, fibulis annexum et aptatum corpori. Gracè Peribolæum.

Tale quondam fuiſſe Pallium conijcio, qualis nunc eſt ea veſtis,quam Talarem, Longam, ſiue Presbyteralem vulgò nominamus: quæ ſine rugis,latiſque manicis,& ambitu ſpatiante conſuta eſt, Honeſtati Clericorum præſcripta per concilia. Quum verò Tertullianus dicit,Pallium ceruicibus circumſtructum fuiſſe, Mihi dicere videtur, Pallium fuiſſe penè cucullatum, quòd altum ſic eſſet, vt collum totum retrò contegeret. Pariter quod apud eundem ſequitur — Infibulæ morſu, humeris acquieſcebat — Patrum confirmat decretum longiſſimo pòſt tempore vetantum, Ne Clerici Palliis diffibulatis vtantur. Id eſt. Vt fibulis ad collum Sacerdotum veſtes connectantur. dummodo non ſint aureæ vel argenteæ fibulæ. Fibulas, & infibulas noſtri vocant Agraphas. Ex Tertulliano præterea cognoſcimus, illis Apoſtolicis Eccleſiæ temporibus ad Chriſtum conuerſos, aliis indumentis omnibus derelictis, omnes ferè veſtire ſe Pallio ſolitos: Ob huius veſtimenti (ſicuti puto) facilitatem, frugalitatem, átque ſimplicitatem. Quæ res dedit Hæreſi cauſſam, quæ præſenti Canone damnatur. ad cuius plenam declarationem fuit iſtud neceſſariò prænotandum.

Cap.15. de vita& Honeſt. Cleri.in antiq. & cap.2. in Clemét.

d.cap.15.

Pallij genus aliud in vſum poſtea venit: quod honoris gratiâ Pontifices Romani ſolent aliis indulgere minoribus Epiſcopis inter ſacrificandum. Hoc noſtro longe curtius & breuius eſt. Nec ad ceruicem protenditur — Candidâ lanâ contextum eſt. Nigrum verò fuit, aut Onagrium, Priſcum. De Palliis Chriſtianorum loquor,ſimilibus (vti puto) Pallio Philoſophorum. quale primus, cum pera (ſi credimus Laërtio) geſtare cœpit Dioge-

diſt.100. & de autho.& vſu Pallii. in antiq.

genes. Nam diuitum & Luxurioſorum Romanorum Pallia purpurea, Coccineáque legimus. Hoc recens Pallium non operit brachia, néque totum corpus, ſi vera nunc eius forma ſeruatur. Humeros vtrinque circulis & acubus duntaxat aſtringit. Et hâc vnâ ſpecie repręſentat antiquorum Pallium. Ex quo nomen ſumpſit. Obſcura quædam ſunt adhuc in litera.

τὴν δικαιοσύνην ἔχων.—

Iuſtitia. Iuſtitiam habens. Hîc non accipias Iuſtitiam pro vna ſpecie virtutis & bonitatis, quâ ſuum cuíque tribuitur apud Iuriſconſultos. Omnes virtutes, Omnem probitatem ſub hoc Iuſtitiæ nomine debemus intelligere, quæ quidem faciant ad ædificationem Eccleſiæ. De qua Iuſtitia ſcribitur — Beati, qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam, hoc eſt, Ardenter expetunt ea omnia, quibus ſolis animus expletur átque ſaturatur. Omne, videlicet, quod honeſtum eſt. Beati, qui perſequutionem patiuntur propter Iuſtitiam. id eſt, propter opera bona, & Euangelicam pietatem. Oportet nos implere omnem Iuſtitiam, id eſt, Omnia Dei præcepta. Attendite, Ne Iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, hîc Iuſtitiam poſuit pro eleemoſyna & beneficentia. Breuiter, In ſacris vix aliter inuenias. Itáque, Iuſtitiam habens, id eſt, abſolutam & conſummatam Religionem. quaſi vis aliqua ſanctitatis eſſet in veſte, citra quam nemo piè poſſit, & euangelicè viuere.

Inſti. de Iuſti. & Iure. *Matth.5. & .6. Luc.3.*

τὺς βήρυς φορούντων.

Bîros ferentium. Pro Beris, ſeu Bîris, Birros, ρ. geminato, interpretes hîc ſcribunt: & eandem ponunt omnes iſtius verbi ſignificationem. Per Birros intelligit Hugo viles & groſſas (vt ait) veſtes. Archidiaconus, & reliqui ſequuntur. Accurſius etiam. l. vnicâ. Nulli lice. in frenis. &c. lib.11. C. genera quædam veſtium recenſens in gl. Fibulis. ait, Birrus eſt ruſticorum. ſic Albericus in dictionario citauit. Antiqua vox eſt, Birrus. quam Seruius Grammaticus enarrans illud in Æneidos lib. 10. Iunonis ad Iouem, Quid ſi, quòd voce grauaris, Mente dares. de gerundij Syntaxi propoſuit in exemplum. Dum volumus abſolutam (ſicut ait) eloquutionem facere, dicimus — Perendum mihi eſt Equum, Codicem, Birrum. Non declarat, quid ignota vox ſignificet. apud alium latinitatis authorem mihi lecta non eſt. Néque Latinam, néque Græcam

Birrus.

putant eſſe. A noſtris propoſita ſignificatio diſconuenit Canoni præſenti. Satis ipſi pro libito per Pallium volunt intelligi precioſas veſtes. Et per Birros accipiunt pannoſas, rudes, & craſſas. Neutrius videntur intellexiſſe ſignificationem vocis. Inter veſtimenta nihil olim fuit humilius Pallio: proprio, cum crinibus, & barba, tunc temporis inſigni Philoſophorum. Barbam (quidam dixit) & Pallium video, Philoſophum non video. In Birro noſtros fortè decepit, quòd, Vnum panni genus eſt humilium, pauperúmque ruricolarum frequens indumentum: cuius color καπνώδης & ἀνήκοος eſt. Fumoſus ſeu fumo tinctus, & à ſeipſo naturaliter elaboratus. qualibus indutos χωριανὰς videmus. Nobis vernaculè Burus, aut Bureus appellatur. Bureau. Burrhi cuiuſdam coloris meminit Feſtus de verborum antiquorum ſignificatione tractans. à Græcis πυῤῥὸς appellatus. Rufus eſt, & rutilus inſtar auri color. Hic ad huiuſce Canonis Biros magis accedit, quàm Bureus, aut illa quæ ſomniant interpretes. Hunc locum Zωnaras explicat apertiùs: ideo tranſcribam, quod ille ſcripſit in Canonem noſtrum. οἱ περὶ τὸν Ευςάθιον, πρὸς τοῖς ἄλλοις, καὶ ῥακοδυτεῖν ἐδίδασκον, ὡς ἐκ τούτου ἁγιάζεσθαι μέλλοντας τοὺς μαθητευομένους αὐτοῖς. περιβόλαιον γὰρ τὸ ἐπάνω τῶν ἄλλων ἐπίβλημον ἔλεγον, ἵνα φαίνοιτο. καὶ ἐκ τούτου θηρῶνται δόξαν ἀσκήσεως: καὶ κατηγοροῖεν τῶν φορούντων τοὺς βήρους. τὰ σηρικὰ, δηλονότι, ὑφάσματα. καὶ τὴν ἄλλην ἐσθῆτα τὴν συνήθη, μετὰ εὐλαβείας. καὶ οὐχ ὥστε οὐ τῶν πενεστέρων καταπαίρεσθαι, ἢ κακρῆσθαι τῇ λαμπρότητι τῶν περὶ βλημάτων εἰς βλακείαν. καὶ ἐρωτικῶν ταῦτα ἔχειν ὑποθέσεων ἀφορμάς. τοὺς γοῦν καταψηφιζομένους, ἤτοι καταδικάζοντας, ὡς ἁμαρτάνοντας, τοὺς σηρικοῖς ἐσθῆσι χρωμένους εὐλαβῶς, ἀναθέματι καταδικάζει εἰκότως. Id eſt, Qui ſectabantur Euſtathium, docebant inter alia, Veſtiri pannis craſſis & vilibus oportere. velut indè ſanctificãdi forent ipſorum diſcipuli. Periholæum verò nominabant aliis ſuperius, & exterius amiculum, ſic vt appareret. Ex quo religionis gloriam venentur. Indéque reprehendant eos, qui Biros (è Serico, videlicet, contextas veſtes) aut quod aliud in vſu veſtimentum, cum Dei timore ferrent. Et non vt pauperioribus inſultent, & efferantur: Nec vt ſplendidis veſtibus ad delitias vtantur: & quæ laſciui habeant amoris argumentum. Qui damnant igitur, vel accuſant, vti peccantes, eos, qui piè ac ſine faſtu Sericis veſtibus vtuntur, Anathemate condemnat Canon. Liquet ex his verbis quid Peregrina vox, βήρος, Zωnaræ tempore ſignificarit Græcis. In qua quidem ſignificatione ſimiliter à Patribus acceptam cum Zωnara credimus in Canone noſtro. quem iam declaremus.

Gellius cap. 2. lib. 9.

Néque Pallio tribuenda eſt Iuſtitia. Neque Biris eſt auferenda.

Ho-

HOminum suæ sensu carnis inflatorũ, hoc est, Gnosticorũ & Hæreticorũ, mos iste perpetuus fuit, & est, A recepta & cõmuni, tam vita, quàm sententia maiorum secretos átque separatos esse, Videlicet, vt soli sapere videantur, ὑπερφρόνησις enim Gnosticorum magistra, non aliud, quàm id genus dissidia docet.

Insolens Eustathius in synodo Cæsariæ Capadociæ, [cui pater eius, vrbis illius Episcopus, præsidebat] ordine suo motus fuerет, ob habitum, quem nouum gestare cœperat, à recepto sacerdotum habitu diuersum. Fecimus huiusce rei mentionem, quum de Apostatis ageremus in Aposto. can. 62. rursúmque superius. Socrates historiam narrat in cap. 43. libri secundi. Qualis autem fuerit illa ξένη στολή Eustathiana (quomodo Socrates appellat) Hinc agnoscimus. περιβολὴ fuit, id est, Pallium. gestabat Eustathius φιλοσόφου σχῆμα. dicit idem Socrates. Id est habitum philosophi. nimirum, Pallium. Primum (sicut à Tertulliano didicimus (operimentum magis, quàm vestimentum primorum Christianorũ. Sed annis procedentibus cõmuniter gestari desierat. vt hinc apparet. præter quàm à paucis austerioris vitæ sectatoribus. Athanasius Episcopus in Eremum proficiscenti Antonio dedit Pallium: quo sepeliri postea Paulus eremita voluit apud Hieronymum, de vita Pauli Eremitæ. Sed nullus Christianis, quando baptizabátur, habitus certus ab Episcopis præscribebatur, quem perpetuò gestare deberent. Attamen Pallium reuocare tentabat Eustathius: Néque verè conuersos ad Christum, vitámque mutasse credebat, qui simul & vestem non mutassent, Palliatíque non essent. Hos enim solos in Ecclesiam recipi volebat: aliter vestitos eiiciebat, & luxus damnabat. Error impiæ cuiusdam superstitionis plenissimus, átque damnatissimus. To. 1.

Nam, Si (quod in. 2. can. proponebamus) Potus & Esca non est regnum Dei — multò quidem certè minus Vestis, quæcúmque sit ea, Purpurea, pannosáue, candida, Leucophæa, nigra, vel Onagria, extorres nos, aut participes eius regni, vi suâ reddet. Ro. 14.

Vestis nõ cõmendat nos Deo.

Si (iuxta scholarum prouerbium) Habitus non facit Monachum, sed animi regularis professio tantùm — Nec habitus, etiam cilicinus, facere valet Christianum: sed animus ille solus, qui homine vetere exuto, per fidem, quæ est in Christo Iesu, nouum Hominem, átque adeo ipsum Christum induit. Rectè Geminianus hîc, & eius compilator, cardinalis Alexádrinus annotant — Extrinsecas vestes mutare non posse hominis intrinsecas qualitates. Sub

Cap. 13. de regula. & trãseunt. ad relig. in antiq.

ſordido Pallio ſæpe ineſt Sapientia. Et etiam, Nimis quàm ſæpe ſubeſt improbitas & inſipientia. dicere plura ſuperſedeo. quia ſumus amplè, ſi Deus dederit, in 40. &. 41. diſt. De inceſſu, geſtu, veſtitu Clericorum tractaturi. declarantes illud Apoſtoli verbũ — ἐπίσκοπον δεῖ εἶναι κόσμιον. dicemus & in Synodi recapitulatione ſtatim ſequenti.

Inter Gnoſticos Anabaptiſtæ condemnant hominis cuiuſcúmque veſtes & ornatus paulò nitidiores & ſplendidiores. Alij verò diſcrimen nullum volunt eſſe veſtium, Militis, aut Sacerdotis, Olitoris aut Aſſeſſoris. Talares alij tunicas, & omnes omnino ſacerdotales ornatus abiiciunt: & quicquid antiquum referat Eccleſiaſticorum miniſtrorum cultum. quum tamen ſe præcipuos, imò ſolos, Eccleſiæ miniſtros & diaconos iactitent. Alij nouitate veſtitûs religionem mentiuntur. Omnibus Anathema. peccant enim grauiſsimè. Cum præſenti canone reprobat hos omnes Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum ſcribens in capite libri ſexti nono: ſic dicens — Lineis veſtibus miſcere purpuram, & Liniſteniâ veſte indui aliquando peccatũ fuit: nũc non eſt peccatum. Sed inordinatè viuere, & diuerſi generis profeſsiones velle miſcere, Vt, vel Sanctimonialis habeat ornamenta Nuptarũ. Vel ea, quæ ſe non continens nupſit, ſpeciem virginis gerat, omni modo peccatum eſt. Et ſi quid inconuenienter ex diuerſo genere in vita cuiúſque contexitur. apertius dici nihil potuit. Aliis in locis alta tractabuntur. Hîc modò ſcierimus, quòd — Sericatos, & vnguentatos neſcio quos Epiſcopos, & Clericos ſeſe Birris efferentes, Birris geſtientes, abhorruit ſemper Eccleſia, tradíque 11.q.4. iuſsit Epitimio. Putent, átque ſordent Eccleſiæ. Væ malè feriatis iſtis modò μαλακοῖς. Qui mollibus ad faſtum, vel luxum, vitæque delitias veſtiuntur, Non in dominicis, Diaconiis, aut Epiſcopiis Matth. 11. Eccleſiarum, ſed in palatiis Regum morari debent. Effœminatus & luxurioſus ornatus, non corpus exornat, ſed mentem detegit.

Si tamen animi mores congruunt ornamentis pretioſis: & ornamenta non ſint honeſtis inſolita viris, Nec ordini, profeſsioníque, vel religioni diſconuenientia: ſuos ſic ornatos, pro diuerſa regionum conſuetudine, non improbat Eccleſia. Magnificus enim veſtium cultus (ait quidam) modò conceſſus, addit hominibus authoritatem. Græco id prouerbio teſtatũ eſt — εἵματα ἀνήρ. Sed hic ornatus in Eccleſiæ miniſtris per omnia virilis, fortis, & ſanctus eſſe debet, ab omni muliebri leuitate remotus. *Debemus in vſu veſtium ſeruare conſuetudinem.*

Veſti-

Vestibus itáque fulgere liceat exterius, interius tamen Vestem gestemus illam nuptialem, sine qua rex ad filij sui nuptias admissurus est neminem. Cooperiamus nos illo splendenti & candido Sponsæ agni Byssino: vt gaudeamus, &. exultemus, & demus ei gloriam, qui regnat in æternum. Amen.

Matth. 22.

Apocalyp. 19.

ΚΑΝΩΝ .ιγ.

Εἴ τις γυνὴ, διὰ νομιζομένην ἄσκησιν, μεταβάλλοιτο ἀμφίασμα, καὶ ἀντὶ τοῦ εἰωθότος γυναικείου ἀμφιάσματος, ἀνδρεῖον ἀναλάβοι, ἀνάθεμα ἔστω.

Non induetur mulier veste virili. Nec vir vtetur veste fœminea. Abominabilis enim apud Deum est, qui facit hoc. Deutero. 22.

CANON .13.

SI qua mulier propter eam, quã suo præsumpsit animo, religionem, mutet indumentum: próque solita veste Muliebri, Virilem sumat—Anathema esto.

Hugo veterem sequutus interpretem, qui διὰ νομιζομένην ἄσκησιν vertit in, Suo proposito vtile iudicans, Hîc subaudit, Suo proposito, Malo Puta, Meretricio. Nam scissis vestibus habilior, & paratior est ad prostituendum se: virilibúsque vestimentis induta licentius ad viros ingreditur, & vnà conuersatur. Et pariter Mas cum fœmina. Solet istiusmodi vestium commutatio, libidinis, vt plurimùm, causã fieri. Testis. P. Clodius, & Cæsaris vxor, in nescio quibus Bonæ Deæ sacris. Notissima est historia. Sed si bonum habet propositum: videlicet, vt peregrè proficiscatur, vt castitatem seruet alioqui perituram, vel qua sit alia necessitas, & iusta causa, Non peccat fœmina tunc vtens veste virili. Ducem reliqui doctores hîc sequuntur Hugonem. Vera dixisse puto: sed nihil ad verum Canonis nostri sensum. quod ex Græcis apparet.

Mulier absque reprehensione quandóque viri gestat indumentum: Virque mulieris.

Ἄσκησις in canonibus & Ecclesiasticis scriptoribus nõ est id quod

generaliter vocatur Propositum. Græcè πρόθεσις, & προαίρεσις. Id est, Hominis intentio, mens, institutum, consilium siue bonum, siue malum sit: ad opus iam deductũ, vel adhuc tacitum. Sed Ἄσκησις, propositum quidem est, & exercitium: Non quolibet, sed in rebus tantùm sacris & religiosis positum. & ἀσκέω, id est, Studeo, enitor ad sanctitatem, ad mandatorũ Dei obseruationem. Inde Basilij magni dicta sunt Ἀσκητικά. & Ἀσκηταὶ, siue Ἀσκητικοὶ sunt apud eundem rerum diuinatum meditatores. Ista latiùs in prophanis fortè patent. Vsum profero Canonum.

Ἄσκησις est rerum diuinarum.

Sectatrices suas Eustathius omni virorum volebat exemptas esse potestate. Caput aliud, præter vnum Christum, nolebat eas agnoscere. tametsi Paulus scripsisset, quòd, Omnis viri caput est Christus. Caput autẽ mulieris, Vir. 1 Corinth. xi. Tõdebat ille suas. Aperto capite, iubebat orare. Virorũ vestiebat schemate. Breuiter, Omnia subiectionis fœmineæ signa remouebat à suis fœminis. Quas (vt olim Poetæ Palladem, & nescio quas Amazonas) ἀντιανείρας vocabat, id est, Viris pares, & Masculas fœminas. quales Latini nominare solent Viragines. Innouator blaterabat istam libertatem religioni fore necessariam. Synodus hoc facientibus & credentibus infert Anathema.

Mulierẽ nemini subiici, Execrabile est.

De vestis & habitus mutatione, præter ordinis & institutæ semel à nobis statum vitæ, dicebamus in Apostolico. 62. Canone. In can. Quod interrogasti. 27. Dist. suprà. de vestitu, & ornatu decenti sermo fiet infrà. 41. dist. Quod huc specialiter attineat, nunc tantùm proponemus.

Natura, sicuti fœminis & sexum dedit, & incessum, motum, colorem à maribus diuersum: sic etiam videtur vtrique sexui diuersum præscripsisse indumentum. Quod si lasciuiens & gaudẽs alteruter immutarit. ac viri mulier, aut vir mulieris ornatum gestarit. Hos per Mosen (sicuti est in epitome) Deus abominatur. Hoc non facilè fieri sine reprehensione posse, Lex Romana dicit. l. Vestis. §. muliebria. & seq. ff. de auro & arg. leg. Cuius quidem loci commentatores nonnulli tradiderunt eos infames esse, qui sic se vestiunt. Athenienses istiusmodi γυναικώδεις & cuiratos homines appellarunt Batalos. ab obscœno quopiam tibicine & histrione, cui nomen Batalus: qui primus sandaliis & vestimentis muliebribus in scænam prodiit. Vulgus nostrum retinet adhuc istud nomen. & vocat *Bateleux*. Quos homines infames esse cõstat,

Infame est Fœminã pro Mare, Vel Marem pro Fœmina lasciuè se gerere.

ſtat. Batali meminit Plutarchus in vita Demoſthenis, & Suidas, qui ſcripſit βαταλίζεσθαι eſſe μαλακῶς καὶ αἰσχρῶς διάγειν. molliter ac turpiter viuere. Tales ab Eccleſia de fidelium communione repelluntur: quia malum eſt iſtiuſmodi laſciuorum propoſitum. Peccant igitur in canonem præſentem, ex ſupraſcripta doctorum ſententia. Genus eſt Apoſtaſiæ, quum noſtro derelicto, nos habitu veſtimus alieno: ſi nulla nos ad nouum corporis cultum, ſexui vel ordini noſtro diſconuenientem, ratio trahit. quod dixerim, quia Sanctas quaſdam mulieres inter monachos habitu viri legimus ignotas & latentes puriſsimè vixiſſe. Marinam, Theodorámque celebrat Eccleſia. 16. calend. Iulij, quæ ſe maſculinè Theodorum, Marinúmque nuncupantes, fœmineam Monachi veſtitu naturá diutiſsimè celarunt, in hoc ſancto propoſito durantes ad mortem vſque, tametſi calumniam ſuſtinuerit vtráque mulieris à ſe factæ pregnantis. Ab authoribus duæ celebrantur in Græcia mulieres (tametſi nolim prophanas cum ſanctis ac Deo deuotis mulieribus conferre, ſed ſic modò confabulari vobiſcum placet) Laſthenia (inquam) & Axiothea plurimùm commendantur, quæ Platonicæ diſciplinæ cupiditate, ſeſe Virilibus induerunt, quò citra ſuſpicionem poſſent ipſius Platonis auditorium frequẽtare. Author Laërtius in Platonis vita. Quamquam non admodum mihi placet hoc in muliere propoſitum. Nam mulier ſemper eſt mulier, Herculis etiam clauam geſtans, & armis induta. Quod inuerecũda illa meretrix Ioanna anglica, ſexum mentita, & pontificatum (ſi modò vera eſt fabula) Romæ poſt Leonem quartum, circiter annum. 860. adepta, ſatis demonſtrat. Adhuc & aliud vobis referam, non hinc abhorrens. Quum Megatenſibus capitale foret Athenas ingredi, Gellius Euclidem ſcribit, E domo ſua Megaris Athenas, ad audiendum Socratem, venire ſolitum, tunicâ longâ muliebri indutum, pallio verſicolore amictum, caput & ora velatum. cap. x. libri ſexti Noctium. Vides honeſtas afferri poſſe mutandarum veſtium cauſas. Quas ſuis virilibus actis prætexuiſſe Ioannam quamdam Belgicam puellãm non dubito. ſed ab Anglis conſultis audita non fuit: qui Legis huius authoritate Rothomagi combuſſerunt armatam fœminam. an. Do. 1430. Sic enim legitur ea Moſis lex ab Auguſtino. Non erunt Vaſa viri ſuper mulierem. Vaſa bellica vult intelligi. Id eſt, Arma. cap. 32. ſuper Deutero. Alij non vaſa, ſed Inſtrumenta viri tranſtulerunt: Antiquam verſionem in Canonis periocha poſuimus. Atque ita, Legis literâ κατὰ πόδας (vt loquuntur) acceptâ, Viraginem illam miſerabiliter exuſſerunt. Quam ſerò, nempe iam mortuam, Galli To. 4.

V.

prudentes Lutetiæ defendebant, ex iusta variandi habitus causa, prout hîc disputatur. — Suas semper Deboras Deus ex aliarum mulierum medio delegit. Iudi. 4. & 5. cap.

Adhuc vnum breuiter addam: finémque faciam. In cap. 16. libri secundi Soliloquiorum fingitur Augustinus cum Ratione disceptare super istis, dubitans, Vtrúmne, falsos viros, An falsas mulieres appellare debeat. Histriones tamen veros, & Veros infames ábsque dubitatione pronunciat. Nisi fortasse finis aliquis honestus & laudabilis mõstretur. Etenim Ratio nollet virum quempiam fortem non liberare patriam, vel Sapientem frigore perire potiùs, quàm fœmineis vestibus amiciri.

Prædictam Mosaicam legem (cuius meminit & Iosephus ad finem cap. vltimi, lib. 4. Antiq.) per Allegoriam nobis explicant, aliud sensu, quàm verbis exprimatur, intelligentes. Lex iubet, Néque Mulier habitu virili, néque stola muliebri Vir vtatur. Id est, Mulieres in Ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui. Turpe est, si loquantur. 1. Corinth. 14. Quemadmodum, Sacerdotium denegatur fœminis in Ecclesia catholica. sic etiam doctrina non conceditur eisdem: nec æditio librorum: quales quosdam publicatos videmus ab ociosis, nugacibus, & garrulis nonnullis Gnosticæ scholæ Doctricibus & Concionatricibus. De quibus Tertullianus in libro De velandis virginib. Non permittitur Mulieri in Ecclesia loqui: sed nec docere, Nec tingere, Nec offerre, Nec vllius virilis muneris, nedum sacerdotalis officij, sortem sibi vendicare. Virorum, inquam, sunt ista munia in Ecclesia Christi. In Ecclesia verò Pepusanorum quondam mulieres (vt modò Gnosticorum sorores) officia talia gerebant, & exercebant. In gentili Romanorum politeia, Fœminæ sunt, átque semper fuerunt ab omnibus officiis, functionibúsque publicis remotæ. Post præceptorem suum Cynum Bartolus explicans. l. i ff. de legib. vbi Legem definiens Papinianus ait, Lex est virorum prudentum consultum. colligit ex hisce verbis, quòd, Mulieres interuenire legibus condendis non debent: Nec esse possunt de consilio. Inter alia, quæ multa sunt, infœlicitatis & calamitatis magnæ signa, & hoc vnum recenset. Isaias. cap. 3. Mulieres dominatæ sunt eis.

Cap. 10. de pœnit. & remiss. Can. Mulierem. 33. q. 5.

Lege, Moribus, denique Natura Mulieres impediũtur administrare quicquam in Ecclesia: Meminerint se lanis átque fusis natas.

l. 2. ff de reg. iu.

Hîc etiam per mulieres Hieronymus intelligit Episcopos, & antistites Ecclesiarum, qui sunt dediti voluptatibus, & omnia pro-

propter libidinem faciunt. quod legis nostræ capite secundo vetatur, vbi est — Néque vir, vt fœmina, vestiatur. hoc est, Qui præfectus est Ecclesiæ, nihil in vita, moribus, aut doctrinâ molle fœmineúmque gerat aut loquatur. Aulici, Serici, Rhetorculi, Chaldæi nostri regum nunc Aposcopi mihi Stolati videntur, Institis, Pallis, & Calanticis amicti, muliere quâuis molliores. Dominus Iesus auertat ab Ecclesia sua diuturnam iam nimis iram suam: Nec vlterius patiatur, vt Ecclesiæ suæ dominentur effœminati: Néue amplius (quod execratur) cum effœminatis sacrificemus. Amen.

Esa. 3. Oseæ. 4.

ΚΑΝΩ'Ν .ιδ.

Ε'ἴ τις γυνὴ καταλιμπάνοι τὸν ἄνδρα, καὶ ἀναχωρεῖν ἐθέλοι, βδελυττομένη τὸν γάμον, ἀνάθεμα ἔστω.

Mulier ob religionem non debet à marito suo separari. prioris Corinth. 7.

CANON .14.

SI qua Mulier à marito suo diuertat, Et secedere velit abominans nuptias — Anathema esto.

Suprà, can. 1, can. 9, & can. 10. docebamus quod in Aposto. can. 51. plenius ostendebamus, Hæreticos fuisse, qui crederent ac docerent hominem quouis coitu contaminari: nec honestum vllum esse posse viri cum muliere congressum. Propterea nuptias contumeliosè detestabantur: quæ impietas multùm vexauit Apostolos: ab ipsis non vno damnata in loco. Nec omnino tamen potuit è medio tolli. Sed nec adhuc sublata est.

Cõiuges, nec alteri facere, Nec sibi mutuam sui copiam negare debent.

Paulus scripserat Corinthiis, καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι. planè de cõiugatis loquitur: vt in ea Pauli sententia — per Hominem intelligatur Maritus & Vxor, — per Mulierẽ. Veluti si dixisset, Marito bonum est vxorem suam non attingere, cum vxore rem non habere, Rei Vxoriæ non vacare. Hinc nonnulli decepti, coniugatis omni opere coniugali interdicebant, & coniuges se-

parabãt. In quãs fuit Euſtathius Armenius:quem Synodus Gangrenſis damnauit. vt hîc videmus. Eadem fuit in Hæreſi, poſt annos ab Euſtathio plures, quàm ducentos, Imperator Iuſtinianus,hanc ob cauſam non vnâ promulgatâ Lege, quæ diuertendi poteſtatem faceret, ſi pars altera cum caſtitate conuerſationem concupiſceret.In principio.l.vlt. verſu. Nam & Maritis & Vxoribus.C. de Epiſc.& Cleri.In auth.de nuptiis.§.Diſtrahũtur.collat.4.Leges iſtas Eccleſia non recepit. Dominus enim præcepit coniugibus,Ne vxor à viro dirimatur.Item,Ne vir Vxorem repudiet.Exceptâ ſolâ ſtupri cauſâ. Matth. cap. 5. dicto. cap. 7. Plura ſcribebamus in fine can.6.Apoſto.

Maritum, & Vxore vti, & Vxore nõ vti, bonum eſt.

Cæterùm,quiſpiam dicet, Quid illud eſt ſcripti,Bonum eſt homini mulierem non tangere?Si bonum eſt mulierem non tangere,Malum eſt ergo tangere.Nihil enim Bono contrarium eſt, niſi Malum.Ita ratiocinatur Hieronymus paulò poſt principium libri primi contra Iouinianum.Pauli verbum perinde capias, ac ſi quis ita loquatur,Bonum eſt homini Pharmacum nõ ſumere. quod eſſe verum nemo negare poteſt.A pharmacis ergo ſemper abſtinendum.Non conſequitur.quum Pharmacum ſæpè conferat ægri ſaluti.Neſcio cuiuſnam ſit authoris græcus quidã verſiculus huc apprimè quadrans.Ideo citabo —κακὸν τὸ καλόν, ἤν τι, μὴ καιροῦ τύχῃ. Malum fit bonum non in tempore factum. Concionatoris Hebræi dictum celebratur Eccleſia.cap.3. Tempus amplexandi,Tempus ab amplexibus abſtinendi.Sic pro tempore ſecedat alter coniugum ab altero conſentiente (ſcilicet) Vt orationi, & ieiunio vacent vnanimiter:ſed mox in vnum redeant, Ne Satanas tentet eos propter incontinentiã.Nuptiis copulatos proculdubio bonum eſt temperantes eſſe.Caſtitas in eis & Continentia valde pulchra res eſt,ſi modò fiat ſecundũ magnum Paulũ dicẽtem,Nolite vos inuicẽ fraudare,niſi mutuo conſenſu.οὐ γὰρ καλόν, τὸ καλόν,ὅταν μὴ καλῶς γίνηται.Bonũ enim non eſt Bonum, quando nõ fit bene.hæc Zonaras.Non itáque Virtus, ſed cauſa virtutis apud Deum mercedem habet.Aliubi citaui Bernardum in quadam ſua gloſſa dicentem,Deus,nõ remunerat Bonum, quod fit,ſed quod benefit.Quidam ſophiſticus Ioannes aliis de hoc diſputabat verbis, inquiens,Deus non eſt remunerator Nominum,ſed Aduerbiorum vide cap.1.de colluſ. In antiq. De nuptiis honorandis, & minimè contemnendis non ſemel ſuprà dicebamus. Chriſtus Coniuges omnes Coniugij bonum bene inuicem agere perpetuò concedat.Amen.

ΚΑΝΩΝ .ιϛ.

Εἴ τις καταλιμπάνοι τὰ ἑαυτοῦ τέκνα, μηδὲ τεκνοτροφοῖ, μηδὲ, τὸ ὅσον ἐπ᾽ αὐτῷ, πρὸς θεοσέβειαν τὴν προσήκουσαν ἀνάγοι, ἀλλὰ, προφάσει τῆς ἀσκήσεως, ἀμελοίη, ἀνάθεμα ἔστω.

Educatio, simul & recta Liberorum institutio per legem diuinam præcipitur Parentibus.

CANON .15.

SI quis Filios suos deserat: & eos non alat: &, quantum quidem valet, eos ad debitum Dei cultum nõ instituat: sed eius Religionis, quam sectatur, occasione, ipsorum curam deponat — Anathema esto.

Hæreses magis de carnali Scripturæ intelligentia, quàm de nostræ carnis opere, subsistẽrũt. Hoc Hieron. in cap. 3. ad Galatas.

Naturale de Liberis educandis mandatum Patres hîc renouant. Opinio siquidem mala quorundam corrumpere tentabat ipsam naturam. Qui (quod solent Hæretici) verba Christi perperam intelligentes, ipsum derogasse Naturæ legi credebant, qui dixerat — Veni separare hominem aduersus Patrem suum: & Filiam aduersus Matrem suam. Iterúmque. Diuidentur Pater in Filium, & Filius in Patrem suum: Mater in Filiam, & Filia in Matrem. Deinde, veluti suos vrgeret ad hæc intestina & domestica dissidia, rursus ait — Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & Vxorem, & Filios, & Fratres, & Sorores, non potest meus esse discipulus. Matth. 10. Luc. 12. & 14. — 28. q. 1. can. 1.

Relinquere Patrẽ, Matrem, liberos, Vxorem propter Christũ est penitißimos affectus propter Christũ deponere.

Quum non sit alius istorum verborum sensus, quàm quòd, Omnes humanos affectus, quantumuis intimos & impotentes, oporteat postponere Christo. quod ipsemet ibidem satis ostẽdit, inquiens — Filius, qui amat Patrem, aut Matrem plus quàm me, nõ est me dignus: Et, Pater, qui Filium vel filiam amat plus quàm me, non est me dignus. Id est, Charissima quæque, ipsa etiam vita, sunt aspernanda, si nos ab Euangelij gratia reuocẽt. Etenim præ-

cepta Christi negligere nemo debet, vt alij cuiuis, Vxori, Patri, Matri, Regi obtemperet, vel obsequatur. Hoc esset enim plus aliquid amare, vel timere, quàm Christum. quod nefas est, quia Deo magis obedire oportet, quàm Hominibus Act. cap. 5. Quum sensus (inquam) verus hic sit, nec alius in Euangelio: nonnulli tamen illorum verborum folia tantùm carpentes, & ábsque fructu manentes, omnia turbabant: Vxorem à Marito seiungebant. Vt audistis in præcedenti Can. Filios à Parentibus auertebant. vt in sequenti videbitis. Parentes à Filiorum cura & procuratione diuertebant. vt hîc traditur. Quodam in loco Basilius magnus dixit istius generis homines, τὴν φύσιν παραχαράττειν. Id est, Naturam corrumpere, falsare, adulterare. Puta, Quum Filius Patris, aut Filiorum Pater, similiúmque similes obliuiscuntur. Ergo, tanquàm παραχαράκται, id est, Legum, ceu Regiæ cuiusdam monetæ, peruersores & corruptores, plectendi. Synodus hos omnes Anathemate damnauit.

Ob alia quædam Christi verba, sono tenus accepta, nonnulli se deformiter & periculosè mutilarunt: quia dixerat ille — Si manus, aut oculus tuus te scandalizauerit, Erue, Amputa, & proijce abs te. De quibus egimus in Can. 22. Aposto. tribúsque subsequentibus.

Non autem putet aliquis Eustathium authorem primum fuisse talium hæresum. Nam viuentibus Apostolis negocium iam facessebant. Quod attinet ad præsenté Canonem. Paulus, qui non nisi virum probatum voluit ad ministerium deligi, sic ordinauit:
1. ad Timoth. 3. & 5. Vt si de coniugio fortè aliquis assumeretur ad Ecclesiæ Diaconatum, vel Episcopatum, cui proles esset, Inter alia probationis arguméta dispici diligenter, & inquiri mandauit, An Filiis suis bene præesset: An liberos haberet obedientes & subiectos in omni reuerentia. Quod sanè est Liberorum solicitudinem Parentibus, etiam primis Ecclesiæ ministris existentibus, iniungere. De viduis quidem paulò pòst loquitur, ad omnes tamen, quocúmque sint in gradu, pertinere puto, quod ait idem — Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Apparet iam tum quosdam Christianæ fidei prætextu deserere Liberos átq; Nepotes suos in egestate, & abdicare voluisse. In quos sic Apostolus acriter inuehitur, vt *Bonus relinquit Hæredes Filios et Nepotes. Prouerb. 13.*
17. q. 4. can. vlt. infidelibus peiores illos esse dicat. In scholis nostris nihil est illo verbo tritius, Non Augustinum, sed alium, quærat hæredem sibi, qui,

qui,filio exhæredato,vult Ecclesiam sibi facere hæredem. Dicebamus in vltima parte Exegeseos cap. De multa.

Certè, Quicquid præ se fert aliquam speciem Virtutis, & quod instinctu Naturæ bene faciunt Ethnici, tantùm abest, vt lex Christi auferat, vt id perficiat, & in melius prouehat. Euangelicum, seu Diuinum ius, constat naturâ: Néque docet, vt suo quis desit officio, quod (animæ salute saluâ) per legem naturæ, vel hominis etiam legem, debet alius alij: Filius Patri, Maritus Vxori, Frater Fratri, Minor Maiori. Lex ciuilis paratas habet actiones in eos, qui debitam mutuò non exercent erga seinuicem pietatem: quæ summatim iudicis officio (per libelli, videlicet, oblationem) solent expediri. Quam leges igitur omnes παιδοτροφίαν iubent, Non est Euangelicę legis excusatione, vel colore, contemnenda. Communem Reipublicæ statum, suâ Philautiâ perturbare, Honestos maiorum mores & instituta fastidire, proprium semper fuit, & est Hæreticorum.

Can. Humanum. Dist. 1.
L. 4. & 5. ff. de lib. agnosc. C. de alend. lib. & l. Qui liberos ff. de ritu nupt.

Sed hac in Tecnotrophia, siue Liberorum educatione, Canon præsens duo demonstrat inesse debere — Corporis, & Animi pariter Alimoniam.

PEccatum filiorum est, Non honorare parentes. vt explicatum mox audietis. Can. seq. Vicissim, Peccatū parenrum est, Si necessaria filiis ipsi non prouideant: si filios in egestate relinquant: si malè & nimis imperiosè tractent, cúmque tali acerbitate, quæ natis indignationem moneat. Ipsis enim præcipitur — Vos patres, Nolite ad iram prouocare filios vestros. Ad Ephes. cap. vlt. ad Coloss. cap. 3. Hoc faciunt, qui liberis suis, tanquam seruis, morosius dominantur: qui natos minis & conuiciis irritant: abdicant: alere nolunt: aut pro dignitate non alunt: qui (cum Basilio dicam) διὰ δευτέρων γάμων, τῶν προτέρων παίδων ἐπιλάθονται. Id est, Qui per nuptias posteriores, priores filios obliuioni tradūt. Sic lex quædam Iustiniani, Basilium Magnū ducem sequentis habet — prioris matrimonij filios per posterius καὶ λυπεῖν, καὶ ἀτιμασθέντας εἶναι. & Contristari, & Inhonoratos, seu contemptos manere. Lex inter authenticas. 22. περὶ τῶν δευτερογαμούντων. Hæc omnia fieri vetat, nec patitur insita quædam parentibus erga filios naturalis charitas: quâ quidem pro sanguinis affectu solent in liberis, magis quàm in seipsis, commoueri. sicut est in lege quadam Romana. Vnde Patrem colligūt plus diligere Filium, quàm seipsum:

Patres nō debent esse difficiles & iracūdi in filios.

§ Soluto igitur. & §. Si verò sit soboles. in auth. de nuptiis. collat. 4.

L. 8 ff. Quod metus cau. §. Sed veteres. Instit. de nox. act. In fi. l. vl. C. de impub. subst. l. Aliment. C. de neg. ge. l. 5. ff ad leg. pomp. de parri. l. vlt. ff. debo. eorum, &c. Instit. de his, qui sunt sui, vel alie. &c. 16. q. 1. can. Pręcdicator.

magísque, si filij corpus torqueatur, quàm filius ipse, periclitari. Dicitur & aliubi quòd, Naturâ, Pater & Filius eadem esse persona penè censentur. Vt sibi, sic Filio debet igitur alimenta suppeditare Pater: Néque suppeditata repetit: Malignéque suppeditans, vt sui necator, & qui sibi manus attulerit, pœnâ crudeli damnandus venit αὐτοφονευτὴς. Necat enim, quisquis alimoniam denegat. atqui, Necare nō licet. Necis enim, Vitæque potestas, vt in seruos Dominis, sic in Liberos adempta est Patribus. Aduersus quos etiam solos, tametsi sint alij pariter alimentorum oneri obnoxij, datur inopi filio super alimentis præstandis Actio. Pauper aliquis & egens habet diuitem Patrem, Filium quóque diuitem: Filio non appellato, Patrem sibi subuenire coget. A Cyno Pistoriensi quæstio disputatur in. l. i. dicti tituli. De alendis libe. C. Non disconuenit Apostoli verbum dicentis — Nec enim debēt Filij Parentibus thesaurizare: sed Parētes Filiis. 2. Corinth. cap. 12. Lex itáque fixa maneat. —

—Parentes liberos alunto.

Humanæ sunt enim, Diuinæque legis rei Parentes, qui pro modo facultatum, suos, etiam non legitimos, alere detrectant. Modò nō sit his aliunde, quo se possint exhibere. Non alet enim Pater opulentum Filium, vel Opificem, qui in ea valetudine sit, vt operi sufficere possit: Vel si fortè Parens aut Pater aliquid habeat, ob quod meritò paternam pietatem Filiis deneget. Nam, quem licet exhæredare, licet huic & alimenta negare. quod hîc non agitabo diutiùs.

Primū Legis alimentariæ caput habes, auditor Christiane, quod in corporis tutela versatur. Alterū sequitur — De animi cultu.—

Parentes (quantùm in ipsis est) ad Theosebîam Liberos instituunto.

Paulus & hoc præcepit in eo cap. 6. mandans Ephesiis — Et vos, Patres, Educate Filios in disciplina, & correptione Domini. Meliùs átque significantiùs ista græcè dici diuus tradit Hieronymus —. οἱ πατέρες, ἐκτρέφετε ἀυτὰ ἐν παιδείᾳ, καὶ νουθεσίᾳ κυρίου. quasi diceret, — Sic imbuite filios vestros, ne Dei mandata cōtemnant.

Cuiusuis artis institutio & disciplina, Non ad animi duntaxat exercitium, sed etiam corporis pertinēs, vocatur à Græcis Pædia.

No-

nomen ἐκ παίδων, id est, à pueris deductum. quòd ætas illa prima sit ad quamuis eruditionem maximè propria. Vult itáque Paulus, Vt Parentes honestis & congruis artibus filios suos informare procurent. Huius authoritate Canonis, Archidiaconus hîc asseruit (à Laurentio doctus) quòd, Pater compellendus est, vt in scholis alat filium. Scholas artis, aut artificij cuiuscúmque accipio: vilis & sedentarij (βαναυσίαν nominant: & vulgus Mechanicas) pro conditione Patris. Ille, ferè Christianus, puerorũ doctor (quisquis fuit) ita pauperes istos & quæstuarios patres commonefecit. ——

Filij, nõ solùm nutriri, sed etiã doceri, debent. Filij tibi sunt, Erudi illos. Eccl. ca. 7

Quum tibi sint nati, nec opes: tunc artibus illos
Instrue: quò poßint inopem defendere vitam.

Sed hoc verè pio Christianóque Patri minimè sufficit. Insuper ab Apostolo mandatum fuit, vt erudirentur filij, ἐν νουθεσίᾳ κυρίου. Νοῦς Græcis, est mens Latinis. τίθεμαι, siue τίθημι significat, Pono. Inde est compositũ verbum, νουθετῶ, siue νουθετέω. In mente pono. quando aliquid in alterius intellectu per institutionem & adhortationem ponitur. Hoc vetus interpres sæpè vertit in Moneo. Nõnunquam tamen in Corripio. venit hinc etiam νουθεσία. quæ vox (vt ait Hierony.) admonitionẽ magis, & eruditionẽ, quàm austeritatem sonat. Hic tamen interpres transtulit in Correptionẽ Simile fecit in Epist. prioris ad Corinth. ca. 10. ἐγράφη δὲ πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν. Scripta sunt ad correptionem nostram. quæ certè correptio, siue increpatio fieri non solet ábsque verborum austeritate. quam non probat Hieronymus.

νουθεσία.

Noster Canõ statuit, vt Patres erudiant Filios suos πρὸς εὐσέβειαν. id est, ad pietatem & cultum diuinum. Paulus educari præcipit. ἐν νουθεσίᾳ κυρίου. id est, in monitis, & institutione, ac in disciplina Domini. Non sunt ista duo diuersa mandata: quæ summam pueriles omnis institutionis continent. Heli mortuus est: Et Samuel iudicatum populi amisit, ob filios in lege ac timore Domini malè institutos. Ad negligentum patrum nouthesiam voluit ista Deus in selectis illis viris & fieri, & literis postea mandari. quorum meminisse posteri perpetuò debeant. Non est enim parui apud Deum meriti bene filios educare. quod ad Saluinam scripsit Hieronymus. De quo sermo nobis erit in Speculo declarantibus illud Apostoli - Suæ domui bene præpositum. 47. Dist.

Inter alios legendus est hunc in locum Diuus Chrysostomus. De Hieronymo dicemus in Can. Legant. inferius. 37. Dist. Nunc vnam laudati modò Chrysostomi sententiam super hâc re vobis referam. quâ nostrum simul Canonem concludam. —— βούλει εἶναι

τὸν υἱὸν πειθήνιον: ἐξ ἀρχῆς αὐτὸν ἔκτρεφε ἐν παιδείᾳ, καὶ νουθεσίᾳ κυρίου. Ἄτοπον γὰρ τὰ τέκνα εἰς τέχνας ἐκπέμπειν, καὶ εἰς διδασκαλεῖον, καὶ πάντα πράττειν ὑπὲρ τούτου, ἐν δὲ παιδείᾳ, καὶ νουθεσίᾳ κυρίου μὴ ἐκτρέφειν τὰ τοιαῦτα. Ore certè aureo dignissima verba: quæ Patres omnes æternâ tenere memoriâ deberent: quibus ita loquitur ille Græcorum disertissimus. Heus Pater — Vis tibi morigerum & obedientem esse filium? Mox à principio, In disciplina & cognitione Domini ipsum enutrias. Absurdum námque est, Filios vestros ad artes addiscendas, & in Didascalium mittere, omniáque facere eò spectantia: Ipsos verò non educare in Domini monitis, & eruditione. Sic aureus ille doctor. Cuius consilia, Canonúmque decreta sequi donet omnibus Parentibus gratia Domini nostri Iesu Christi. Cui laus à nobis, & perpetuus honor.

Quomodo filij redduntur obedientes Parentibus.

ΚΑΝΩ͂Ν .ιε.

Εἴ τινα τέκνα, γονέων, μάλιστα πιστῶν, ἀναχωροίη, προφάσει θεοσεβείας, καὶ μὴ τὴν καθήκουσαν τιμὴν τοῖς γονεῦσιν ἀπονέμοι, προτιμωμένης, δηλονότι, παρὰ αὐτοῖς τῆς θεοσεβείας, ἀνάθεμα ἔστω.

Liberos à Parentum subsidio separare nulla debet religio.

CANON .16.

SI qui filij secedant à Parentibus, Maximè fidelibus, Diuini cultus occasione: debitúmque Parentibus honorem non exhibeant, æstimatâ (videlicet) longè pluris in ipsis Dei religione, Anathema esto.

Litera nihil habet obscuri, nisi fortè subsistas in his postremis verbis — προτιμωμένης παρ' αὐτοῖς θεοσεβείας. Quorum quidem sensum vetus interpres explicat appositissimè, sic vertens, Vt hoc ipsum (Filij scilicet) valde venerētur in eis (Parentibus, videlicet) quòd fideles & pij sint. Parentes qui non habeat, nullus est: si tibi sancti & religiosi contigerint, hinc Deo debes ingentes gratias. Igitur, nullâ caussâ deseras. Tractemus, quod in Canone vetatur.

Eu-

Eustathius author noui cuiusdam monachismi quadamtenus renouabat illam Pharisæorum doctrinam, quam Christus reprehendit multùm vehementer & acerbè Matth.15.cap. Legimus in Euangelio, Pharisæos docuisse Filios apud egentes Parentes, sibíque subueniri postulátes, excusare se Templi prætextu posse. Christus ait ibi — Deus dixit — Honora Patrem, & Matrem. Vos autem dicitis, Quicúmque dixerit Patri vel Matri, Munus quodcúmque ex me, tibi proderit: & non honorificabit Patrem suum, aut Matrem suam. Sensus est aliquantò inuolutior, aperietur alterius Euangelistæ verbis idem de Christo referentis. Indigenti Patri, & à Filio rem necessariam petenti, respōdebat Filius à Pharisæis edoctus, Mi Pater, Id quod à me tibi dari postulas, (finge, Domum, nummos, agrum quempiam, vestem, aliquidve simile) Corban est. Marci cap.7. id est, Iam Deo promissum, iámque Deo deuotum est. Ideo nefas est, vt in alienos vsus conuertatur. Verùm, non mihi soli, sed tibi quóque, Deus maiora restituet. Istâ sacratarum rerum prophasi pauperes Parentes destituebantur. Atque ita fiebat, (ait Hieronymus) vt egentibus Patre & Matre, Sacrificium offerrent filij, quod Sacerdotes & Scribæ consumerét. quod ibi Christus improbat. Corban sic interpretatur Hieronymus ad Gerontiam scribens de monogamia. Corban, non quoduis donum significat, sed propriè quod templo dicatur. vnde & arcam, vbi talia dona seruabantur, Corbanam vocant. Matth.27. Syriacas dicunt esse voces.

Corban.

Eustathij sectatores, Parentibus contemptis, hôc modô se totos nescio cui vitæ generi deuouebât, quod author ille nouus instituerat. Et hanc non erubescebant appellare θεοσέβειαν. id est, Pietatem, Religionem, Dei cultum. Verborúmque sumentes corticem, nō Spiritum, sic illud interpretabantur Christi — Qui non reliquerit Patrem & Matrem propter me, & Euangelium, Non est me dignus. Matth.19. Marc.10.

Hîc nostri (néq; non πρὸς ἔπος. vt solet dici) de tribus disputant. primò, Nunquid occasione cuiuscúmq; religionis sint deserendi Parentes? 2. Nunquid ob indigentiam Parentū liceat à vota iam, promissáque semel religione certa recedere? 3. Numquid infideli Patri fidelis Filius subuenire debeat? Hoc est vnico verbo quærere, An filius Patri perpetuum debeat honorem? Quæstionem tribus nōn magnis thesibus absoluemus. Ante omnia prēmittemus illam Tabulæ Domini primæ legem quintam. —

τίμα τὸν πατέρα σου: καὶ τὴν μητέρα σου.

Exodi cap.20.& Deuteron.cap.5.

Honora Patrem tuum, Et Matrem tuam.—

Quod exponens Hieronymus ad Gerontiam dicit, Non in verborum sono, qui inopiam Parentum caussâ potest adulatione frustrari: sed in victus necessariis administrandis, Honor debet intelligi. Rursus idem dicto.cap.Matt.15. Honor (ait) in scripturis, nō tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in Eleemosynis & munerũ oblatione sentitur. Viduas honora.1.Tim.5. Id est, viduis tribue necessaria. De tribus quæsitis iam dicamus. Ad primum. — *Suppeditatione victus Parentes sunt Honorandi.*

Filius egentes Parentes deserere nō debet in seculo, vt solitarius viuat in monasterio. Canon præsens hoc probat, huiuscemodi filiũ subijciens Anathemati. Memineris (quod Hugo monet, initióque diximus) hos omnes Canonas esse iam datæ, non dandæ, iámque latæ, non ferendę sententiæ. Noluit Christus oblationem Dei præponi muneribus pauperum parentum. contra quàm Pharisæi docebant, Ideo néq; se, Néque sua Patris egentis & mendici Filius Deo dicare licitè potest. De substantia pauperum non est offerendum Sacrificium: Nec de bonis alienis facienda est Eleemosyna, Ecclesi.cap.34.& integrâ.14.q.5. Filius autem quicquid habet, quicquid acquirit, id Patri suo quærit & habet. Ergo sub occasione Templi, vel Dei, nihil sui, vel suum potest imbecillibus Parentibus auferre.

Romana lex emancipatos distinguit ab his, qui sunt in Sacris adhuc, & manu Patris. Habent illi Suum quiddã proprium. Non ita Lex Diuina. Si quidẽ Philo citra distinctionẽ, nobis exponens præceptũ, De parentibus honorandis, ait in libro περὶ δέκα λογίων. -- παίδων γὰρ οὐδὲν ἴδιον, ὃ μὴ γονέων ἐστὶν, ἢ οἴκοθεν ἐπιδεδωκότων, ἢ τὰς αἰτίας τῆς κτήσεως ἐπικεχορηγημένων. Id est, Filiorum nihil proprium, quod Parentum nō sit: aut enim Parentes de suo dederunt, aut possessionis átque Dominij caussas filiis præbuerunt. His addo, — Pater filiũ necare videtur, cui denegat alimoniã. Similiter Filius à paricidio non est alienus. qui patris penuriæ nō subuenit, seníque parenti beneficia nō rependit, quę paruulus accepit. Humano, Diuinóq; iure pręcipitur ἀντιπελαργία. Id est, Erga parentes ætate vel paupertate fessos gratiæ relatio. quâ, præ brutis omnibus, Ciconia (Græcè πελαργὸς dicta) plurimùm cõmendatur: huiúsq; pietatis exemplum nobis à Philone, & Basilio magno proponitur. Humana lex edicit, Liberi Parentes alant, aut vinciantur. Diuina lex præcipit, Filij, mutuam vicem reddite Parentibus.1.Timoth.cap.5. Ergo, Filius, de-

Filius, viuo Patre, nihil suum dicere potest. Néque Lex Diuina Romanã recipit Emancipationem.

l.4.ff.de libe.agn.

ἀντιπελαργία.

ſertis Parentibus, religionem profiteri non debet.

Quod accipias dictum, Si parentes officio liberorum carere facilè nequeant, & egeant ſubſidio, quod aliunde non habeant. Alioqui, Filio fas eſt, etiam renitente retrahentéque patre, ad religionis heremum properare: Et Chriſtum ſequi, relictis omnibus quæcúmque poſsidet, quæcúmque chara tenet. Iacobus, & Ioannes eius frater in naui cum patre reficiebāt retia: quos dum Chriſtus appellaſſet, illi mox relictis retibus & Patre, ſequuti ſunt eū. Matth. 4. cap. Amandi, venerandi, colendi ſunt à nobis Parentes & Cognati noſtri. ſed non ſupra Chriſtum. Matth. cap. 10. Licet, ſparſo crine, ſciſsis veſtibus, vbera mater oſtendat: Licet in limine Pater iaceat: per calcatum perge patrem: & ſiccis oculis ad vexillum crucis euola. Hoc amico ſuo Heliodoro ſuaſit Hieronymus ad ipſum de laude vitæ ſolitariæ ſcribens, in prima primi tomi epiſtola. Sic & Auguſtinus Lætum ſuum dilectiſsimum animat, vt neglectis cognatorum affectibus, ad id quod cœperat, perfectum, puta, mundi contemptum, fortiter pergat. Epiſt. 38. Satis iſta, de quæſtione prima. Secūdæ reſpondet Baſilius magnus in Aſceticis cap. 8. &. 32, Inde ſequentem promo theſin.

Non eſt temere infringēdū votū propter Parentes.

Non oportet eum, qui ſemel fuit in Fraternitatem receptus, ad ſuorum in ſeculo curam redire, ſine Præpoſiti voluntate. Rationem ſubiungit. Si parentes & cognati viuant ſecundum Deū, tamquam ſingulorum fratrum cognati, communéſque parentes, ab omnibus colentur & fouebuntur. Sin aliter viuant, nihil fratribus debet eſſe commercij, vel colloquij cum talibus. Conqueritur & exclamat, ad Fabiolam ſcribens Hieronymus, de veſtitu ſacerdorum. Quanti Monachorum, dum patris, matríſque miſerentur, ſuas animas perdiderunt? Hoc ipſum eſt, Super patre ſuo, & matre ſua contaminari. quod Nazaræis, id eſt, votum habentibus & ſanctificatis hominibus inhibetur. Numer. cap. 6. Patri néque ſepulturam, néque Vale dicere debet is filius, qui Patrem propter Chriſtum reliquit: ſed mortuos ſepelire ſinat mortuos ſuos. quia nemo mittens manū ad aratrū, & reſpiciēs retro, aptus eſt regno Dei. Lucæ cap. 9. Ioſephus Archæologiæ. lib. 4. cap. 4. (Græcum ſequor exemplar, inuerſum, non verſum à Ruffino, qui tamen hoc vtrúmq; refert in cap 3.) Ioſephus, inquā, Iudæos voto publico ſolitos liberari tradit modo quem referā, quia dictis hîc à nobis mirè quadrat. Ibi eſt. — κορβᾶν αὐτοὺς ὀνομάσαντες τῷ θεῷ (δῶρον δὲ τοῦτο σημαίνει κατὰ Ἑλλήνων γλῶτταν) βυλομένους ἀφίεσθαι τῆς λειτουργίας, τοῖς ἱερεῦσι καταβάλλειν ἀργύριον. γυναῖκα μὲν, τριάκοντα σίκλους, ἄνδρα δὲ πεντήκοντα. ὅσοι δ' ἂν ἐνδεέστερα τῶν ὡρισμένων ἔχωσι χρημάτων, τοῖς ἱερεῦσιν ἐξεῖναι περὶ τούτων, ὡς

Εἰς τὴν Ἀδελφότητα. Fraternitas. Cypriano, Ambroſio, Hieronymo pro collegio Fratrū, ſumitur. To. 3.

Cap. 7. de voto. in antiq.

Qui denouebant ſe Deo, vocabantur à Iudæis, Corban.

βούλονται, ἀνιμάσαι. Id eſt,—Qui ſe nominant Deo Corban (hoc ſignificat, Donum, ſecundum Græcorum linguam) volentes miniſterio ſacro liberari, Sacerdotibus pecuniam pendebant. Mulier triginta Siclos: Vir quinquaginta. Quòd ſi nummis definitis egerent, Sacerdotibus, quod libebat, licebat de his arbitrari. Priſcam Voti ſolutionem vides apud Iudæos, & apud Baſilium magnum, Sacerdotum, Præpoſitorúmque ſtetiſſe conſenſu. Mihi tantorum virorum ſufficit authoritas, Vota ſic poſſe redimi dixerunt etiam noſtri, in titu. de Voto, & Voti redemptione. quámquã de Continentiæ voto dubitent, átque diſputent. Vtcúmque diuerſi diuerſa concludant, Ego ſoluendum non puto. Nam, quid huius infractio iuuaret indigentiam patris? quam ſolam dicimus hîc eſſe canonicam relînquendi monaſterij cauſam. Non inquiro modò, ſi quæ ſint aliæ: tantùm moneo quòd his in rebus, Non quodlibet, Sed quod ſcriptum eſt, reſpondere oportet.

Lib. 3. Decretal. Grego. tit. 34.

Tertia iam ſupereſt quæſtio, quam Petrus Lombardus (hunc Magiſtri ſententiarum nomine donant) hîc ab Hugone citatus, Latebroſam vocat, nec abſoluit. In. 3. Sententi. Diſt. 29. Petrus manducator hîc in gloſſa citatur, qui dixerit hanc quæſtionem eſſe nebulam, ac tenebroſam aquam in nubibus aëris. Ea verò quæſtio eſt, Vtrum Pater hæreticus ſit præferendus extraneo catholico? Cardina. Hoſtien. In ſumma tit. de temporib. ordinatio. & qualita. ordinando. §. Septima regula. In quo de Hoſpitalitate tractat, Humani iuris (appellant Poſitiuum) doctoribus aſtruit hanc non prodeſſe quæſtionem: quæ iam diſſoluta eſt iure naturali: quod nullis hominum pactis, & opinionibus tolli poteſt. ſecundum quod inter agnatos non diſpicitur, quiſnam Fidelis, an Infidelis exiſtat. Maris & Fœminæ coniugatio, Liberorum procreatio, & educatio inſita cunctis eſt à natura: quæ & à Parentibus Liberos, & à Liberis Parentes ali præcipit. In quam rem gentium lege, datur & actio, ſi modò ſe nequeant exhibere, Miratur, cur ea de re dubitarint aliqui. Certè propè vera dicit, Nullâ ſui difficultate, ſolis Doctorum diſputationibus implicita videtur. Nos inuolutam de noſtri ſententia canonis explicare tẽtabimus, quæ Pauli firmabitur authoritate. Dico igitur.—

L. 35. Ius auté agnationis ff. de pactis.

l. 1. §. Ius naturale ff. de Iuſti. & Iu. L. 5. ff. de libe. agnoſc.

Ἀπιστία patris, id eſt, Eius incredulitas, & mali mores, ab honore Patri debito filium non excuſant. Honor eſt in reuerentia. & Honor eſt in beneficentia. τιμῆς δὲ εἶδος ἐστὶ, καὶ τὸ γηροβοσκεῖν αὐτοὺς ἀποροῦντας, ἢ διὰ γῆρας ἐνδεεῖς ὄντας. Ait hic Zonaras. Id eſt. Honoris ſpe-

species est, alere senes illos angustiâ pressos', vel indigos propter senectutem. suprà declarabamus ex Hieronymo. Iam positum probemus. Ex eo, quod in canone dicitur, — μάλιστα πιστῶν, Maximè credentium, siue Fidelium, Cognoscimus incredulos non esse negligendos. Huius enim signi, *Maximè*, qui de comparationis gradibus vnus est, Ea vis est, vt de multis dicatur, & inter ea faciat comparationem, præferens expressum tacitis, hæc tamen comprehendens. Virgilius Poëtarum doctissimus. Ergo sunt alij docti poëtæ. Honorarissimi parentum, Fideles — cōsequitur Honorandos esse quóque Infideles. Hôc modo Galatas Paulus alloquitur, cap. 6. monens eos. — Ad omnes operemur bonū, Maximè autem ad domesticos fidei. Hoc est, Omnibus debemus misericordiam: sed amplior & maior debetur iusto, átque bono viro, prout Ambrosius definit in Officiis. Præterea, Noluit Apostolus à viro fideli infidelem dimitti vxorem: nec econuerso. 1. Corinth. 7. Pariter & Nati suos non debent relinquere genitores ob sectæ contrarietatem. Nec ediuerso. Quî scis enim, Pater, an tu natum seruaturus sis? aut, Quî scis, Nate, an tu Patrem seruaturus sis? quandoquidem, Nemo desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est. Qualescúmque sint igitur nostri Parentes, Impij, Pij, Boni, Mali. sunt à nobis omnes honorandi (cuius honoris pars est, inopes illos educare) Magis tamen Boni. Quod si fuerit impius alter, Vtrique si nequeo, Pio soli succurrere debeo, Legis huius authoritate. Durandus in quarto Speculi sui libro, sentire videtur, infideli patri actionem contra Filium dari, vt alatur. Hæc mihi videtur esse Condictio ex illa naturæ lege, per quam γηροβοσκία, Id est, Senilis educatio, præcipitur. vt paulò antè posuimus.

Can. nō satis est. 86. dist.

Erga parētes, quamuis impios, pius tamen vbique debet esse filius.

Cap. 8. de diuorr. in antiq.

De pœnit. dist. 7. can. 1.

Tit. Qui filii sint legit. §. 1. vers. Quid si pater meus.

Veruntamen attendas, Auditor Christiane. Tu modis omnibus honorare patrem tuum teneris: Filióque semper honesta, & sancta patris persona videri debet: sed quoad te non separet à vero Patre. Nam tunc non tantùm relinquendus is Pater, sed etiam magno venit habendus odio: qui liberos suos malis opinionibus ad infidelitatem, vel hęreses inducit. Huius honori præferre decet religionem. Christus gladium (scilicet, Odium maximum, dissidiúmque perpetuum) misit, qui tum stringatur impunè inter huiuscemodi Patres atq; Filios. d. cap. Matth. 10. Qui propter Christum non odit eum Patrem, Non potest esse Christi discipulus. Lucæ. 14. Sit manus tua super eos, & effunde sanguinem ipsorum, qui te volunt à veritate deprauare. sic in lege dicitur. Deu. 13.

L. 9. ff. de obseq. à libe. parenti. præst.

Quis gladius inter patrem & filiū possit esse.

28. q. 1. can. 1. & can. Legi Syromasten. 23. q. 8.

L.liberorũ.§ Nõ solét. ff. de iis qui not. infa l. Bona fides. ff. depo. To.1. dist.86.

Damnati perduellionis(qui vel in Principem, vel in Rempublicam peccarunt) néque lugeri solent occisi, néque vincti. viuíque debent aliquos de patria malè meritos in sordibus egere perpetuò censent æquissimum. De cacodoxis parentibus, qui liberis orthodoxiæ perniciem moliuntur, Idem sentio. Tam diu scito sanguinis copulam(vt ait Hieronymus) quandiu Parens tuus suum nouerit creatorem. Ad furiam. Epist. Obsecras literis. Propterea, Filius non debet aliud Hæretico Patri, quàm cibum (fortè) ne miserâ fame consumatur infœlix. Iuxta canonem Ambrosianum, Pasce fame morientem: Vicissímque, Filius hæreticus à catholicis parentibus nihil expectet. Hæreditatem, Successionem, aliquámve aliam donationem. quod nos dudum probauimus. dist 26. can. Deinde. §. Quid de talium filiis. & seq. Ista sufficiant ad præsentem canonem. Filius terreni nunquàm obliuiscetur patris si semper ob oculos habuerit eum patrem, qui est in cœlis: Cui laus à nobis, & Obedientia perpetua præstetur. Amen.

Cacodoxi nõ possunt ab Orthodoxis habere beneficium.

Hic de Februarij quinto substitimus ob disputationes publicas in scholis nostris toto penè mense agitatas inter vacantis Cathedræ competitores. Præterea. Nescio quæ Carnis execrandæ feriæ, pro malo Christianorum more, sibi dies octo (prò tyrannidem consuetudinis) vsurparunt. Ad illud acceptabile tempus quod instat Iesus Christus nos deducat.

Calendis Martij(scilicet, die primo mensis) ad intermissas rediuimus Ecclesiasticorum Canonum prælectiones. Qui dies sacer est apud nos Albino sanctissimo Andium Episcopo. dum Carolus Magnus regnaret, circiter ann. do. 700. Qui viuens, pôstque mortem, per gratiam Christi, cui seruiuit in corpore manens annos totos. 80. Clarus fuit operibus admirandis. Per hanc sanctam Quadragesimam (cuius dies hic secundus est) ille nos orationibus suis adiuuet in officio nostro. Tum (quod solemus) exordium Prælectionibus nostris talè dedimus.—



Enerandi mihi Consacerdotes, & Auditores Christiani — Carnales istæ malè feriatæ feriæ præterierunt: Indignissimæ profectò, quas homo Spiritalis commemoret. quid enim Spiritui cum Carne? Nos tamen & auidi celebrauimus, & exactas abiuisse dolemus. Adeo morum verè Christianorum dolosus insidiator Satanas non cessat machinas admouere, quibus incautos, nec resistentes euertat.

Illæ fœdissimæ feriæ quid ab impuris gentium Bacchanalibus distent, equidem non video: Spurcitia & inuerecundiâ superiores credo. Noctu solùm

lium Bacchanalia, quò dedecus occuleretur, vlulatibus & cymbalorum crepitibus agebantur. Interdum verò nostræ, pudore posito, Mulieres, ac similium fœminis mares, è cunis etiam puerulì penè prorepentes, ex occultis ea Bacchanalia sua tenebris in lucem extrahunt: ac tympanorum sonitu, Symphoniæ cantu plusquam bacchanaliter vrbis ima, media, summa, vino, clamoribus, strepitibus attoniti, quoquo versum discursantes obeunt. Ebriam dicas esse totam ciuitatem. Hi sunt Hilariorum vestrorum dies, à nescio quo Bonate sic vocati perperam, dum nomē honestum Rei tam probrosæ dedit. Stultorum (nisi malis, Insanorum) Festum rectiùs nominasset. quale Fastorum poëta describit anni secundo mense fuisse.—

Quum Stulta pars populi, quæ sit sua curia, nescit
Et facit extremo sacra relicta die.

Talium procul dubio viros quósque bonos & miserescere, simul & pudere summè debet: quum Fratres suos Christianos conspiciunt, per istiusmodi plusquam Fescenninos ludos, quasi concessos, & impunitam lasciuiā, miserabiliter in omne genus infamiæ collapsos. Siccine sancto Ieiunio quadragenario nos apparamus, Edulijs (videlicet) ingurgitati, Stupris, adulteriis, scortationibus, omne genus immunditiis contaminati? Basilius (vt omnia solet) propriè dixit hoc esse, διὰ τὴν κραιπάλην ἀμύνεσθαι τὰς ἡμέρας τῆς νηστείας. Id est, Conari per crapulam vlcisci dies ieiunij. quasique de ieiunio venturo sumere pœnas: quando ieiunaturi ventrem carnibus & escis, vti saburra sentinam longè terrarum nauigaturæ nauis, immodicè farcimus, corpúsque totum molles delitiis perfundimus. improbum istuc est, & prauum consilium: quale perditi adolescentis in comœdia, suos inhonestos amores excusantis. Prope adest, quum alio more viuendum est mihi: Sine nunc meô me viuere interea modô. Sermone. 1. de ieiu.

SP. Posthumius Albinus, & Q. Martius Philippus Coss. authoritate Senatus Bacchanalia diruerūt. Anno vrbis cōditæ. 568. Liuius decadis. 4. lib. 9.

Suos Roma consules habuit, Suúmque Senatum, qui nocturnis ac turpibus illis facinoribus ciuitatem liberarent. Et, O Iesu misericors, Ecclesia tua non habet, qui Laruas istas diurnas, stupris coopertas, flagitiis effœminatas, & detestabiles impudicitias eliminet?

Si, quæ de continentia Veneris átque ciborum prisci patres & proceres Ecclesiæ, morúmque sanctorum magistri mandarunt, Hoc in nostro Sacerdotij speculo per Eucrinias viginti quinque descripta, Nos, Nos (inquā) Sacerdotes obseruaremus, obscœnis istis, sceleratísque turpitudinibus, & damnatis nequitiis populus non inquinaretur. Nostro siquidem sacerdotum vitio peccat populus. Ebrietas nostra est temulentus. Nostrô sacerdotum luxu luxuriosus est populus. In summa. Non est in ciuitate malum, quod Episcopus malus, malúsque Sacerdos, aliis præbens occasionem per malam suam vitam, non fecerit, dum suos impudentes oculos ab hoc Speculo il-

uertit. In quod ex aduerso si nos contentè, miniméque nictantes inspiciamus, Visas interioris nostri hominis Lepras omnes, scabiosásque vitæ Lichenas, átque morum Lentigenes, faciem deturpantes sacerdotalem, Pænitentiæ nitro per resipiscentiam mox abstergemus.

Hoc nobis Dominus Iesus, qui nos deduxit ad hunc temporis acceptabilis, dierúmque salutis recursum, per suam gratiam præstare velit: nobísque robur ac neruos Abstinētiæ, pariter & Continentiæ donet: quò præparemur ad illum diem, qui nobis (dummodo Christo resurgenti consurrexerimus) pro meritis coronas & premia distribuet. Amen.

ΚΑΝΩ'Ν. .ιζ.

Εἴ τις γυναικῶν, διὰ νομιζομένην ἄσκησιν, ἀποκείροιτο τὰς κόμας, ἃς ἔδωκεν ὁ Θεὸς εἰς ὑπόμνησιν τῆς ὑποταγῆς. ὡς ἀναλύουσα τὸ πρόσταγμα τῆς ὑποταγῆς, ἀνάθεμα ἔστω.

Turpe est mulieri tonderi, vel decaluari. prioris ad Corinth. xi. quod Basilius magnus in Ethicis repetit.

CANON .17.

SI qua mulierum, propter aliquod magnum, ficuti putat, religionis studium, sibi tondeat & amputet comas: quas Deus in memoriam subiectionis, ipsi dedit: Hæc, ceu dissoluens Legem siue Prçceptum subiectionis & obedientiæ—Anathema esto.

Explanandæ literæ non insistam prolixiùs. Nec enim magnâ est opus declaratione.

διὰ ἄσκησιν. Non ἄσκησιν, sed θεοσέβειαν Zonaras legit hîc. eòdem recidunt. vbíque, Dei cultus. Sésum reddidit antiquus interpres, verbis tamen non respondentem — Religioni conuenire iudicans — ait. —

Ad

Ad memoriam ſubiectionis — Interpretum veterum ſecundus addidit, Ad velamen eius. quod non eſt in canone græco. ſed Pauli verba ſunt — ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίου δέδοται. Capilli pro velamine ſunt ei dati. De Peribolæo diximus in 12. can. ſuperiùs. Quod autem dicit, —

Ad memoriam ſubiectionis. In Apoſtolo ſic legimus — ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Ad verbum tranſtulit Ambroſius, Debet mulier habere poteſtatem ſupra caput. Idem ſubiunxit, Per poteſtatem, velamen ſignificauit. Antea Tertullianus & hoc ſimiliter expoſuit in libello De virginibus velandis. Antiquus interpres tranſtulit, Velamen habere. Senſus eſt, Mulier in capite geſtare ſemper debet indicium poteſtatis, ſub qua eſt: Non habeat caput liberũ, ſed velamine tectũ: quod eam ſubinde cõmonefaciat, ſui ſe non eſſe iuris, verùm ſub dominio viri. Hæc eſt in canone, ὑπόμνησις ὑποταγῆς. Oculos demittere, Caput obnubere, ſignum ſubmiſsionis eſt antiquiſsimum. Rebecca, viſo procul Iſaac ſponſo ſuo, tollens peplum ſuum cooperuit ſe. Gen. 24. cap. Duodecim tabularum interdicto radi genas à Fœminis vetatur. In lege ſic dicitur apud Ciceronem. 2. de legib. Mulieres genas ne radunto. quia Pudoris ſedes eſt in genis, ait Plinius. Ibi maximè rubor oſtẽditur. Itáque, Fœmina, ſi radat, aut aperiat caput, vnà pudorem ponere creditur. qui fœminas omnium maximè decet, & ornat Omnis itáque mulier velet ſuum caput, vt agnoſcatur omni cum pudore ſubiecta.

Diſſoluens legem ſubiectionis. Scripta lex eſt. Gen. cap. 3. Sub viri poteſtate eris. Et ipſe dominabitur tui.

Dominicus hîc (quod & eius compilator Alexandrinus Cardinalis approbat) ex hiſce verbis colligit, ſanè non inſubtiliter, Eum populum iudicari poſſe rebellem, qui domini ſui raſit, aut fregit inſignia. Ius enim ſubiectionis auferre domino ſuo velle videtur. Inſtar mulieris, quæ ſuæ ſubiectionis & obediẽtiæ ſignũ, Suos, videlicet, capillos abſcidit. Hoc & aliò ducã. Inſigne Chriſti primum, præcipúumque, & magis myſticum eſt figura Crucis. de qua Prudentius, à me iam ſuprà laudatus, in hymnis ſcribit. —

O tortuoſe ſerpens,
Qui mille per meandros,
Fraudéſque flexuoſas
Agitas quieta corda,

Discede: Christus hic est: ✝
Hic ✝ Christus est: Liquesce.
Signum, ✝ quod ipse nosti,
Damnat tuam cateruam.

Consequitur hinc Gnosticos ista nostrę redemptionis insignia contumeliosè disiicientes, & cōculcantes, aduersus Christum rebellionis & perduellionis esse reos. Ergo minimè Christianos. Hæc circa literam. Iam dicamus ipsius argumentum.

DE velādis quibuscúnq; mulieribus nōnihil attigimus in can. Quod interrrogasti. suprà. 27. dist. ex Apostoli doctrina: cuius multas reddidit ipse rationes in eo vndecimo capite prioris ad Corinthios epistolæ. quibus referendis nunc non est locus. Ex Basilio duntaxat vnam proferam, quæ est in eius homilia inscripta περὶ τοῦ, μὴ προσηλῶσθαι τοῖς βιωτικοῖς. Id est, De hoc- Nō affigi rebus terrenis. Ibi vir diuinus Sapientis authoritate monet, ἀπὸ προσώπου γυναικὸς, ὡς ἀπὸ προσώπου ὄφεως, φεῦγε. Id est, A facie mulieris, vt à facie Serpentis, Fuge. Certè, Muliet, apertâ nudáque facie, genus est feræ periculosissimum. In quo inest aliquid metuendum, quod vocant Fascinum, sicut est in Tertulliano. Tegatur ergo, Teneros oculis ne fascinet agnos. Istud est (vt opinor) in Paulo, Mulierē velari propter Angelos- Pudicos, videlicet, & castitati deuotos Presbyteros, vt exponit Ambrosius.—Ad canonem. *Mulier nudâ facie Semi-meretrix est.*

Monachas suas Eustathius iubebat ἀποκείρειν τὰς κόμας. Tondere suos capillos & comas. vt puto, Volens ostendere solutas illas esse alienâ quacúmque potestate, & imperio. Nam veterum consuetudine, Rasum caput indicabat libertatem. Radere caput in seruis erat signum manumissionis. ex Plautino Sosia in Amphitryone. Christū solū iam pro domino & vnico suo capite ducēbāt illæ nouæ Monachæ. Sic suus Eustathius instituerat eas: Paulo reclamāte, vetantéque Mulieres quascúmque κείρεσθαι. ἢ ξυρᾶσθαι. tōderi, vel radi. Ne Prophetātibus quidem, vel Orantibus mulieribus hoc pmittit. Neq; tātùm de mulieribus illis, quas in præfatione vocari docebamus ὑπάνδρους, id est, viro subditas, & cōnubio iūctas, intellige dicta, videlicet, quòd, Solæ potestatē debeant habere super caput suū. Id est, Velari. De viduis atque virginibus accipi Tertullianus in eo libello demōstrat. Quòd si dixeris Virgines, & Viduas non esse Viris subditas, ergo nō astringi lege velādi capitis. quod est signū subiectionis. Fateor. Viris, id est, Maritis, quos non habēt, subditæ non sunt. Nō tamen ideo Liberę sunt, ac suæ potestatis. etiā si patribus orbæ sint. Quemadmodū, nostris nūc priuatis Gallorū legibus, & cōsuetudinibus, Vxor absque mariti sui cōsensu *Nulla mulier est sui iuris.*

sensu nō potest rem quampiā gerere: Donare (puta) Vēdere, quoquomodo Cōtrahere. ἀνὴρ enim Dominus est: & παραφερνῆς administraror, procuratórq; (modò sit ipse frugi) cōstitutus. Sic etiam, prisco Romanorū more, (quē scripta Lex aliqua nobis vtinam cō firmasset) Curatores, átq; Tutores aliis mulieribus olim per Prætorē dabātur, sine quorū volunrate nihil agere valebāt. Ita Cicero scribit pro Lucio Murena. nec semel apud eundē, cæteróśq; Romanorū rerū scriptores, occurret. Mulieres omnes (ait ille), ppter infirmitatem consilij, Maiores in Tutorū potestate esse voluerūt. Illud, quod ad mulierē Dominus dixit -- Sub viri potestate eris -- Tertullianus de quibuscúmque mulieribus accipit: ibíque, Vir & Mulier- sexus, non conditionis esse vocabula dicit. Ergo, Mulier omnis ὑπ' ἀνδρός. Eustathius contentiosus aliud prædicabat.

Ecclesia semper in id genus adiaphoris habuit Philonicos. Augustini tempore, nōnulli Monachi de crinibus & coma nutrienda contendebant. Hos reprehendit, & salsē rider, appellans ipsos, Fratres crinitos, qui timerēt, Ne Tonsa sanctitas vilior esse, quàm Comata crederetur. Hypocritas increpat, populo persuadere volentes, vt qui tales videret, antiquos illos cogitaret, Samuelem, & *Augustinus voluit Fratres in religione tonderi.* cæteros, qui non tondebantur. Omnes demū Fratres, iuxta Pauli regulam, tonderi præcipit, in vlt. trib. cap. libri, De opere Monachorum. To.3. Non minus acriter Hieronymus istos impetit Comatos Fratres, quibus (vt vir sanctus loquitur) fœminei contra Apostolum crines, & hircorū barba dependet mento. Tales fugito. Diaboli sunt hæc (ait) argumenta. Sic suam monet Eustochium, scribēs ad eam De custodia virginitatis. Pauli traditio, de tondendis viris, in Ecclesia tam diligenter obseruata viguit, vt Hilarion, qui septuaginta prope continuis vixit annis in Eremo, sine tonsoribus, Ne superstitiosus traditionis cōtemptor aliquibus videretur, vel in coma prolixa religionem collocare, Capillum semel in anno, die Paschæ, totonderit. in eius vita scribit hoc Hieronymus. Breuiter, quod Apostolus attestatur, Natura docet comam non decere Virum: quam tamen ceu propriam & genuinam mulieri dedit. Hunc exponens Canonē Zonaras ait. τοσοῦτον γὰρ οἰκεῖον δι' ἂν ἡ φύσις ταῖς γυναιξὶ τὴν κόμην, ὅτι οὐδὲ φαλάκρωμα ταύταις ἐγγίνεται φυσικῶς. Id est, Tam propriū nouit Natura fœminis esse comam, vt ipsis Caluitium non fiat naturaliter. Idem, vel non dissimile, quod Plinius scribit cap. 37. li. 11. Capillorū defluuium in muliere rarū est. Nihil igitur fœmina causari vel excusare potest, quo minus faciē tegat. Nam flāmeo carens habet operimenti vice capillos: quos, vel religionis occasione, tōdere nunquā debet. Anathema legē soluenti.

Sed huic mos in Ecclesia receptus modò refragatur, quo Sanctimonialibus capita radunt, & comas amputant. Hugo sic argumentatur, & respondet. Fortè malè faciunt. vel (ait) hoc intelligas de fœminis laicis & secularibus. quales nō sunt Monachæ, vel Nonnæ. Radi quòque Vestales apud Romanos Plinius ostendit cap.44.lib.16.scribens Virginum Vestalium capillos ad arborem quandam Lotum deferri solitos, quæ propterea dicebatur Capillata. Nihil ad nos de Romanis istis. Christianas tonderi non iussit Augustinus in Epistola.109.quam iam citauimus in d.can. Quod interrogasti. Hugonis mihi neutra solutio placet. Si quô faciebat Eustathius animo, pariter & id aliquis modò faceret, In tonsura vel necessitatem, vel summam Theosebiæ constituens, in legem grauiter peccare talem puellarum tonsorem asserere non dubitarim. qui nostri sensus est Canonis. *Nec in dimittendis, nec in demittēdis capillis cōstituenda est religio.*

Concilium Viennense non videtur in Sanctimonialibus capillos imprôbasse, dummodo Comati & Cornuti nō sint earum crines. hoc est, Dummodo cincinnos nō habeant. Omnibus in mulieribus Apostoli sine discrimine damnant huiuscemodi lasciuiā. prioris ad Timoth.cap.2. Mulieres ornent se cum modestia, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis. Et .1.Pet.3. Externus mulieris ornatus nō sit ἐκ πλοκῆς τριχῶν, καὶ περιθέσεως χρυσίων. in plicatura crinium, & aureorum circumpositione. In Clem. 2. de statu Mon.

Cæterùm. Christiani auditores, de mulieribus hîc mihi tam conueniens, & decorum concionari foret inter vos, quàm nonnullis Euangelij prædicatoribus est, De Presbyteris inter mulieres. Idcirco, non plura dicam. De traditionibus Ecclesiæ (Laudabiles Ecclesiæ consuetudines vocant) Paulus nec audire, nec audiri voluit contentiosos.

Vtinam, sic externa ista seruemus, vt interna placeant illi, qui πάντων καρδιογνώστης est, Dominus, ac Deus noster, Iesus Christus. Amen.

ΚΑΝΩΝ .ΙΗ.

Εἴ τις διὰ νομιζομένην ἄσκησιν, ἐν τῇ κυριακῇ νηστεύοι, ἀνάθεμα ἔστω.

Quo tempore de Sponsi præsentia fit Specialis memoria, non est ab amicis

cis sponsi ieiunandum. Math.cap.9.Mar.cap.2.Luc.cap 5.

CANON .18.

SI quis,ob Ascesim persuasam sibi, Dominicô die ieiunarit. — Anathema esto.

De vetito ieiunio in die Dominico, & in die Sabbati, Necnon de caussa prohibitionis,egimus abundè in Can.Aposto.64. & generaliter de ieiuniis in Can. 69. propterea non multis hîc immorabor.

Ieiunium. Ieiunium est à cibis & alimentis abstinentia,ne corpus effrene lasciuiat. Hæc pars postrema ex Apostolo sumpta est.1.Corinth. 9. Per quam discernitur Christianum ieiunium à Medico.Quam quidem abstinentiam tantam Hieronymus exigit,vt,& à quibúsque delicatioribus ædulíis abstinere, nec carnem comedere, nec vinum bibere,Danielis exemplo,iubeat: & ne vilium quidem satietatem ieiunanti Christiano permittat. ad Furiam. contra Iouinianum. lib.2.Dan.cap.10. To.1.2.5

Gentiles putarunt Ieiunia côducere purgationi,et expiationi scelerû.Christiani verò non tantummodo côducere,sed etiã necessaria dicunt esse. Ieiunium, Fidelibus, & Infidelibus, & breuiter, nulla non in gente semper est creditum, non vtile solummodo, sed etiam necessarium ad religionem,& animi quandam purgationem: quod inuenies penè per totum modò dictum Hieronymi contra Iouinia. librum secundum. Basilius de ieiunio diuinè verba fecit ad populum suum Cæsariensem, cuius authoritate Augustinus sua fulcit in libro contra Iulianum Pelagianum primo. Elegans extat Ambrosij liber de Helia, & Ieiunio. To.4.duo continens & 20.capita. Homilias Chrysostomi varias habemus argumẽto pari.Tractatus est in operibus Augustini,de vtilitate Ieiunij.Hieronymus vbíque nihil quàm Ieiunia commendat. Et ne pluribus commemorandis insistam, Non aliud omnes Ecclesiæ doctores velut ex composito faciunt. To.7. To.9.

Quæ quidem Sanctorum,Catholicorúmque virorum sententiæ videri poterant Hæreticorũ de frequentibus Ieiuniis opiniones confirmare. Præsertim quum Paulus omnes Dei ministros exhibere semetipsos velit in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis. Et

aliubi de multis suis ieiuniis idem glorietur. 2.Corinth.cap.6. & 11. Et quid est, quæso vos, Ieiunare, nisi corpus suum castigare & in seruituté redigere? quod omni tempore facere debemus. Ista parumper discutiamus.

Romæ, Iouinianus ex Monacho Clericus effectus (de Religioso nunc dicunt Secularem factum) primus inter Hæreticos Ieiunia contempsit: Inter abstinentiam ciborum, & cum gratiarum actione perceptionem eorum, nullam docens esse distantiam. Superioris enim temporis Hæretici penè omnes austerioribus, frequentioribus, átque longioribus affligebant sese pœnis, & corporum macerationibus, quàm synceri Christiani facerent. Apud illos assiduæ, feréque continuæ (græcanicis ipsorum verbis referetur aptiùs & significantiùs) χαμευνίαι, ἁγνεῖαι, κακοπάθειαι, ξηροφαγίαι, εὐχαὶ, ἀγρυπνίαι τὲ, καὶ νηστεῖαι. Id est, Humi dormitiones, Castitates, Vexationes, Aridorum victus, Orationes, Vigiliæ pariter, & Ieiunia: multáq; similia, quæ sine testimoniis, & authoritate scripturarum, quasi traditione Apostolicâ (sicut ait Hieronymus) sponte sibi reperiebant & confingebant. Hoc Hæreticorum manifestat historia. *Austeriora quondã fuerunt Hæreticorum, quàm Christianorũ, Ieiunia.*

Qui Tatianum sectabãtur, Aliud nihil in tota vita, quàm sic se miserandis affligebant modis, non secus à vino, quàm veneno fugientes. Inde fuerunt Encratitæ nuncupati, quòd se ab omni deliciarum specie continerent. Tatianum (qui fuit anno Do.165.) Ebion præcessit, Apostolorum coæuus, & mastix. Ebionitarũ Ieiunium duplex describit Epiphanius in suo Panario. Alterum, quod appellabant Magnum. & alterum ab eis vocatum Paruum Ieiunium. quibus dies anni quoscúmque sine discrimine, in angustia & fame transigebant. In anno tres Quadragesimas Montanistæ, Tatiano contemporanei, ieiunabant. De quibus ad Marcellam Hieronymus. Quorum propria ieiunia, Xerophagias, & Stationes describit Tertullianus aduersus Psychicos. & etiam defendit. Manichæos quóque frequentissimè ieiunantes, festiuis potissimùm diebus, legimus. Quia verò diuersâ ratione, & aliâ longè intentione ieiunabant istiusmodi cacodoxi, quàm veræ & catholicę fidei cultores ieiunare conueniat, ideo ieiunium tale scripsit Hieronymus omni saturitate & ebrietate deterius esse. cap. primo Ioëlis. Et Aggæi capite quóque primo, Super huiuscemodi laboribus (ait) audituri sunt isti ieiunatores, Tanta passi estis sine caussa. *Encratitæ.*

To.2. (beside "cellam Hieronymus") · To.6. (beside "primo Ioëlis")

Isti

Isti modò catent sectatoribus: Quúmque Satanas hoc infœlici tempore nostro totam commouerit Hæresum veterum Camarinam, reliquit istam de Ieiuniis immoderatis hominum quorundam superstitionem sepultam. Iouiniani verò mox oppressa fuit Hæresis, átque nata: nec aliquem Sacerdotū seducere potuit. Orta est, quum Iuuenis adhuc esset Augustinus, Extincta, quum viueret adhuc ille. lib. de Hæresib. To. 6. A quadringentis duntaxat annis (tandiu sanctis Maioribus nostris in Ecclesia Christi placuit Abstinentia) Valdo Lugdunensis, à quo Valdenses, hanc renouauit, anno. 1190. seu. 1200. Quem sequutus est Vuicleuus Anglus. anno Do. 1360. Sequaces habuit Anglus iste sophisticus duos Bohemos, Ioannem Husz. & Hieronymum de Praga. Constantiæ damnatos à Patrib. anno Do. 1415. priorem. Posteriorem 1416. Post annos ab istis Satanæ discipulis centū circiter & quinquaginta. Anno, videlicet. 1517. (anni sunt plus minus quadraginta) Saxonicus Aquilo exagitans & permiscens Ecclesiæ pacem, procellosi turbinis instar, hanc rursus excitauit in Ecclesia Dei tempestatem: quæ modò Gnosticos funditùs euertit, & in profundum malorum demersit.

Præcipui spernēdorū, Ieiuniorū Ecclesiasticorū authores fuere, Iouinianus Romanus, Caupo Vigilantius hispanus, Valdo Lugdunensis, Vuicleuus Anglus, Husz Bohemus, Lutherus Saxonic⁹.

Duo virtutis extrema tenent hæ duæ Hæreses, ac si diceres, Semper est ieiunandum. Nunquam est ieiunandum. Ergo damnabilis vtráque. quum Virtus in medio consistat. In maiore tamen est damnatione posterior: quippe, quæ sit à temperātia (Virtute Christianis omninò necessaria) prorsus aliena.

Priores autem sic suis erant addicti Ieiuniis, vt quoties hæc incidissent, ipsi tum, nullo temporis, aut dierum discrimine facto, ieiunarent, & sese propalam mœrentes affligerent. In Apostolica tamen Ecclesia stati, certíque dies semper extiterunt, in quibus nullum debet exterius doloris apparere signum: sed omnia Tum Spiritalis, cùm Corporalis plena debent esse lætitiæ, quos Dies Epiphanius in Syntomo de Fidei Catholicæ & Apostolicæ veritate, circa finem compendij sic describit — προαιρέσει δὲ ἀγαθῇ οἱ αὐτῆς ἀσκηταὶ διαπαντὸς, χωρὶς κυριακῆς, καὶ πεντηκοστῆς, νηστεύουσι, καὶ ἀγρυπνίας διαπαντὸς ἐπιτελοῦσι, τὰς δὲ κυριακὰς ἁπάσας τρυφερὰς ἡγεῖται, ἡ ἁγία αὕτη καθολικὴ ἐκκλησία καὶ συνάξεις ἀφ᾽ ἕωθεν ἐπιτελεῖ: οὐ νηστεύει. ἀκόλουθον γὰρ ἐστὶν ἐν κυριακῇ νηστεύειν. τὴν δὲ τεσσαρακοστὴν τὴν πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν τοῦ ἁγίου πάσχα, ὡσαύτως φυλάττειν εἴωθεν ἡ αὐτὴ ἐκκλησία ἐν νηστείαις διατελοῦσα· τὰς δὲ κυριακὰς οὐδ᾽ ὅλως, οὔτε ἐν αὐτῇ τῇ τεσσαρακοστῇ. Id est, — Institutum bonum quicúmque profitentur, & in religione sese exercent, excepta Dominicâ, & Pentecostê, semper ieiunant, & Vigilias semper agunt.

Sancti dies Paschæ, Pentecostes, et Dominici, cum mœrore non sunt agendi: Sunt enim dies Lætitiæ.

Omnes verò Dominicas velut in delitiis ducit hęc Sancta Catholica Ecclesia,& Synaxes mane peragit,Néque ieiunat:Non enim cōuenit in Dominica Ieiunare. Tessaracosten etiam ante septem dies sancti Paschæ simili modo seruare solet Ecclesia, in Ieiuniis perseuerans: Non omnino autem in Dominicis, Ne in ipsa quidem Tessaracoste.Sic Epiphanius enumerat nobis eos dies,quos omni Ieiuniorũ molestiâ vacuos Ecclesia voluit esse. τεσσαρακοςὴ, id est, Quadragesima, Dies, puta, quadraginta, qui Pascha præcedunt: sex habet hebdomadas,ex quibus sex Dominici dies abstinentiæ subtrahuntur. vt hîc videtis. qua de re decretum per Galliam tulêre Patres Agathæ. circiter annum Do.430. Diuus quóque Gregorius id etiam dixit in can.Quadragesima. de consecr. Dist.5. πεντηκοςὴ, est quinquagesima. Dies, videlicet, quinquaginta,qui sunt inter Pascha,& ipsum Pentecostes diem.Qui, Dies gaudij & lætitiæ vocantur. de quibus agemus in can. vlt. §.1. Dist.30.

Can. Placuit. de consecr. Dist.3.

Hos dies, Ambrosius, Basilius, Augustinus, Hieronymus (Ieiuniorum, si quis alius, obseruantissimus) Ecclesiæ Græcæ, Latinæ quóque Doctores omnes, ab indictis & præceptis per Ecclesiam Ieiuniis excipiunt. Inter quos præcipuus semper est habitus hebdomadæ cuiúsque Dies primus: qui & Vna Sabbatorum,& Prima Sabbati,vocatur ab Euangelistis: ac deinde cœptus ab ipsismet Apostolis nominari, Dies Dominicus, quòd Dominus ac Deus noster Iesus Christus eo Die vitam receperit, & vitam nobis etiam restituerit. Nam Dominus Iesus mortem nostram, moriendo,destruxit:& vitam, resurgendo, reparauit. Ob quam Domini resurrectionem,Simul & humanæ naturæ peccato miserabiliter mortuæ suscitationem,mandauit Ecclesia hunc ipsum Diem Domini, omni cum gaudio,& interiori,& exteriori, celebrari, déque tam magnis acceptis beneficiis, Deo gratias agere, pariter & gaudere: εὐχαριστεῖν τῷ θεῷ, καὶ χαίρειν. Huc attinet maximè, quòd Nehemias, & Esdras Sacerdos dixere Populo lugenti,quũ verba Legis audiisset in festo Tabernaculorum. 2. Esdræ. cap.8. Dies Sanctificatus est Domino Deo nostro.Nolite lugere.& nolite flere. Sed, ite. comedite pinguia,& bibite mulsum,& mittite partes his,qui non præparauerunt sibi: quia Sanctus Dies Domini est. & nolite contristari. Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.

Dies Dominicus.

Hortendum sanè contra nos iræ Dei signum,quando Festi nostri

ſtri dies,quibus exultare ac feriari ſolemus,in mœſtis lamentationibus,átque triſtitia,ſine cantu, ſine laudationibus aguntur. Ingens hoc malũ non cuſtodientibus mandata ſua Deus per Amos Prophetam minatur euenturum, cap.8. Conuertam Feſtiuitates veſtras in luctum, & omnia Cantica veſtra in planctum. Tob.2. &.1.Maccab.cap.1.

Infœlices illi pro luctuoſis habebant has noſtras Feſtiuitates: Catholicorum ridebãt exultationes,& Paulina in Domino gaudia. Túmque mœrebant ipſi Ieiunantes. Námque tribulationis & mœſtitiæ ſymbolum eſt Ieiunium, Animæ ſignificans afflictionem,& humiliationem. Humiliabam (inquit ille) in Ieiunio animam meam. Pſal.34.

Certè, Hoc Ieiunium corporale, ſi cum ratione fiat, Animæ plurimùm confert: apud Deum peccatorum deprecatur indulgentiam. Nos (ait Hieronymus in ſextum caput Daniel.) pro peccatis noſtris debemus vigiliis,& inediâ Deum ad clementiam flectere. Non eſt quidem Ieiunium (prout ille Demetriadi ſcribit) perfecta virtus,aliarum tamen eſt virtutum fundamentum. ſi modò ritè, ſuóque tempore iaciatur hoc fundamentum. ſemotâ, videlicet, omni ſuperſtitione: & ſi ſine proximi læſione vel offenſione ieiunetur: & ex Eccleſiæ præſcripto. hoc ipſum eſt, quod de ſuo vetus interpres inſeruit Græcis, *Aut in eiuſdem Diei contemptum*. quæ verba non ſunt in æditis Græcè canonibus. Ita legunt Antiqui. —

Chriſtianorũ Ieiunia debẽt eſſe caſta, & ſine ſuperſtitione.

Si quis, tanquàm hoc continentiæ conuenire iudicans, die Dominico Ieiunauerit, aut in eius diei contemptum — Anathema eſto. Vertit alius, *Si quis propter continentiam,quæ putatur,aut contumaciam, in die Dominico Ieiunat, Anathema eſto.*

Itáque,Ieiunium eſt opus Chriſtianum (prout dicit Auguſtinus) Noli tamen cito laudare. quære cauſſam. in fine Pſal.86.

Dum quæris igitur,Vtrum die Dominico, cæteriſque Feſtis

Ieiunare liceat? Hîc tibi respondebo, quod Hieronymus Lucinio dudum respondit. Episto. Nec opinanti mihi. dicens — Vtinam omni tempore Ieiunare possimus: Vnaquæque tamen prouincia abundet hîc in suo sensu: præceptáque Maiorum leges Apostolicas arbitretur esse. Postea Vir sanctus ea in epistola tanquàm Ieiuniorũ legem referens, admonet Ecclesiasticas Traditiones, præsertim quæ fidei non officiant, ita obseruandas, vt à maioribus traditæ fuerunt. Ecclesia nunquam Dominici Diei Ieiunium probauit, aut habuit in religionis argumentum. Non quòd annum totum Ieiunare non liceat: sed quòd. Aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre. vt ait Hieronymus ad Marcellam.

To.1. Can. Vtinam. Dist. 76.

Ex Ecclesiæ traditione, nõ singulari aliqua superstitione, Ieiunãdum est.

Quærit Hugo, Si fortè Presbyter iniungat alicui pœnitenti, Vt in die Paschæ, vel aliis Dominicis ac Solemnibus diebus ieiunet, Is ne Ieiunare debeat? Ad hoc minimè cogi pœnitentem posse respondit, huius authoritate Canonis. Certè, si Sacerdos hoc prouidè & ex caussa fecerit, resipiscens peccator obedire debet. Exempli gratiâ, Die sacro temulentus, eodem rectè iubebitur abstemius esse. Nam diuina creditur hæc esse Iustitia, vt per quæ quis peccat, per hæc & torqueatur. Sapi. cap. 11. Non ita de statutis aliis Ieiuniorum diebus, ex Apostolorum, Maiorúmq; nostrorum traditione. Non ab arbitrio cuiúsque, Sed à Maiorum nostrorum pendent imperio. Si quis talia per Gastrimargiam contemnat, & ábsque necessitate soluat, Heluo ventri deditus capitaliter peccat. In hisce speciatim Quadragesimæ diebus, charissimi fratres, humiliemus corpus nostrum ieiuniis. Animum verò quotidiano maceremus à vitiis Ieiunio. quò pingueis nos, angeli Dei sistant ad illius tribunal, in cuius laudem, siue ieiunamus, siue bibimus aut edimus, Omnia referre debemus. Amen.

Dominicæ Diei Ieiuniũ non est Pœnitentibus iniungendum.

26. q. 7. can. Nõ obseruetis.

ΚΑΝΩΝ .18.

Εἴ τις τῶν ἀσκουμένων, χωρὶς σωματικῆς ἀνάγκης, ὑπερηφανεύοιτο, καὶ τὰς παραδεδομένας νηστείας εἰς τὸ κοινὸν, καὶ φυλασσομένας ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, παραλύοι, ἀποκυροῦντος ἐν αὐτῷ τελείου λογισμοῦ. Ἀνάθεμα ἔστω.

Pro

Pro catholico non habetur is, à quo Ieiunia constituta ab Ecclesia non obseruantur.

CANON .19.

SI quis eorum, qui religionis exercitio student, ábsque necessitate corporis, insolescat: In cõmunéque tradita, & ab Ecclesia obseruata Ieiunia dissoluat, improbãs apud semetipsum, & abrogans præcipuam sententiam—Anathema esto.

In alio mũdo versari mihi videntur interpretes, dum, quæ scripserunt in istum canonẽ, lego: quos ego modò néque referẽdos, néque refellendos esse puto.—Patres, per παλαιὰς λογισμοὺς intelligunt antiquas Ecclesiæ leges de Ieiuniis, & aliis rebus ad Dei cultum necessariis & vtilibus. quæ, quia magno consilio, multa cum deliberatione, ratiocinatione, & consideratione ferri solent, Ideo λογισμοὶ nuncupantur: & τέλειοι. perfecti, absoluti, quibúsque nihil deest. Interpretes omnino nihil afferunt, quod huc attineat.

Semper in Ecclesia fuerunt Ieiunia certa. Itâque sciendum, Stata, determinatáque Ieiunia semper in Ecclesia fuisse. Semper, hoc est, A prima per ipsum Christum Ecclesiæ Christianæ constitutione. Dubitare nemo potest, nisi pariter Euangelium reuocet in dubium, Tria hæc opera (videlicet) Orationem, Ieiunium, & Eleemosynam, si qua sint alia, esse opera merè Euangelica: vt magnâ duci ratione videantur, qui Ieiunia dicãt ab ipso instituta fuisse Christo. Ab Apostolis ambigit nemo.

Quæ verò, Qualia, Quãdo fuerint ea, Tertullianus indicat aduersus Psychicos inquiens—Certè, in Euangelio dies illos Ieiuniis determinatos putant, in quibus ablatus est Sponsus: & hos esse iam solos legitimos Ieiunioru m Christianorũ, abolitis legalibus & propheticis vetustatibus. Expresśiùs illi dies referuntur in Apostolorum canone. 69. Puta. Quadragesima, semel anno quóque recurrens. Nos vnam quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum (sicut affirmat Hieronymus ad Marcellã) toto anno, tempore nobis congruo, Ieiunamus. Alia duo singulis

recurrunt hebdomadibus, ἐν τῇ τετράδι. καὶ παρασκευῇ seu προσαββάτῳ. In Quarta, & in Parasceue, seu Prosabbato. hoc est, Quarto, & Sexto die Septimanæ, Quartâ, Sextâque feriâ. Quos duos dies à nominibus Dæmonum Christiani non admodum Christianè Diem Mercurij, & Diem Veneris nominant. Sed & alia pro temporum qualitate, rerúmque necessitate præscribebantur, & indicebantur Ieiunia. quæ vocabantur omnia, Stationes. Hermam vnus ex Pauli discipulis, (cuius & meminit ad. Ro. scribens) anno Do. 70. Pastori suo dicit, Domine, Stationem habeo. Quid est (inquit ille pastor) Statio? respōdet Hermā, Ieiunium. cap. 5. lib. 3.

Stata, & Legitima Christianorũ ieiunia, Quartæ, Sextæque feriæ, & Quadragesimæ Ieiunia.

A militari exemplo Christiani (qui & militia Dei sunt) nomē Stationis vsurparunt. vt ait Tertullianus in Libro de oratione, tractans de Stationibus, & quærens, An accepto corpore Domini, Statio soluatur? Non soluitur: quia deuotum Dei obsequium Eucharistia non resoluit: Imò solemnior tunc erit Statio tua. Sic ille. Qui dicto iam contra Psychicos libro memorat Quartæ feriæ, Sextæque Stationes: quæ simul cum orationibus, horâ nonâ (tertia est post meridiem) concludebantur.

Eucharistia sumpta non soluit ieiuniũ.

In iure non semel occurrit ista vox: & vno in significatu. quo Státio græcis est ὅρμος. explicatur ab Vlpia. l. 1. §. Stationem. ff. de fluminib. in l. Portus. ff. de verb. signif. Præterea, Statio est locus in quo milites ad præsidium stabant, & collocabantur. Et etiam, quò multi conuenire solent ad aliquid agendum. Romæ Stationes ius publicè docentium, aut respondentium nominauit Gellius. cap. 13. libri etiam. 13. Mansit adhuc huiusce vocis vsus Romę, sed in Vrbis duntaxat Ecclesiis. Statio ad Sanctum Petrum. Statio ad Sanctum Cyriacum. Statio ad Sanctam Potentianam. Et aliæ singulis Quadragesimæ diebus haberi solitæ Stationes. Ipsis etiam Dominicis diebus Stationes deputant. In prima Quadragesimæ dominica, Statio ad Sanctum Ioannem in Laterano. In 2. Statio ad sanctam Mariam maiorem. In. 3. Statio ad sanctum Laurentium extra muros. Dominicâ quartâ, Statio ad sanctam Crucem in Hierusalem. Dominica in passione, Statio ad sanctũ Petrum. In Palmis, iterum, Statio ad Sanctum Ioannem in Laterano. Ipso die sancto Paschæ, Statio rursus ad Sanctam Mariam maiorem. Dominicales stationes veteris Ecclesiæ more non habebantur. Qui sic loquuntur, intellexisse non videntur, quid esset Ecclesiastica Statio. Nunquàm sine ieiunio fiebat: Nec vnquàm Dominico die, quoquidem (sicuti in antecedente dictum fuit canone

Statio.

Stationes Romæ.

none) ieiunare non licebat. Hoc satis indicat idem Tertullianus, qui Cæsaris, & Christi militem discernens, & vnum docens vtrique militare non posse, dies Dominicos à Christianorum Stationibus eximit. Sic enim scribit in libro de corona militis—Iam & Stationes, aut alij magis faciet, quàm Christo? Aut & die Dominico, quando nec Christo? Antiqui nesciisse Dominicarum stationes videntur. Sed iam de canone nostro.—

Certos, & ordinarios, atque statos ad Ieiunia dies in Ecclesia prima fuisse cognoscimus: quos humanâ præsumptione quisquis non obseruabat, Anathema protinus audiebat. — Eustathius & Aërius ieiuniis quidem nō detrahebant (quod Iouinianus postea fecit, vt antea retuli) Salutare ieiunium dicebant illi, sed voluntariè susceptum, non imperatum. Thesis hæc vna fuit istorum δογματιστῶν. Οὔτε νηστεία ἐστὶ τεταγμένη· ταῦτα γὰρ Ἰουδαϊκά ἐστι, καὶ ὑπὸ ζυγὸν δουλείας. δικαίῳ γὰρ νόμος οὐ κεῖται. Id est, Non est aliquod ieiunium statum (puta, quod ordinatis & destinatis temporibus fieri debeat. istud est, τεταγμένον) Hoc enim ieiunium est Iudaicum, & sub iugo seruitutis. Atqui, Iusto lex non est posita. Sic illi prædicabant, ὡς τάχα φθασάντων εἰς τελειότητα· καὶ οὐκέτι δεομένων νηστείας (ait hîc Zonaras) idest, Ac si fortè iam peruenissent ad perfectionem, nec amplius indigerent ieiunio. Quæ fuit hæresis à Begardis, & Beguinis Alemaniæ renouata. anno, 1300. In Clement. 3. de hæret.

Nemo tam perfect⁹, quin ieiuniis, & bonis operibus habeat opus.

Illos audiens, æui nostri Gnosticorum mihi videor audire patres atque doctores, Viperas, puta, Viperarum parentes, cum suis captiuitatibus Babylonicis, & libertatibus Christianis. Hinc error ille perniciosissimus manauit— Ecclesiam, néque ieiunia, néque leges aliquas statuere posse, quibus obligentur Christi fideles. Iouinianum tamen Gnostici magis insequuntur, Nihil amplius, quàm Galenus, ieiuniis deferentē. Sed Eustathius, & Aërius Animæ vexationes & ieiunia supputari quidem pro peccatis apud Deum prædicabant: sed ex arbitrio, non ex imperio ieiunare volebant: Omnibus suis operibus prætexentes Euangelicam nescio quam libertatem. Propterea, Ne iussi ieiunare crederentur, in die Dominico sæpè ieiunabant, & in Paschæ, vel Pentecostes tempore, Festisque similibus Ecclesiæ diebus. Quum verò salutares sibi sumebant afflictiones Catholici, in Quarta, videlicet, in Prosabbato, per Quadragesimam, maximè per sanctam Paschæ septimanam (dies omnes mœroris & angustiæ) tunc sese lautioribus eduliis, vino, carnibus explebant, & omne genus delitiis satu-

Aëriani ieiunare vetiti, ieiunabant: iussi verò nō ieiunabant.

rabant: Aëriani: ἐξεμωθέντες (Istud est Epiphani verbum, de Aëtio, & Aërianis loquentis) hoc est, Euomentes interim libertatem, quâ nos liberauit Christus, Synodus aduersus huiuscemodi ἐλευθέρους τῇ δικαιοσύνῃ (Paulino verbo dissolutos istos appositissimè cum sua libertate nominare mihi videor. Id est, ab omni iustitia liberos & alienos) qui tradita pridem Ieiunia, & ab Ecclesia semper obseruata dissoluunt, Anathema decernit. Nisi quis fortè propter infirmitatem corporis Ieiunare non possit. Iuxta canonem Apostolicum. Verus hic & vnicus est canonis nostris sensus. Vnde nos duo breuiter annotabimus. primò.—

Quod Ecclesia præcipit, Dei præceptis adscribendum venit.

Ecclesia statuere potest operum siue morum bonorum leges: quibus omnes obtemperare debent. Anathema violantibus. Vt hîc &. 1 q. 7. can. 12. & Cap. 1. de constit. In antiq. Has Ecclesiæ leges & Præcepta non dubitarim nominare Articulos fidei. tametsi non sint in sacris exposita literis. Adducor authoritate Pauli, qui dum Corinthi nonnulla statuisset, quæ scripturis non erant expressa (Mulieres ibi concionari publicè, & in Ecclesia loqui vetabat) demum subdidit, Si quis videtur propheta esse, aut Spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis: quia Domini sunt mandata. 1. Corinth. cap. 14. In fine cap. Quæ sub Paulo fuit olim, eadem nunc est Ecclesiæ potestas. Et edicere si quid ille potuit præter euangelica scripta: Poterit idem quiuis alius Ecclesiæ pro Petro, Paulóne præfectus: quod ad mandatorum tamen diuinorum obseruationem conducat. Hoc est, Secundum potestatem, quam dominus dedit ei in ædificationem, non in destructionem. 2. Corinth. cap. vlt. volo dicere, Papa nouam condere, Veterémque potest interpretari legem: Petri tamen Paulíque vestigiis insistés, Eorundem spiritum sequens, nec ordinem tabernaculi turbans.

Alterum, quod hîc docemur in fine canonis, vbi dicitur, Improbans, siue abrogans apud semetipsum præcipuam, siue principalem sententiam, (Subaudias, de Ieiuniis) pertinet ad. can. Relatum. Infrà. 37. dist. Ibi fusè tractabitur. Eò properantes obiter annotemus.

Qui deiectâ maiorum sententiâ, suâ solam statuere volunt similes illis sunt, qui Dei iustitiam ignorãtes, suã statuere quærunt. Ro. x.

In errorem facilè, citóque labitur is, qui suo cerebro confisus, Orthodoxorum patrum sententiis, & consuetis Ecclesiæ mysteriis sese non conformat. Hinc omnium scaturit hæresum fons. Prouerb. 3. cap. scribit ille, filium suum monens— Ne innitaris Prudentiæ tuæ: Néque sis apud temetipsum sapiens. vbi comminẽ

vel

tator—Innititur ille prudentiæ ſuæ(ait)qui ea,quæ ſibi dicenda vel agenda videntur,Patrum decretis anteponit. Sapiens eſt apud ſemetipſum,qui in illis, quæ ex Patrum magiſterio potuit rectè cognoſcere,ſe præ cæteris,quaſi doctior, extollit. Hæc habes in cap.5.de conſtit.in antiq.

Auditor Chriſtiane,Nunquid hîc agnoſcis Gnoſticorũ mores, eorúmque πεφυσιωμένας opiniones. Iſtorũ dux & pater inflatus ſenſu carnis ſuæ,quum priſcos omnes inſcitiæ notaſſet,ábſque rubore demum cunctos mortales prouocat,Vt ſcripturæ ſibi locũ demonſtrent,quem non intelligat, & interpretari nequeat. Atqui, Nos contrà oportet omni poſito tumore,maximâ cum humilitate,Legem matris noſtræ(Præcepta,videlicet,Eccleſiæ,Maiorúmque traditiones)non omittere, néque deſerere. Nihilóque diligentiùs ea conſeruare,quàm præcepta & diſciplinã noſtri patris, hoc eſt,Dei.Simul hæc duo per Spiritum iunguntur,vt intelligamus vnum eſſe duorum præceptum ſic ait. Audi fili mi diſciplinam patris tui:Et ne dimittas Legem matris tuæ. Lex Matris eſt diſciplina Patris. Repetam pro canonis præſentis confirmatione,quod in Ariſtocratiæ fine poſui,tractans An liceat in Diuinis legibus ἐπινοίζειν? Quod præcipio tibi,hoc tantùm facito Domino:Nec addas quicquam,nec minuas.In fine cap.12.Deuter. Veterat initio capitis,Non facietis,Vnuſquiſque,quod ſibi rectum videtur Lex Dei,Lex eſt Eccleſiæ. Neutrius mandatum prætergredi fas eſt.

Prouerb. cap.1. & 6.

Interpres ille vetus, quem Gratianus ſequitur, iſtius quidem Canonis ſenſum,non item verba ſatis, intellexit græca ſic tranſtulit ille— *Totius Eccleſiæ perfectam in ſua conſcientia iudicans, aut vindicans,ineſſe rationem,ſit Anathema*. Nequeo diuinare,quid alius interpres aut legerit, aut ſenſerit,dum græca prædicta ſic vertit, *Ieiunia ab Eccleſia cuſtodita ſuperbiendo diſſoluit, ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus*. Hîc de priſcorum Ieiuniis obſeruandis non plura. dicta ſunt in Apoſtolicis canonibus alia.

Quæ ſcio Gnoſticis vera non videri. Cæterùm, quum nullâ re magis nitamur in aſſerenda Eccleſiæ politia,quàm ſi quid à Maioribus factum,mãdatúmve proponatur:& quum Priores dicunt Poſterioribus—Auribus noſtris audiuimus,Patres noſtri annũciauerũt nobis. Obſecro vos ideo,chariſsimi fratres,vt vnanimes oremus,néque ceſſemus,donec impetrauerimus illum Sobrietatis ſpiritum nobis dari,quem ſuis elargiri ſolet is,qui monuit attendendum,Ne corda noſtra grauentur crapulâ.

ΚΑΝῺΝ. .Κ.

Εἴ τις αἰτιῷτο ὑπερηφάνῳ διαθέσει κεχρημένως, καὶ βδελυσσόμενως τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων, ἢ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας, λειτουργίας, καὶ τὰς μνήμας αὐτῶν, — ἀνάθεμα ἔστω.

Rerum cum virtute & religione gestarum perpetua debet in Christianis esse memoria.

CANON .20.

SI quis per superbiam, [*tamquam perfectum se existimans*] conuentus [*qui per Loca & Basilicas Sanctorum*] martyrum [*fiunt, vel*] accusauerit: vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriásque [*Sanctorũ contemnendas*]. Anathema sit.

Et hic alius erat Eustathij, Necnon eorum, qui decepti se ad eius dogmata conferebant, error. Hi loca despiciebant, & nihili faciebant, in quibus reliquiæ sanctorum Martyrum seruabantur. Ibi ministrantes, & athletarum Christi memoriam venerabundè colentes irridebant, & Anthropolatriæ accusabant: Fidelium congregationes ad ea loca fieri solitas auertebant: Veteres eorundem sanctorum typos, & imagines à priscis Ecclesiasticis religionis authoribus, tamquàm veritatis notas, Ecclesiæ traditas euertebant. Ob quod à Synodo positus est præsens canon: qui fastuosos & arrogantes istos innouatores, Ecclesiæ toti sese præponentes, & conuentus, qui fiebant ad Martyres, pro detestabilibus ducentes, Anathemate condemnat. Anathema autem istud nihil aliud est, quàm separatio à Christo, scilicet, vt iam Christianus non censeatur, qui talia sentit.

Qui contemnunt memorias Sanctorum, nõ sunt Christiani.

Auditor Christiane, Vides insolentis tumidorum Gnosticorum exercitus duces & antesignanos. Quorum fœtidas opiniones

nes contra ſanctorum Martyrum reliquias & audire, & proferre, & nō abominari, Sacrilegium eſt. vt ad Riparium ſcribit Hieronymus. Ideo rem (quia mihi cauſa poſtulare videtur) prolixiùs agitabo: de qua viri multi ſancti iamdudum non paucis egêre Septima ſynodus Epiſcoporum trecentorum quinquaginta, circiter annum Do.781. quæ ſecunda Nicæna dicitur, in iſtiuſmodi blaſphemos Iconomachos nihil execrationis ac deteſtationis omiſit. In eáque decretū fuit — τὰς σεπτὰς εἰκόνας καὶ προσκυνεῖσθαι, καὶ σέβεσθαι. Quod Zωnaras referr in vita Conſtantini, eiuſque matris Irenes. pòſt explicabimus. Eodem penè tempore, dum regnaret in Gallia Ludouicus pius, ſub annos Do.830. (cui ſucceſsit in regno filius, Carolus caluus) Ionas Aurelianenſis Epiſcopus elegantes ſanè libellos tres ſcripſit aduerſus quemdam Presbyterum, natione Hiſpanum, nomine Claudium, Taurinenſem epiſcopum, De cultu Imaginum. maximè, de Crucis adoratione. Diuus Hieronymus annis antea ferè quingentis, certè multò pluribus, quàm quadringentis (imperabat Arcadius, túmque temporis Oſſa beati Samuelis de Iudæa trāſtulerat in Thraciam, circiter an. Do.390.) ſpeciali tractatu, nec ſine conuiciis magnis, impium quemdam Vigilantium (de quo mox) confutarat, qui Gallicas Eccleſias, hactenus monſtris hæreſum carentes, hâc hæreticâ lue corrumpere tentabat. Poſtea Gregorius Papa, non præterierant anni ducenti, vehementer arguit Epiſcopum Maſsilienſem, Serenum, quòd inconſiderato zelo fregiſſet imagines Sanctorum. Id quod à nullo vnquam factum fuerat ſacerdote. vt ait. Epiſt. 109 lib.7. & Epiſt. 9. lib.9. Citatos in ea ſeptima Synodo comperies Eccleſiæ græcæ doctores ex antiquitate complures, iſtud idem crimen coarguentes. Suidas Epiphanium quemdam memorat, Epiſcopum σηλυμβρίας, ἢ ὀλυβρίας. ὃς ἔγραψε λόγον ἀντιῤῥητικὸν, κατὰ τῶν εἰκονοκαυστῶν, λίαν ὠφέλιμον. Epiſcopum Selymbriæ, vel Olybriæ. (Selymbria, Oppidum Thraciæ in Proponride non procul Bizantio, ſiue Conſtantinopoli. Plinius cap.xi. lib.4.) Qui ſermonem ſcripſit confutatorium, contra combuſtores imaginum, valde vtilem. Deſideramus has ſanctas Epiſcoporum ſanctorum vigilias. Quorum quidem dictis árque ſententiis addi nihil poteſt, quod ſuperfluum non uideatur. Attamen, Res impræſentiarum nonnihil me dicere cogit, ob Gnoſticorum ſuperbas impietates, quibus nulla ſatis vnquam ratio fecit. Néque tamen ſequentia retulerim, quò mortuos iſtos auditutos, lecturósve noſtra credam; qui ſuo tantùm lolio ſepulti victitant. Orationibus, & Ieiuniis, non Libris, aùt Scripturis, certandum iam nunc eſt aduerſus illos. Hæc itáque

scripserim, quò nos Idiotæ, nihil aberrantes omni cum humilitate sequamur vestigia maiorum, præceptáque teneamus.

In primis, quod Canonis nostri textum Concernat, sciendum quòd antiquus interpres translationi suæ nonnulla miscuit, græcis quidem non consonantia, nec tamen sensui detrahentia quicquam. E græcis hîc adscriptis istud clarissimè vides. Ad verbum sic illa sonant.—

Si quis inculpet, vtens affectu superbo, & execrans, collectas Martyrum, vel in eis factas Liturgias, Et Memorias eorum. Anathema esto.

Verbis hic nonnullis, quòd possunt obscuriora videri, paulisper immorabor.

Colligere.

Hæc duo verba, συνάξεις μαρτύρων, pluribus ille vertit, hôc modo. Conuentus, qui per loca, & basilicas sanctorum Martyrum fiunt. Ego duobus, Collectas Martyrum. Colligere simpliciter Ecclesia prisca dicebat, In ædem quampiam sacram congregare populum, ad euangelij concionem, ad preces, & orationes Deo fundendas, ad Eucharistiam. Tertullianus in fine libri De fuga in persequutione.—Sed, quomodo colligemus, inquies? quo modo dominica solemnia celebrabimus? Inde Collecta, id est, Hominum cœtus & congregatio propter Deum conuenientium. Vox perquàm familiaris antiquo Bibliorum translatori. Leuitici. cap. 23. Dies octauus erit celeberrimus, átque sanctissimus. Est enim Dies cœtus, átque Collectæ. Fiebat istud in festo tabernaculorum. Deutero. 16. In die septima, quia Collecta est Domini Dei tui, Non facies opus. de Pascha loquitur. Item. 2. Paralip. 7. Fecítque die octauo Collectam. Sermo est de templi dedicatione. Quod è sua lingua Septuaginta græcè verterunt, ἐξόδιον. Id est, Exitus, Egressio. Latinus transtulit in Collectam. Nam statis illis Iudæorum festis, per sex, aut septem dies in sua quísque domo, vel in suo tabernaculo manebat. Octauo demũ, vel septimo die conuocati exibant è suis ædibus, & congregabantur omnes in templum ad concionem, vt audirent verba Dei. Tunc Collectam facere dicebantur. Et festũ Collectæ nominabatur. Hanc ego significationẽ sequutus, hîc verti συνάξεις in Collectas. Nec enim συνάγειν,

vn-

Collecta est Ecclesiæ congregatio. Est in Ecclesia oratio. Est Eleemosyna publica.

vnde, σύναξις, aliud est, quàm congrego, siue colligo. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani Synaxes Martyrum nominauit Conciliabula Martyrum. Parergi nonnihil adiungam pro alio quodam vocis istius vsu in Ecclesia. Sanctæ congregationes istæ nõ habebantur, néque fiebant ábsque precibus, & magnis Dei laudibus. Sic enim legitur dicto cap. 7. Sacerdotes stabant in officiis suis, & Leuitę in Organis carminum Domini, quæ fecit Dauid Rex ad laudandum Dominum, Quoniam in seculum misericordia eius: Hymnos Dauid canentes per manus suas. Ista certè caussa est, cur precatiunculas quasdam per Sacerdotem, dum populus conuenir, fieri consuetas, vocemus adhuc in Ecclesia nostra, Collectas. Conferebantur etiam tunc Eleemosynę, & stipes ad sustentationem pauperum: quas λογίας Paulus appellat .1. Corinth. cap. vlt. à legendo, id est, colligendo. Vetus interpres ibi rectè nominauit Collectas. A nostro quóque vulgo sic sumitur. In Cæsarum quorundam legibus inuenies ab hoc significatu nominari Collectarios. *L. Quisquis. C. Si certũ peta.*

Sed & quâ noster hîc interpres vtitur voce, Basilica, venit ea declaranda. quæ nostris in Canonibus vsitatissima, & tritissima est. βασιλεὺς Græcis est Rex. βασιλικὴ, Basilica propriè est Regia. id est, Aula, Domus, Habitatio Regis. Basilicarum loca fuisse venalium rerum, Foris olim coniuncta scribit Vitruuius cap. 1. libri. 5. de architect. In quibus, Hyeme potissimùm, Publicæ conciones, & negociantum conuentus habebantur. Albertus Leo Florentinus cap. 14. libr. 7. De re ædificatoria, Basilicam dicit à principio locum fuisse, quò Reges cõueniebant ad ius dicendum populo: cui quidem loco, dignitatis gratiâ, priùs vnum, mox & alterum tribunal additum fuit. quo in significatu sumi videtur in l. Pediculis. §. Item, quum quæretur. ff. de auro & arg. leg. l. 83 §. sacram rem. ff. de verb. oblig. l. penult. C. de operib. publi. Gallicum vulgus quadamtenus hoc adhuc nomen retinet, appellans Basilicanos eos, qui fora iudicialia sequuntur. Basilicas ad formã templorum construi docet idem Leo. Propterea factum credo, vt sacras solas ædes (quas & Ecclesias appellamus) Hieronymus, cæterique scriptores Ecclesiastici Basilicas nominarint. Idque non impropriè. quandoquidem Rex ille magnus, cui reges omnes alij subduntur, constructa in honorẽ suum templa vocat ipse Domum suam. Matth. 21. cap. quomodo accipitur hîc, in can. Omnes Basilicæ. 16. q. 7. & de consecr. dist. 1. Nec semel in Canonibus, & Patrum conciliis. *Basilica.*

Tertium superest adhuc, de quo nonnihil prænotandum. μνήματα αὐτῶν. μνήμη Græcis est, quæ Latinis appellatur Memoria. Et μνημεῖον vocant illi, quod nos appellamus Monumentum. Defunctorum sepulchra prisci vocauerunt in Ecclesia, Memorias. quia nos eorundem reminisci faciant. Id scribit Augustinus cap. 4. li-
To.4. bri De cura pro mortuis gerēda. Loca pariter in quibus sancti colebantur, Illorúmque vita sanctè peracta rememorabatur, Idem (quod & alij) nominauit Sanctorum, siue Martyrum memorias. de quibus hîc. Vocant & Martyria. de qua dictione iam non semel admonuimus. Satis hæc de verbis antiquis nostri Canonis. Post quorum breuem declarationem, Iam de rebus in nostro Canone condemnatis aliquid afferamus.

Memoriam Plato vult esse recordationem superioris vitæ.

De recolendis & celebrandis Martyrum memoriis hîc agitur. Qui titulus est in tertio decretalium Gregorianarum, Bonifacianarum, Clementinarúmque libro, sub his generalibus verbis, De reliquiis & veneratione Sanctorum.

μαρτύρας quosdam, & alios ὁμολογητὰς Ecclesia solet appellare. quod ostendimus in Can. Apostol. 62. Martyres, & Confessores. Dei tamen sanctos omnes appellatione Martyrum volumus hîc intelligi, tametsi quieuerint in pace. Non enim Deus ad Martyrium quærit effusionem sanguinis, sed fidem, pro qua sanguis effundi voluntariè possit. Deuotæ cuiúsque mentis seruitus immaculata, Martyrium quotidianum est. vt ait Hieronymus in Epitaphij Paulæ fine. Dixerat hoc idem Cyprianus in Can. Nunquid. de pœnit. dist. 1. Verùm, prę cæteris accipe Martyres, qui digni fuerunt pro nomine Iesu contumeliam pati: quorum passio, & pro Christi nomine cruoris effusio, & in tormentis lætitia, est
To.3. ipsius Christi triumphus, & gloria. Sic Hebidiæ respondit Hieronymus. quæst. 11.

Martyres Voluntate. Confessores autem Re.

Pro vinctis adhuc, & carceris custodiæ traditis Christi martyribus (Vinctus enim dicitur etiam Martyr) Ecclesia fundere preces, & sacrificia non cessabat offerre. Acto. Aposto. cap. 12. Petrus quidem seruabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Sed fortiter & gloriosè vitâ functis illis, amplius Ecclesiæ Christi fideles pro talibus non orabant: quos planè beatos esse non ambigebant, quippe qui persecutionem propter Iustitiam passi fuissent, (quæ numeratur octaua beatitudo Matth. cap. 5.) & qui Centesimum fructum iam retulis-

Vt ministros, vt amicos, vt Dei denique filios, Martyres, et Sanctos colimus et honoramus.

tulissent. Matth. 13. A quibus quodcúmque prius peccatum per ipsum Martyrium fuerat ablatum, & omnis macula deleta. Nec enim Martyrij vis minor est, quàm Baptismi. Eodem manauit vtrúmq; fonte. De Christi latere profluens sanguis designat Martyrium. Baptismum verò demonstrat aqua. Sic ad Oceanum, & Pammachium scripsit Hieronymus. in fine cuiusdam epistolæ de erroribus Origenis. Idémque rursus ad Oceanum. Epist. Nunquam te fili. To. 2.

Non pro Martyribus igitur orabant, sed è diuerso, Supplices ipsi fideles pro sua, suorúmque salute Martyres orabant: His coram Domino Basilicas & Aras extruebát: & inuictis illis Mundi, Carnis, & Diaboli triumphatoribus Imagines & præclarè gestorum figuras, trophæorum instar, erigebant. Hæc omnia verò, Martyrũ memorias appellabant. quas præsens Canon multa cum religione demonstrat agendas. E cœtu Christianorum pellit eos, qui superbâ quâdam impietate celebrare contemnunt.

Memoriæ Martyrum, id est, Basilicæ Martyrum.

Apostolis, Prophetis, Martyribus, Diuis omnibus (non tamen vt Diis) Basilicas à Christi fidelibus ædificari solitas ostendunt Hieronymus aduersus Vigilantium scribens. To. 2. Et Augustinus in vltimo de ciuitate Dei libro. cap. 8. 9. 10. Nec vtérque semel aliubi. Sacros authores alios & Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ prætermitto. Celebres istos duos indicasse sufficiat.

Conuentus ad Martyres.
Oblationes ad Martyres.

Sicuti mors peccatorum pessima. Psalm. 33. de quibus & in Psalmo primo Vaticinium legitur, Peccatores nec in iudicio, nec in iustorum concilio, resurgent. id est, Æternæ morti addicti, iámq; iudicati, non stabunt, non consistent, non scribentur cum iustis in libro viuentium. sicut in alio quodã Psalmo dicitur: Ergo, Sicuti mors peccatorum pessima est, Ita pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius. Psal. 115. De quibus & illud prædictum est, Iusti in perpetuum viuent: & apud Dominum est merces eorum. Sap. cap. 5. Propterea, Quô die pro Christi fide mactabantur & immolabantur, Hunc Ecclesia diem non appellauit Diem mortis, sed eorum Natalem diem. Smyrnensis Ecclesia τὴν ἡμέραν γενέθλιον Polycarpi nominat apud Eusebium. cap. 15. libr. 4. hist. quô die fuit igne consumptus athleta Christi fortissimus. Tum quidem viuere desinebant in mundo, moriquе videbantur: Sed ad vitam nascebantur. Ideo μαρτύρων quóque γενέθλια Patres in Laodicæa vocauerunt. Can. 51. & 52. Martyrum Natali-

Natales sanctorum dies sunt eorũ mortu dies, quos Ecclesia cum veneratione semper obseruauit.

33. q. 4. can. Nõ licet. átque præced.

tia. Latinis, Dies, quo quis nascitur, Natalis, & Natale, & Natalitium vocatur. Accursius in l. antep. Quum quidam. ff. de ann. leg. & in. §. fi. Insti. de inge. Natalis (ait) dies est, quo quis natus fuit: vel quo decessit. quasi tunc nascatur ad gloriam, nunquam moriturus. vt fit de natiuitate sanctorum. sic Accursius, asserens Legatum, quod quis fecit die Natalis sui, tam de mortis eius die, quàm de Natiuitate ex matre intelligi posse.

Ecclesia Martyrum natales in summa veneratione semper habuit: & ex eo tempore, quo cœpit Euangelium prædicari, à Stephani (puta) lapidatione, Anno Christi passi primo. ad hæc úsque tempora nostra magno semper honore prosequuta est. De quibus quidem diebus & illud accipio Tertulliani in lib. De corona militis. Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis, annuâ die facimus. hoc est, Certo anni cuiúsque die.

Dum verò populus ad hanc Natalium festiuitatem celebrandam conuenisset, Ibi non Epulæ, non comessationes, & choreæ perstrepebát: quia, Lasciuiis & saturitate Martyres honorare velle non debemus, quos Ieiuniis & continentiâ placuisse Deo scimus. Hoc ad Eustochium scripsit Hieronymus. Epist. Parua specie. in qua de festo die, siue de Natali Beati Petri loquitur. Huius amicus summus Pontius Paullnus (quê suprà laudabamus) idem quóque scribit in fine Natalis. 9. Sancti Fœlicis. In cuius æde populus lætitiâ diffluens epulabatur: & Martyrem Christi putabat ineptis, istis & carnalibus gaudiis vnà sibi cógaudere. propterea, plenus indignatione vir sanctus exclamat —.

To. I.

Ergo probant obitu, quod damnauêre magistri?
Mensque Petri recipit, quod Petri dogma refutat?

Concilium Viennense modis omnibus átque censuris per Ecclesiæ præfectos iubet istiusmodi saltationes, & tripudia coërceri. Clem. I. de celebr. missa. Nos alia diximus ex Laodicensi Concilio, de talibus epulonibus, In Can. II. superius. De Canone nostro differamus.

COnueniétibus (inquam) simul ad sanctorũ Natalia fidelibus, tunc oblationes, & sacrificia fiebant ob commemorationes eorundem. quod ex Tertulliano videmus. Ibi Synaxis, & communicatio Dominici corporis celebrabatur. apud Cyprianum. Epist. 6. lib. 3. Augustinum cap. 2. libri sexti confess. Martyrum suis in necessitatibus & infirmitatibus inuocabant auxilia: quos

Veneratio, Inuocatio, Intercessio, Sanctorum.

To. I.

&

& præsentes adesse sibi nihil obscurè sentiebant, æditis ad eorum Basilicas & sepulchra frequentibus miraculis. In corpore nempe constituti, quum pro se sollicitii forent adhuc, si suis orationibus iuuerunt alios, quanto magis nunc post coronas & triumphos? Hieronymum legas & Augustinum duobus in locis paulò antè citatis, De Basilicarum constructione.

In locis venerabilib⁹ historias, & imagines depingi Sanctorũ, non sine ratione, vetustas admisit.

Sed & in his Sanctorum memoriis átque Basilicis, eorundem positas & erectas Imagines, Ecclesiæ nascentis adhuc primordio, fuisse cognoscimus Eusebij verbis: Qui quum Domini nostri Iesu descripsisset æneum quendam Iconem, Pariter & Hęmoroussę mulieris ad eius pedes procidentis figuram, qualis Matt.9.& Lucæ cap.8. legitur. Orta fuit ea mulier è Paneadé, quæ Marci ca.8. Cæsarea Philippi nominatur. oppidum Decapoleos, è latere Syriæ (vbi domum habuit) in fine cap.18. lib.7. Hist. Eccles. subdidit — καὶ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ τὰς εἰκόνας, παύλου, καὶ πέτρου, καὶ αὐτοῦ δὴ τοῦ χριστοῦ, διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας ἱστορήσαμεν. Id est, Et eius Apostolorum Imagines, Pauli, átque Petri, ipsius etiam Christi, per colores in picturis asseruatas vidimus. Nicephorus Callistus (vndecúmque didicerit) in scriptis reliquit Euangelistam Lucam suis manibus, Petri, Pauli, Christi, Virginis Christi matris Imagines pinxisse, cap.16. libr.6. Histor. suæ Eccles. quod rursus affirmat cap.14. libr.15. Videlicet, Apostolum Lucam suis manibus Imaginem Dei Matris pinxisse, Ipsâ Virgine adhuc viuente, & eam tabulam vidente, illíque suæ formæ gratiam immittente. Quod & Theodorus lector astruit initio statim suorum Eclogarum, Id est, Collectaneorum ex Ecclesiastica historia. Legimus in Irenæo Carpocratitas asseuerantes Pilatum Præsidem Romanum curauisse per plastas & pictores exprimendam viuam Christi versantis adhuc in terris effigiem, quam Tiberio mitteret. cap.24. libri primi aduersus hæreses. Carpocratitas hîc vera dixisse puto. Infœlices isti Christum quidem colebant, Sed velut vnum ex Prophetis, & hominem purum: cuius & Imaginem seruabant. Quomodo, Carpocratitarum sectæ socia quędam Marcellina Romæ post Epiphanium scribitur ab Augustino de Carpocratitis loquente, Iesu, Petri, Pauli Imaginibus incensum posuisse. Sic etiam Lampridius Alexandrum Seuerum tradit in Larario suo maiore consecrasse Christi, & Abrahæ, & aliorum, quos Deos credebat, effigies: quibus rem quóque Diuinam matutinis horis faciebat. Nec est ambigendum quamplurimos è Gentilibus conuersos simile fecisse. Quos enim σωτῆρας. & admirabiles habebant (vt scribit Eusebius) hos vetere gentium consuetudine sic honorabant.

Ipſemet Chriſtus apud Ioannem Damaſcenum fertur Imaginem ſuam miſiſſe ad Abagarum Regem Edeſſenorum,(Agbarus dici-
cap.vlt. lib.1. tur Euſebio) qui ζωγράφον Hieroſolyma miſerat, vt Dominũ pingeret.cap.18.lib.4.de orthodoxa fide. Dies in Græcorum menologio celebratur decimus ſextus Augusti mẽſis,quo fuit.'εξ 'εδέσσης ἀνακομιδὴ 'Αχειροποιήτυ εἰκόνος τοῦ κυρίυ ἡμῶν 'Ιησοῦ χριστοῦ. Ex Edeſſa receptio non manufactæ imaginis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vbi ſubditur & huc attinens precatio— τὴν ἄχραντον εἰκόνα σου προσκυνοῦμεν, ἀγαθὲ, αἰτούμενοι συγχώρησιν τῶν πταισμάτων ἡμῶν, χριστὸ θεὸς. Non politum icona tuum adoramus, O Bone. Flagitantes abolitionẽ lapſuum noſtrorũ, O Chriſte Deus. Edeſſa Meſopotamiæ ciuitas eſt. Hie-
To.3. ronymo dicitur Arach in traditionib. Hebraicis, ſuper Geneſin. Sedes quondam regni Nemrob. Ad Canonem.

Néque recens,nec ingrata,improbatáve Deo res eſſe videtur Imaginum tam pictura,quàm ſcalptura: Ipſius etiam Chriſti. Albericus in Dictionario teſtatur Imaginem ſaluatoris diuinitus pictam ſe vidiſſe Romæ,tempore generalis indulgentię.Anno Do. 1350. Quicquid erigitur in recordationẽ Dei, non poteſt illi non eſſe gratum & acceptum.

In Martyrum quóque memoriis,non oſſa duntaxat,& corporum cineres (quæ templum Spiritus ſancti quondam fuerãt,operationúmque ſanctarum organa)verumetiam baculos,ſudariola, veſtes,lectulos,ſedes,& alia,quæ fuerant vſui viuis, nõ ſine veneratione ſeruabãt.Iacobus Apoſtolus,Domini frater cognominatus,Eccleſiæ Hieroſolymitanæ primus Epiſcopatum geſſit. Eius θρόνον (prout idem tradit Euſebius libri iam dicti.7.cap.19.) hoc eſt Epiſcopalem ſedem ſiue Cathedram ſucceſſores illic honore multo cuſtodiebant, & aduenis oſtentabant, ipſius adhuc annis Euſebij. videlicet, Poſt annos penè trecentos. Diuus Antonius, quum Paulum Eremitam ſepeliiſſet,ipſius tunicam,in ſportarum modum de palmę foliis contextam,ſibi reſeruauit: diebúſque ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes,ſemper Pauli tunicâ veſtitus eſt.
To.1. Hoc Hieronymus in vita Pauli Eremitæ. Bone Deus, Quid hoc eſt,ſi venerari non eſt? Nec Apoſtoli dubito σουδάρια, ἢ σιμικίνθια (de quibus Act.cap.19.) à fidelibus quàm religioſiſſimè cuſtodita fuiſſe. quum tantum virtutis haberent, vt dæmones fugarent,& ægrotantibus ſanitatem redderent.

Néque ſuis Baſilicis,tumulis,& reliquiis Diuos adeſſe præſentes hæſi-

Reliquiæ Sanctorū virtutes multas operātur per inhabitantē ipsis Christum.

hæsita, Christiane auditor. Vbi námque Dominus, illic est & minister eius. Io.12. Dominus autem nullibi non est. Illi sequuntur Agnum, quocúmque ierit. Apocal.14. Quem non implet Agnus locum? Eius omnia plena. Act.cap.17. Cum Gnosticis argutatur, qui propterea nos dicit credere Diuos omnipotentes esse, quòd illos post mortem non credamus absentes à nobis esse.

Defuncti orāt pro Viuis.

Cypriani scribentis ad Cornelium Papam Romanum verba subnectam, quibus defunctos homines pios pro viuis hîc superstitibus orare martyr Christi gloriosus ostendit. Ea sunt in primo Epist. libro. in epistolæ primæ fine. sic habent. — Memores nostri inuicem simus: concordes átque vnanimes vtrobíque pro nobis semper oremus: pressuras & angustias mutuâ charitate releuemus. Et si quis hinc nostrûm prior, diuinæ dignationis celeritate, præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio: pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio. Vident hi, quos malitia non excæcauit, Ecclesiam primam suis in necessitatibus ad aliquem Sanctorū se conuertisse, Hísque fidisse. Néque non magna cum ratione. Iustus enim mortuus cōdemnat impios viuos. Sap. cap. 4. quanto magis orat pro Piis viuis?

Nazianzenus in Epitaphio, quo Basilium defunctum celebrat, in fine sic dicit — καὶ νῦν ὁ μὲν ἐστὶν ἐν οὐρανοῖς. κἀκεῖ τὰς ὑπὲρ ἡμῶν (ὡς οἶμαι) προσφέρων θυσίας: καὶ τοῦ λαοῦ προσευχόμενος. οὐδὲ γὰρ ἀπολιπὼν ἡμᾶς, παντάπασιν ἀπολέλοιπεν. Nunc autē est in cœlis: Ibidem pro nobis (vt arbitror) offerens sacrificia, & orans pro populo. Nos enim relinquens, non omnino reliquit. Antiquius quiddam proferam. Papæ Clementis primi successor Anacletus in tertia, quam scripsisse fertur Episcopis & Sacerdotibus, epistola, De Sanctorum pro nobis orationibus inter alia sic dicit — Assidua pro omnibus apud Deum, Sanctorum effunditur oratio. can. 2. dist. 22. Quem locum Baisius interpretans, mirè theologatur. ipsi paulisper attendite. Non indigna sunt ea scitu.

Exempla, Orationes, Merita, & Scripta Sanctorū nunc in cœlo, nos hic adiuuant in terra.

Sancti, nobis hoc in mundo versantibus (ait) in cœlo quatuor suffragantur modis. Primò, Iuuant nos exemplis. Iacobi cap. 5. Exemplum accipite, Fratres mei, afflictionis & patientiæ, Prophetas. Néque tantummodo patientiæ, sed aliarum similiter virtutū viua sunt exemplaria nobis. Alioqui, si non hâc illi parte prodessent, Paulus tam sæpe non inculcaret, Imitatores mei estote. 1. Corinth. 4. & 11. Et ad Philip. 3. & 1. ad Thessal. 1. & 2. Ad Heb. 6. Sic

Sanctus ipse Sanctorum suos admonebat, Inquiés— Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Io. 13. Iterúmque Timotheum, atque Titum Paulus adhortatur, Exemplum esto Fidelium. Teipsum prabe exemplum. 1. ad Timoth. 4. ad Titum. ca. 1. Certè, si christianè viuere velimus, Sanctorum Patrum nostrorū moribus & exemplis viuere debemus.

Secundò, nos apud Deum suis adiuuant orationibus. Aureas viginti quatuor Seniorum phialas, Aurea quóque Angelorum thuribula repleri voluit Agnus odoramentis (quę sunt orationes Sanctorū) vt super altare aureum, quod est ante thronum, ponerentur Apoc. ca. 5. & 8. Quid hîc Latina, quid Græca senserit Ecclesia nunc audiuistis ex Cypriano, Hieronymo, & Nazianzeno. Basilius item super eâ re vulgatum testimonium proferi ex historia Maccabæorū. Nam de Hieremia Dei propheta dixit Onias, qui fuerat summus Sacerdos, Diuinitus apparens Iudæ Maccabæo— Hic est, qui multùm orat pro populo, & vniuersa Sancta ciuitate. 2. Maccab. cap. vlt.

Tertiò, nos etiam Sancti meritis suis adiuuant. Hos etenim maxima tam sibi, quàm nobis esse tum commeritos fateri debemus, quum vice Christi, Non pro suis facinoribus, sed pro verbi confirmatione torquebantur & occidebantur: & in suo corpore sæua patiebantur pro corpore Christi, quod est Ecclesia. Christi námque passio nō sufficiebat Impiis ad fidem in ipsum Christum firmandā: Nec mirabilia, quæ diuinè patrarat, opera sufficiebant. alioqui, tūc omnes credidissent. quod nō euenit: incredulis enim dicitur— Si mihi non creditis, Operibus credite. Io. 10. Quam ob rem, Simili de caussa patiebantur & Sancti. Non sibi, Sed solis nobis passus est Christus. 1. Pet. 2 Sibi verò, pariter & nobis passi fuêre Sancti. Paulus ideo Colossensibus scribebat in cap. 1. Ea supleo, quæ desunt passionum Christi, in carne mea. id est, pro prædicato vobis Euangelio patior. Ne, scilicet vllâ detineamini incredulitate: Méque vana vobis denunciasse putetis.

Quartò, Sanctorum præterea sentimus hîc auxilium saluti nostræ plusquam necessarium, per eorundem scripturas & libros. Nam, quæcúmque scripta sunt ab illis, ad nostram doctrinam scripta sunt. Quis dubitet igitur quin Sancti nos & exemplis hortentur & confirment, & orationibus adiuuent, & voluminibus

bus suis, per ea, quæ nobis ad memoriam scripta reliquerunt nos instituant & doceant? Origenes Homiliam suam 26. In numerorum. cap. 31. Ita concludit. Ad primũ, postremúmque Gnostici mussant. Media cauillantur. quid hîc agas? Non ideo rogare desinas, quod Ecclesia docet, Auditor Christiane — Adiuuent nos eorum merita, quos propria impediunt scelera. Videas homiliam Chrysostomi. lxvi. ad populum Antiochenum. In homiliæ fine.

Nihil huc opus esset plura congerere, si non & his infœlicibus annis nostris orbem denuo quatere cœpissent εἰκονοκλάσται. Quando verò, primùm, quibusve machinis hoc moliti sint, è re fuerit ostendere. Sed quia de veneratione imaginum quædam sumus adhuc prodituri, hanc inexplicatã vocem non relinquemus.

Imago. Imago dicitur, quæ in aliqua ligni, lapidísue materia pingi vel sculpi solet: Est inanimata rei cuiuspiam repræsentatio. Non est aliud, quàm figura, similitudo, species illius, qui picturâ, vel cœlaturâ est expressus. Imago (inquit Cicero) est formæ cum quadam similitudine, collatio. Græcis, εἰκών. Sed & sciamus. εἰκόνα dici non rarò de animata rei similitudine: quæ & ipsa viuit, aliam viuentem sui similem promens. Ita vulgo nuncupatur Filius patris Imago. Sic à Paulo Christus appellatur, εἰκὼν τοῦ θεοῦ. & χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. 2. Corinth. 4. ad Coloss. cap. 1. ad Hebr. etiam cap. 1 Imago Dei. Character, seu Figura substãtiæ eius. Omnis ne Imago sit Similitudo, Et è contrario, disputat Augustinus libro quæstionum super Deutero. 5. cap. 4. quod modò prætereo: volens, quod ab Origine didici, referre: si modò Ruffinus ista fideliter vertit. Ἐπίκωπτε nescio qualibus martiis inde græca si vacaret extrahere, vbi clauduntur, (è regia, scilicet, Bibliotheca) sanctis ista vacatio mirabiliter prodesset studiis: nec de translationis veritate ambigeretur. At ea, non Episcoporum Regiornm, sed Paulinorum est Episcoporum vacatio.

4. ad Heren. & in 3. de orato. lib.

To. 4.

Origenes (inquam) declarans illud, quod est in Exodi capite. 20. — οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐ δὲ παντὸς ὁμοίωμα. Non facies tibi Idolum, Nec omnem similitudinem. scribit, Aliud esse Idolum, Aliud, Omîoma. Qui existentis alicuius rei, pura, quadrupedis, serpentis, piscis, auis, hominis speciem format, Is similitudinem facit: quæ (videlicet) aliquid existens referat. Qui verò fingit id, quod in rerum natura non est, néque fuit, vt Phœbus radians, Phœbe lucens, & Arcitenens. Iuppiter tonans,

Omioma, siue Similitudo. & Idolũ.

& fulminans. Pluto Rex vmbrarum furuefcens. Mercurius volans. Ianus bifrons. Biformes Satyri. Fauni capripedes. Latrator Anubis:—qui talia facit, non facit Omîoma, id eft, Similitudinem, fed Idolum. facit enim quod non eft, nec habet aliquid fimile fui: Non eft ergo Similitudo. Fictio dicenda eft, quæ, ceu vera foret, hominis artificio repræfentatur oculis. In tota fcriptura nominantur hæc, & in malum femper, Idola. de quibus illud in Pfl. 113. τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν, ἀργύριον, καὶ χρυσίον, ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων. Authoritate deinde Pauli probat Origenes Idolum non aliud effe, quàm figmentum merum, In quo nihil numinis, nihil honoris infit. Apoftolus Corinthiis fcribit. 1. Corinth. cap. 8. οἴδαμεν, ὅτι εἴδωλον οὐδὲν ἐν κόσμῳ. Scimus, quod Idolum nihil eft in mundo. & cap. 10. Quid ergo? dico ne quòd Idolum fit aliquid? Id eft. Idolum eft quid fictum, & ementitum, veritatis nihil habens. Cicero vertit εἴδωλα in Spectra fcribens Cafsio Epift. famili. lib. 15. fub finem libri. Spectrum eft rerum foli animo occurrentium, quibus oculus feriri nequit; Spectrum eft quod fibi quis de nihilo confingit, quum reipfa nihil fit. εἴδωλα vocabant & διανοητικὰς φαντασίας. Icones igitur Sanctorum quis impiè vocarit Idola. Dicitur in ea feptima Synodo οἱ τοὺς σεπτοὺς εἰκόνας εἴδωλα καλοῦντες, ἀνάθεμα. Qui venerandas imagines appellant Idola, Anathema. Sermo nofter iam recurrat ad incœptum. Sprectum.

Perquam vetus eft de Imaginibus, Imaginúmque publicis honoribus traditio. Semper illas Ecclefia recepit: & ipfam verfantis in terra Chrifti formam, quæ vifa fuerat ab hominibus, qualémque fuis auditoribus fuiffe narrabát Apoftoli, pinxit & coluit. Nufquam (dico) locorum nunquámq; Martyrum coronas, Sanctorúmque memorias non celebrauit Ecclefia catholica. Nunquam tamen Satanæ defuit inuidia, conantis omnibus, quibus valet innumeris, artibus, & Chriftum, & Chrifti martyres, átque miniftros, qui (quod ait ille) glorificauerant, & portauerant Deum in corporibus fuis, ab hominum recordatione delere. Sed à quo primùm, quandóve tetra hæc peftis infecerit orbem, non fatis inter authores pro certo fcriptum comperies. Néque planè quos habuerit εἰκονομαχίας duces, illi produnt.

Hieronymus in Vigilantium fcripfit Eunomium huius hærefeos authorem fuiffe: cuius fectatores (vt ait) Apoftolorum, Martyrúmque bafilicas non ingrediebantur: horum memorias átque reliquias horrebant & irridebant. Sed anteriore longè tempore

(si tamen non fallor) hoc venenum profluit. Eunomius iste (ψευδώνυμος certè) adhuc in vita supererat Epiphanij diebus: cuius meminit in fine confutationis Aërianorum, tale nihil dicens. Nec Augustinus etiam de Aëtianis (qui postea sunt Eunomiani vocati, ab hoc Eunomio Aëtij discipulo) scribens ad Quoduultdeũ. Nequaquam tamen dubito sceleratos illos istius impietatis reos extitisse. quippe, qui bonis moribus inimici, non de vitæ castimonia, non de Ieiuniis, non de aliquo alio, quod hominibus, qui ex Deo sunt, ad vitam honestè degendam fuerat ordinatum, curabant. ἢ μόνον πρόχειρος αὐτοῖς ὁ λόγος, δι' ἑνὸς ῥήματος τὸ πᾶν Vt refert Epi-
Gnostici nunquàm non iactarũt VERBUM. phanius, paulò post initium de Anomæis, siue Aëtianis. Id est, Solùm præ manibus, & in promptu est ipsis hic sermo, Per vnum verbum omnia. Sic isto suo contenti nescio quo verbo, reliqua negligebant, & Ecclesiis catholicis de ritibus antiquis calumniam faciebant. qualem nunc & verbisatores Gnostici. Quod ideo retuli, Ne fortè, cum suo verbo, quasi forent isti noui sceleris inuentores, & non mangones potiùs, modò glorientur.

Æuo Hieronymi, quum Iouiuianus, Ecclesiæ Romanæ authoritate damnatus, inter phasides aues (vt ille scriptum reliquit) & Suillas carnes, animam non tam emisisset, quàm eructasset,
Vigilantius. Calaguritanus quidam caupo, nomine Vigilantius, habitans ad Pyrenæi radices, Hiberiæ vicinus, ex vrbe Conuenarũ, cœpit in ecclesias Galliarum uirus hoc euomere. Et quod in Græcia fecerant Aëtius, & Eunomius: in Italia Iouinianus. Id per Galliam conabatur Vigilantius. Omnia Monachorum vota cõdemnans, Cultum quemcumque Sanctorum pro Idololatria ducens, Accensos in honorem Martyrum cereqs cauillans, Transmarinas peregrinationes, ad visenda & honoranda sancta redemptionis nostræ loca, vel aliò quòpiam susceptas, deridens, & eleemosynas, quæ illò mittebantur, inhibens. Auditor Christiane, Viperas hîc agnoscis, quarum progenies vera, germanáque, Gnostici.

Zonaras in historia describens vitam Leonis Isauri, Imperatoris Constantinopolitani, refert ab ista superba bestia, quum decimus ageretur annus Imperij sui, quod per annos quattuor & viginti vexauit, hanc agitatam valde fuisse Theomachiam. De templis enim sacratas Imagines omnes ille sustulit, Earundem venerationem prohibuit, Idololatriam vocans: Reliquias, & ossa Diuorum mari vel igne perdidit: Exilio, bonis, flagris, morte contradicentes mulctauit: In primis, Germanum Constantinopoleos

patriarcham sanctissimum,dum refragaretur, & impiam rabidæ feræ cacodoxiam reprehenderet,ab Ecclesia deiecit,quam.15.rexerat annis: & Anastasium quemdam, sibi consentientem, Patriarcham designauit. Aggressus & idem Romæ facere. cui præsidebat Gregorius secundus: quem, quia dissentiebat impietati, per Exarchum Rauennatem, suósque satellites alios de medio tollere frustra tentauit. Indomabilis & peruicax belua quum θεομαχῶν nō desineret, à Gregorio tertio,qui secundo successerat, anathemati synodico demū supponitur: Anastasius tyrāni patriarcha deponitur: Ictóque tum primùm cum Francis fœdere, non amplius à Romanis Imperator agnoscitur: nec eidem per Italiam vectigalia penduntur. Id accidit circiter annos Domini. 740. & 750. Regnabat in Gallia Pipinus breuis. Impio patri filius successit impiissimus, Constantinus Copronymus. suo certè cognomine dignus: ducto, scilicet, à stercore. Nam, quum baptizaretur, Baptisterium concacauit Hic, præter cætera, μετὰ τῆς πατρικῆς δυσσεβείας, nulli eorū, qui Deo quomdā viuētes placuissent, ne Deiparæ quidem virgini, titulum Sancti voluit attribui: sed execrandus ille simpliciter dici iubebat, Apostolus Petrus, aut Paulus, Martyr Theodorus aut Georgius. & sic in cæteris. Doctrinâ, virtutéque præstantem virum Io. Damascenum, qui sæpiùs istos duos Theomachos per literas arguerat impietatis, à sibi suffragantibus Episcopis anathemate notari, damnatíque procurauit. Hæc Zonaras. In vrbe suæ natiuitatis Damasco tunc Damascenus agebat, sub principe Saraceno. Ab infœlicibus istis duobus Imperatoribus Orientale cœpit Imperium labascere. Constantinopolis à Saracenis & Arabibus obsessa per triennium, & penè capta fuit.

Miserâ Tyrannus vterque, meritáque morte periit. Intestino igne exustus est filius. Tabe, ac dysenteriâ consumptus infœlix pater animam putidam cacauit. Hoc ideo vobis refero, Christiani auditores, vt Iudiciorum Dei reuereamur incomprehensibilem abyssum. Nam vidimus qui nostri Tyrannos aliquot impietatis eiusdem reos, hoc est, Ecclesiarū nostrarum spoliatores, Imaginum violatores & ablatores, Sacerdotum Christi persequutores, igne, tabóque simili confectos, & absumptos. Ita legimus Antiochum, templi Hierosolymitani prophanatorem, átque direptorem periisse. 1. Macca. cap. 6. & 2. Macc. cap. 9. Sic & Herodes, qui Iacobum occidit, Petrum carcere vinxit, à vermibus demum corrosus interiit. acto. Aposto. cap. 12. Itáque Mathathiæ de vno Antiocho vaticinum deprehenditur in omnibus Antiochi

chi mores imitantibus esse verum — Gloriæ finis eorum, Stercus, & Vermis. De rerum Ecclesiasticarum dominio tractans in Aristocratia nostra, tritum vulgi nostri sermone prouerbium dicebam, Crucifixo canis allatrans rabie dirâ morietur.

Zonaras idem recitat vnde rabidus ille tyrannus Leo conceperat eam suam furiosam, de Sanctorum delendis Imaginibus opinionem. Digna modò relatu mihi videtur historia. Quum Iuuenis adhuc in sua maneret Isauria (regio est Pisidiæ & Licaoniæ contermina, latrociniis & barbarie gentis infamis) à Parentibus Conon vocitatus. βάναυσος, id est, ignobilis & sordidus artifex, impostores duo Iudæi, qui se per astra nosse res euenturas profitebantur, eidem prædicunt imperium. Quos velut irridens (nec enim fortuna sua tantam spem patiebatur) ipsis hoc ab eo petentibus promittit, Quicquid tunc ab Imperatore se flagitarent, nõ denegaturum. Tandem potitus Imperio salutatur ab eis, de promissis appellatur. Hos petere iubet, Non (inquiunt) aut diuitias, aut præfecturas ambimus. Hoc vnum solum postulamus, Vt Nazareni, Eiusque genitricis ἐκτυπώματα (id est, Imagines & effigies) vbique tollantur ac deleantur. Id annuit, átque præstitit. Authores Imaginum subuertendarum videmus, sanè magnos & nobiles. Duos (puta) Iudæos, ex Arabia profugos. Alterum βάναυσον. Quartus verò néque Iudæus, néque paganus, néque Christianus, Copronymus: ἀλλ' ἀσεβείας τις κυκεών. vt ait Zonaras. Impietatis colluuio.

L. 9. C. de feriis.

Imagines & memoriæ sanctorum Dei nonnisi ab immemoribus beneficiorum Dei tollũtur.

Nicephorus Callistus, Anastasio Imperante, sub annum Dñ. 500. videlicet, Annis ante nefandum illum Isaurum pluribus quàm ducentis, Imagines à Xenaia quodam scribit euersas fuisse. cap. 28. lib. 16. Euagrius scholasticus in historia sua, lib. 3. cap. 32. Xenæam nominat. Is erat, natione Persa, conditione Seruus: qui Dominum suum fugiens, Antiochiam venit: vbi, nec dum baptizatus, à Petro Cnapheo, hæretico damnatissimo, Presbyter est ordinatus: posteáque factus est Episcopus Hieropolitanus, non procul Antiochiâ. Tyrannus Anastasius, quum malè de Deo sentiret, consentientem sibi Cnapheum fecerat Archiepiscopum Antiochenum. Mihi rursus & hîc attende, qualibus Imaginum Dei cultus oppugnetur hostibus. certè non aliis, quàm vel hoc æuo nostro videlicet, Apostatis, & doctoribus fugitiuis, Barbaris, inhospitalibus, Sanguinariis prædatoribus populis, átque principibus.

Supereſt, vt iſtius Iconomachiæ machinam diſcutiamus, quâ Diuorum putant Imagines funditus euerti poſſe.

Diuinâ lege, Eâque primâ, iterum, tertióque repetitâ, vetatur: Non facias tibi Sculptile, nec ſimilitudinē omnium, quæ in cœlo ſunt deſuper: Et quæ in terra ſunt deorſum: Et quæ verſantur in aquis ſub terra. Non adorabis ea, & non coles. Exodi cap. 20. Deutero. cap. 4. &. 5, Rurſúmque Leuit. cap. 26. Non facietis vobis Idolum, & Sculptile: nec Titulos erigetis: nec inſignem Lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum. Breuiter, Idolorum nomine, cum ſtatuis Satanicis, Imagines Dei, Sanctorúmque Dei miniſtrorum vocant: omnéſque ſacræ ſcripturæ ſententias de Idolis, contra venerandas Imagines adducunt. Quæ Gnoſtici non dubitant à ſanctis olim patribus lecta quidem, relectáque fuiſſe: verùm non intellecta putant. Alioqui nobis obiicere tam trita, támque omnibus obuia, non auderent.

Acutos iſtos lubenter ipſe rogarem, Nunquid omnem pingendi, ſculpendi, fundendi, ſimilémve artem ſuſtulit illâ ſuâ lege Deus? Et non ſuſtuliſſe, néque prohibuiſſe, ſatis illi ſciunt. Picturámque tum vetitam fuiſſe non autumāt. Effigies enim ſuas iconicè pingi, paſsímque circunferri curant: quas ſui Diſcipuli, Diſcipulæque inuicem coëuntes, oſculis & ſalutationibus tantùm non adorant.

Itáque Zographiam Deus non prohibuit: quum poſt Legem latam voluerit ex auro ſolido, & opere ſtatuario fieri duos Cherubim, id eſt, Duorum quaſi puerorum ſimilitudines (id enim vox Hebræa ſignificat) non in quouis tabernaculi loco, ſed ſuper ipſo Propitiatorio, vnde reſponſa reddebat, locandos. Exodi. 25. Poſt legem quóque delegit Beſeleel, & Ooliab, quibus omnem dedit ſapientiam, ſcientiam, & intelligentiam ad excogitandum & faciendum opus in auro, in argento, & ære, Sculpendíſque lapidibus, & opere carpentario: & quicquid fabrè adinueniri poteſt, dedit in corde eorum. Exodi. 31. 35. 36. Poſt Legem pariter Æneum ſerpentem fieri iuſsit, quem Moſes pro ſigno ſtatueret in ſublimi. Numer. 21. Accedat quòd Æneo mari (ſic ingens quoddam vas ad lotiones in templo vocarunt) Salomon fuſiles duodecim boues ſuppoſuit: & inſuper omnes ipſius templi parietes per circuitum ſculpſit variis cęlaturis, & torno: Et fecit in eis Cherubim (inſtar habebant adoleſcentulorū, ſicuti dixi) & palmas, &

pi-

picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes. 3. Reg. cap. 6. &. 2. Paralip. cap. 4. Vides similitudines, & eorum, quæ sunt in terra, & eorum, quæ sunt in cœlo, fabrefactas, ipso etiam mandante Deo: sed non eo fine, quem Lex cōdemnat, Vt adoretis ea. οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς, οὐδὲ μὴ λατρεύσεις. d. cap. 20. Non adorabis ea, Néque seruies eis.

Homines ab Hominibus adorati.

Sed & hîc adhuc est operæprecium scire, quòd in scriptura multæ legūtur & Animatarū, & Animâ carentium rerum adorationes, non coram Domino tamē factæ, quæ nō reprehenduntur. Areuma Iebusæus, quum vidisset Dauid ad se venientem, egressus adorauit regem prono vultu in terram. 2. Reg. cap. vlt. &. 3. Reg. cap. 1. Bersabee adorauit Regem Dauid. & Adonias adorauit Regem Salomonē. Sic Abraham adorauit populum Hethæorū. Genes. 23. Iacob adorauit fratrē suum Esau. Genes. 33. Fratres Ioseph adorauerunt eum proni in terram. Gen. 42. &. 43. Moses adorauit socerum suum Iethro Exod. cap. 18. In sacris tria passim comperies Hominum Homines adorantium exempla. quibus omnibus in locis vtuntur Septuaginta verbo προσκυνεῖν. quod vbique vertitur in Adorandi verbum. Recentiores Romanorum Imperatores (à Valentiniano, puta, secundo an. 380.) Monarchas & Reges duntaxat Adorari, Magistratus alios, & administratores Salutari dixerūt. quod Accursius obseruauit, in l. 1. de Silētiariis. lib. 12. C. Certè, προσκύνησις amplius aliquid habere videtur, quàm Ἀσπασμός. Adoratio, quàm Salutatio. Nō solos tamen Reges atq; Principes adorari deprehendimus in. 2. Reg. cap. 18. χουσὶ προσεκύνησε τῷ Ἰωάβ. Chusi adorauit Ioab. & Danielis cap. 2. Nabuchodonosor προσεκύνησε τῷ Δανιήλ Res quoq; inanimatas adorari videmus, ad Hebr. cap. xi. Iacob moriens, quum filiis filij sui Ioseph benedixisset, Insuper & adorauit Fastigium virgæ ipsius Ioseph. προσεκύνησεν. Loquutio frequens. In qua non aliud est Adorare, quàm quod vulgò dicimus, Reuerentiam facere. Dum capitis nudatione, genuū flexione, ceruicis inclinatione, manus exosculatione (Iob. 31.) cuipiam deferimus honorem.

Vsu tamen Ecclesiæ longo factum fuit, Vt ad solam religionem, cultúmque diuinum referatur Adoratio. Nec homines iam dicuntur adorari, quantumuis demissè ad ipsos adeamus. Theodosius Iunior de cuius, & sororis eius Pulcheriæ pietate scribunt- Socrates cap. 22. lib. 7. & Sozomenus cap. 1. lib. 9.) pri-

L. 2. de statuis & Imagi. C. mus Imperatorum Christianorum (quod equidem meminerim) latâ lege, anno. Do. 432. Statuas & Imagines suas, & se consequenter, vetuit adorari. Quum prius etiam thura Principum simulachris adolerentur. Sed hîc paululum subsistam.

προσκυνήσεις istas nulli hominum Tertullianus exhiberi voluit. Idololatriam vocauit in libro suo de Idololatria, Quicquid (ait) vltra humani honoris modum, ad instar diuinæ sublimitatis, extollitur, Idololatria est. Obsequium quidem & officium Regibus debemus, ex Apostoli præcepto: sed intra limites disciplinæ: quoúsque, videlicet, ab Idololatria separemur. Hæc Tertullianus. Trium deinde fratrum nobis exemplum proponit, Hominum Regi suo deditissimorum & obsequentissimorum (quippe, quos ille constituerat super opera regionis Babyloniæ) maluerunt ipsi tamen in ardentem fornacem mitti, quàm Nabuchodonosoris adorare statuam: quod fieri Rex ipse præsens iubebat. Daniel. cap. 3. Quin ipse Daniel in aulico Darij ministerio primus (regni námque rationibus præerat) in lacum leonum coniectus est, quòd pro Deo Darium rogare noluisset. Danie. 6. Hoc vtinam Christianis saltem potentatibus, ac rerum dominis persuasum foret: nec sese extollerent illi supra omne, quod dicitur Deus, & quod colitur. 2. Thessa. cap. 2. In templis ipsimet Deum non sic humiliter adorant, vt se salutari volunt, átque vident. Néque Salutatores etiam Deo tam reuerenter supplicant. ô pecus occisionis? ô pastores stultos, & Idola? quæ vocat Zacharias. cap. xi. Non Adoratores, sed Adulatores partium mundi vocat Augustinus eos, qui se tam demisse & abiectè prosternunt hominibus. De vera religione. cap. vlt. To. 1.

Eo corporis habitu, quo supplicatur Deo, posse quóque citra reprehensionem Regi supplicari, non dubito, sed non eadem mente fieri debet. propterea non dicitur Adoratio. In omni siquidem Adoratione, in omni Salutatione spectatur adorantis mens & intentio. Quisquis adorat, Honorat. Non autem adorat omnis, qui honorat. Nam & fratres, secundum Apostolum, inuicem se honore præueniunt, Nec tamen inuicem adorant, Hoc ab Augustino sumpsi. libro vnico contra sermonem Arianorum. cap. 23. To. 6.

More gentilium, Quicquid supra nos est, quicquid seruat nos

aut benefacit nobis, aut ad vitæ commoditatem aliquid attulit, is est Deus. A pastore quodam propter ocium concessum, & suos sibi seruatos greges, canitur, Námque erit ille mihi semper Deus. & quæ sequuntur. Alius quidam dixit, Deus est Homini, Hominem iuuare. Qui sic Regi supplicat, & eò cum rustico pastore spem suam dirigit, is errat. & idololatra est. Et Rex est eius idolum. Dicam planè imperatorem Dominum, sed more communi, sed quando non cogor, vt Dominum, Dei vice, dicam. Sic idem Tertullianus in Apologetico. cap. 34. si modò liber ille diuisus est in capita. Iam quod cœperamus.

Adoratio nobis est, quod σέβασμα, seu σέβας est Græcis. τιμὴ (quod ait Suidas) Honor est, sed non simplex est Honor iste: verùm, μετὰ ἐκπλήξεως. id est, cum timore, cum admiratione quadam: sicuti veneramur eas res, in quibus numen aliquod, & diuinum quiddam credimus inesse, plenas miraculi σεβάσματα Lucas Euangelista sic accepit Actor. cap. 17. Ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν. Contemplans cultus, quos Diis vestris exhibetis. Antiquus interpres vertit in Simulachra vestra. dicto iam cap. ad Thessal. 2. melius transtulerat σέβασμα, Quod colitur. Ergo, nobis Adorare, σέβειν autem Græcis, est τὰ θεῖα σέβειν. hoc est, Diuina colere. Ad solam pertinet hoc religionem. Huiusce autem cultus, & Adorationis modi duo distingui solent. —

Adoratio Latriæ soli Deo debita.

Adoratio quædam est, cui Seruitus illa summa connexa est, quæ λατρεία Græco vocabulo nuncupatur. quâ tantummodò seruitur Deo: De qua Matt. & Lucæ cap. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Augustinus Epist. To. 2. & 49. in quæsti. 3. & Epist. 66. Item libro. 15. contra Faustum Mani- 6. chæum cap. 9. Et contra Sermonem Arianorum cap. 20. Et contra Maximum Arianorum Episcopum libr. 3. cap. 23. prædicta sic interpretatur. Hæc Adoratio Latriæ plus quàm προσκύνησις est; quæ demissi capitis, & externo proni corporis gestu fit. Insuper enim consistit in ea dilectione, de qua Matth. cap. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Consistit & in Sacrificij oblatione. Sacrificium verò Christianorum est Corpus Christi. vt ait Augustin. d. cap. 10. De ciuitate Dei. Martyres & Sanctos non ita colimus, nec adoramus. Vide ne feceris. Hoc ipsi prohibent. Se, nostros, & omnium habentium testimonium Iesu, conseruos nominant: átque

Non Sanctis, at Soli Deo sacrificamus.

mandant - τῷ θεῷ προσκύνησον. acto. Apoſt. cap. 14. Apocalyp. cap. 19. Martyribus templa non fabricamus: Altaria non erigimus: Non ſacrificamus: ſed vni tam noſtro, quàm Martyrum Deo, Martyres honoramus (ait Auguſtinus vlt. cap. libri De vera religione) Charitate, non Seruitute. Nolunt enim ſe ſic à nobis honorari. Non ſacrificamus Martyribus (ait idem) ſed Deo ſoli ſacrificamus in Memoriis (hoc eſt in templis) Martyrum. quod frequentiſſimè facimus, Illo duntaxat ritu, quo ſibi ſacrificari noui teſtamenti manifeſtatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum, quæ Latria dicitur, & vni Deo debetur. in cap. 21. libri viceſimi contra Fauſtum Manichæum. To. 6. Præſidi quidam ſuggeſſerant interempti Polycarpi corpus omnino perdendum, Ne Chriſtiani, τοῦτον ἄρξωνται σέβειν. hoc inciperent Diuino cultu proſequi, & adorare, deſerto Chriſto. πολλῶν, videlicet, ἐπιθυμούντων κοινωνῆσαι αὐτοῦ τῷ ἁγίῳ σαρκίῳ. Multis cupientibus participes eſſe ipſius ſanctæ carunculæ, ſiue corpuſculi. Sed Eccleſia Dei, quæ Smyrnam incolebat, his aduerſariorum calumniis reſpondit. οὐ ποτὲ χριστὸν καταλιπεῖν δυνάμεθα, οὔτε ἕτερόν τινα σέβειν. τοῦτον, μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ, προσκυνοῦμεν. μάρτυρας, ὡς μαθητὰς, καὶ μιμητὰς τοῦ κυρίου, ἀγαπῶμεν ἀξίως. id eſt, Nullo modo Chriſtum relinquere poſſumus: Nec alterū quempiam tanquam Deum venerari. Hunc autem exiſtentem filium Dei adoramus. Martyres verò, vt diſcipulos & imitatores Domini, prout dignum eſt, amamus. apud Euſebium paulò antè citato cap. 15. Hôc quidem ſenſu ſcripſit Auguſtinus, Charitate, nō ſeruitute Sanctos honorandos eſſe. παρὰ τοῦ δέοντος οὐ χρὴ τιμᾶν τοὺς ἁγίους: ἀλλὰ τιμᾶν τὸν αὐτῶν δεσπότην. Scribit hoc Epiphanius in Antidicomarianitas. Supra quàm deceat, non oportet honorare ſanctos: Sed honorare ipſum Dominum. Non enim ſunt ipſi, Dii: ſed Homines Dei nominantur à nobis. Ipſorum memorias & reliquias veneramur & honoramus, vt eum, cuius ſunt Martyres adoremus. Ἡ πρὸς τοὺς ἀγαθοὺς τῶν ὁμοδούλων τιμὴ ἀπόδειξιν ἔχει τῆς πρὸς τὸν κοινὸν δεσπότην εὐνοίας. ait Baſilius Magnus, de quadraginta Martyribus concionans. id eſt, Erga bonos honor conſeruorum, Beneuolentiæ demonſtrationem habet erga communem Dominum. Néque propterea Chriſto quicquam detrahitur: Sed honor eſt Chriſti: qui dixit, Quicquid vni meorum feciſtis, mihi feciſtis. Matth. 25. Quæſo vos, Auditores Chriſtiani, Quos Pater honorificat (Ioan. 12) nunquid & eos honorare debemus? Amici Dei ſunt, ergo nimis honorati eſſe debent. λίαν ἐτιμήθησαν. Pſal. 138. pluribus rem tractant, Hierony. ad Riparium. & in Vigilantium. Auguſtin. in dicto cap. 10. Aliíque doctores Eccleſiæ Catholicæ perquam

quam multi, Veteres, & Noui.

Altera quædam est Adoratio pariter cum submissione, & humiliatione magna. quô se modô quandoq; homo submittit Homini, aliquid in alio venerans, & admirans, virtutem, potentiam, gloriam, vitæ sanctimoniam. Seruus hoc in Domino facit, Debilior in potentiore, Minor in maiore. Seruitus hîc inest etiam, verùm, qualem mortalis mortali, creatura creaturæ debet. Augustinus explicans Exodi.23. caput, in cuius fine dicitur, Non inhabitabunt gentes in terra tua, Ne fortè peccare te faciant, si seruieris Diis eorum. sic ait, Græcus hîc δουλεύσῃς habet, non λατρεύσῃς. Vnde intelligitur, quia δουλεία debetur Deo, tanquam Domino. λατρεία verò non nisi Deo, tanquam Deo. Hęc ille, secundo Quæstionum super Exodum libro. cap. 94. To.4.

Dulia Martyribus, & Sanctis est debita

Sciamus, Auditores Christiani, quòd in Apostolicis omnibus literis, vbicúmque Latriâ legitur, aut verbum Latreuo, Summus ille Dei cultus intelligitur, qui soli summæ trinitati debetur, & à Piis exhibetur. Antiquus interpres λατρείαν conuertere solet in Obsequium. Io. cap. 16. ἔρχεται ὥρα, ἵνα πᾶς ὁ ἀποκτείνας ὑμᾶς, δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ. Veniet hora, vt quisquis interficiet vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Ad Ro. 12. Rationable obsequium vocauit τὴν λογικὴν λατρείαν. Non quoduis intelligas obsequium, vel officium veniens ab homine: Sed illud tantummodo, quod cum Dei timore, cum fiducia, cum nominis eius inuocatione, & confessione spiritualiter ab homine præstatur ipsi Deo. Sic idem λατρεύω transferre solet in Seruio, & Deseruio. Quodcúmque seruitium non accipias: illud solummodo, quod alicui, tanquam Deo, impenditur. Aliter enim Deo seruimus: & aliter hominibus. Id explacare volens interpres, vnum per duo reddidit, ad Rom. cap. 1. ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα. Coluerunt & seruierunt creaturæ, potius quàm creatori. Nec aliâs semel. Vbi seruire non est simpliciter, quum quis alteri. velut amico, dominóve suo ministerium præbet: quod Græcis est δουλεύειν. Nec enim Paulus istud arguit: qui Leges Seruis dedit Ephes. 6. δοῦλοι ὑπακούετε τοῖς κυρίοις. qui monuit, διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. ad Galat. cap. 5. per charitatē seruite vobis inuicem. Hæc ea seruitus est, quæ nominatur ab Augustino, Dulia. quâ gloriosis Dei sanctis homines pij seruiunt: Ipsos, (nō tamen vt Deos) & orant, & adorant, & in auxilium suum vocant. can. Venerabiles imagines. de consecr. dist. 3. qui de dicta septima synodo fuit exceptus.

Latria.

Hugo, ſanè conuenienter, hîc laborat. Nam Diuus Gregorius, inter alia, ſcribit Sereno Maſſilienſi (ſuprà meminimus) Quòd imagines adorari vetueris, Laudamus. Septimæ verò Synodi Patres aiunt, Christiani venerantur & adorant imagines. In omnibus eſt pietas, & recta fides. Quod Auguſtinum ſectatus Hugo ſic oſtendit: & ibidem, quæ contraria videntur, diſtinctione conciliat Inquiens. — Aliud eſt, Imagines adorare Latrîa. quod illic prohibetur. Aliud, Duliâ. quod hîc permittitur. Duæ ſunt ſiquidem ſpecies Adorationis, ſiue Seruitutis. videlicet. Latrîa, & Dulia. Latrîa eſt ſeruitus ſiue cultus ſoli Deo debitus. Dulia eſt ſeruitus quæ debetur & creaturæ. Adoramus ergo Deum, in eum credendo, Super omnia diligendo, Illi ſacrificia offerendo, & ei reuerentiam prę omnibus exhibendo. Sed adoramus Imagines, ipſis reuerentiam duntaxat exhibendo. Non autem in eas credendo, vel ſuper omnia diligendo, vel Sacrificia impendendo. Hoc enim eſſet Idololatriam exercere. Ferrarienſis ita rem digerit. quem gloſſographus Brixienſis, & omnes è ſchola ſcriptores inſequuntur.

d. Can. Perlatū. d. Can. Venerabiles.

Itáque nobis Anthropolatria vetatur: Antropodulia minimè. Qualis non ipſis tantùm viuis inter nos hominibus, aut iam cum Chriſto ſanctis viuentibus exhibetur: ſed eorum quóque figuris & Imaginibus, ob immortalitatis memoriam per poſteros conſecratis. Quandoquidem ſingularis maiorum noſtrorum pietas átque religio, Martyrum Chriſti, Sanctorúmq; virorum memoriæ publicæ retinendæ cauſſâ, Non annales duntaxat, & hiſtorias deſcripſit, verumetiam proponendas eorum ſtatuas & Imagines putauit, quorum memorabilis & diuina virtus lucem attulerat Eccleſiæ. talibúſque monumentis defunctorum memoriam conſecrauit. Et inuiſibilia nobis per viſibilia demonſtrauit. Vt Secundino Seruo Dei incluſo Gregorius reſcribit in fine Epiſt. 53. lib. 7.

Non poteſt non eſſe verum, quod fuit ab ipſa veritate prædictum. Pſal. 111. In memoria æterna erit Iuſtus. hoc eſt, perpetuâ in orę hominum celebritate vigebit. ob proprias, ſcilicet, virtutes. Nec tantùm viuens erit in memoria, ſed etiam poſt mortem inter pios & electos encomium habebit. Atqui nulla rei maior poteſt haberi memoria, quàm dum nobis abſentis effigies & forma proponitur, oculíſque ſubijcitur: Quam vel honoramus, ſi quid honore dignum referat: vel horremus, ſi deforme aliquid & horridum

Non imaginē, Sed Imaginis repræſentatione veneramur.

ridum repræſentet: non ligni quidem, lapidíſue naturam, ſeu ſubſtantiam, ſed eam rem, cuius eſt ſimilis. Vt hominis improbi vel dæmonis imagine cōſpectâ, naturaliter oculos auertimus, & execramur: Ita venerabilis alicuius hominis imaginem naturaliter quóque veneramur: Non colores, vel tabulam, ſed exemplar ad quod illa facta eſt. Néque ligno caput aperimus, aut lapidi genu flectimus, ſed rei quam per lignum contemplamur. Atque ita per recordationem, venimus ad execrationem, aut venerationem crimen: deteſtantes, vel gloriam prædicantes eorum, quorum nomen, & appellationem gerunt Imagines. Non ſecus, átque ſi res eorundem geſtas, & verbis expreſſas legeremus, vel audiremus. Nam concioni, ſiue ſermoni de vita Sanctorum comparatur ipſorum pictura Sanctorum. Pictura, pariter vt Sermonis, ita Scripturæ vicem tenet. Vtriúſque nomen idem Græcum. γραφὴ, ſeu γραφικὴ. Tam quod eſt in pariete pictum, quàm quod eſt in codice ſcriptum, legi dicitur vtrúmque. Gregorius hoc habet in epiſtolis ſuprà citatis. Et Baſilius antea ſcripſerat initio ſermonis nunc allegati, de quadraginta Martyribus. ἃ γὰρ ὁ λόγος τῆς ἱστορίας διὰ τῆς ἀκοῆς παρίστησι, ταῦτα γραφικὴ σιωπῶσα διὰ μιμήσεως δείκνυσι. id eſt, Quæ enim Hiſtoriæ ſermo per auditum repræſentat, Eadem, Pictura muta per imitationem demonſtrat. Audiens Chriſtum, Chriſti crucem, Mariam, Ioannem, Petrum nominari, non offendor (néque, puto, Gnoſticus) imò protinus memoria me ſubit eorum, cum tacita quadam nominatorum veneratione: ſed & caput ipſi demittimus, ac frequenter aperimus. Aliter non afficior ipſorum videns imagines, quàm ſi nomen audiam. Non queo ſatis admirari, quomodo ſint oculi Gnoſticorum delicatiores, quàm ſint aures. Scriptam Chriſti crucem aſſiduè legunt, ac ſe venerari fatentur. Et pictam videre non volunt, ſed abominantur. Cur hoc illi faciant, non intelligo: niſi quia libet eſſe gratis Hæreticos.

Honor igitur in recordationem Prototyporum decretus eſt Imaginibus. Ioſephus in fine libri. 11. Antiq. Iudai. ſcribit Alexandrum Macedonem, iam totius Aſiæ, Græciæ, Syrięque victorem, quum Hieroſolyma veniſſet, extrema Iudæis minitans, Iaddum (ſiue Ioada, vt Hieronymus appellat) ſummum Iudæorum Pontificem, obuiam ſibi procedentem, Thiarâ, cæteríſque Pontificiis inſignibus ornatum, viſum mox adoraſſe: Mirantibus autem ſuis, quum ipſe ab omnibus adoraretur, quid ita nunc hominem Iu-

dæum pronus adoraret, Se non adorasse Pontificē respondit: Sed se Deo, cuius ille Pontificatum gerebat, eum honorem exhibuisse. Qui quidem Deus, sibi adhuc in Macedonia moranti, eo ipso habitu, apparuerat. Sic & Nabuchodonosor (de quo superiùs) adorans Danielem, non hunc, sed Danielis adorasse Deum, qui mysteria reuelauerat, existimare licet. Mihi quóq; Iacob adorans Sceptrum filij sui Ioseph, in eo Christi crucem adorasse videtur. Ioseph enim proditus à Fratribus, & factus in Ægypto vinctorum seruus, postea verò dominans omnibus, Christi planè figuram gerebat: cuius ῥάβδος átque Sceptrum fuit ipsa Crux. Iosue pronus in terram cadens adorauit Angelum. Ios cap. 5. & Gedeon obtulit Angelo sacrificium Iudi. cap. 6 Hîc in Angelo Deus adorabatur, Deóque sacrificabatur.

Hunc verò, qui præstatur Imaginibus, & Sanctis honorem, seu voces Cultum, seu Adorationem, seu Venerationem, seu Salutationē, non laboro (Nec enim decet in nominibus esse morosum) modò Latriam sciamus excludi: quâ Deum solum Fide, Spe, Sūmâ dilectione colimus, & adoramus.

Imaginem autem colentes, intelligamus nos adorare argumentum in ea descriptum, non aliquid manufactum. Nec enim Fictum, Pictum, Sculptum quid adorari debet. Ea de caussâ, Rex Ezechias, quum sustulisset excelsa, Statuas cōtriuisset, Lucos succendisset, Æneum prætereà serpentē, quem fecerat Moyses, confregit: si quidem úsque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum. 4. Reg. cap. 18. Æneus ille Serpens, signum quidem salutis erat: ad quod qui conuertebatur, non per hoc, quod videbatur, sanabatur: sed per te omnium saluatorem. Sap. cap. 16. Magna igitur erant in culpa Iudæi, qui Dei virtutem ære tribuebant æri. Summopere cauendum, Ne populus in adoratione Picturæ peccet: Ne Lapides & ligna colat. quod ad Chrysantum Spoleranum Episcopum scribit Gregorius Epist. 2. lib 7. Imagines enim tollere præstaret, ipsius etiā Christi, quod Epiphanius apud Hieronymum scribens ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, se fecisse fatetur in fi. Epist. Domino dilectissimo. To. 2. Is idem vehementer arguit Arabas nonnullos, à superstitiosis quibusdam mulieribus deceptos, qui Sanctam semper virginem Mariam, ἀντὶ θεοῦ παρεισάγειν conabantur: In ipsius nomen sacra celebrabant: hanc adorabant. Et subdit ἐν τιμῇ ἔστω Μαρία. ὁ δὲ πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα προσκυνείσθω. τὴν Μαρίαν μηδεὶς προσκυνείτω. οὐ προσέτακται τὸ μυστήριον

ἐν τιμῇ ἔστω ἡ Μαρία. id est, In honore sit Maria. Pater autem, & Filius, & Spiritus sanctus adoretur. Mariam nemo sic adoret. Deo tribuitur, & destinatum est hoc mysterium. Maria verò non est Deus. Hæc ille κατὰ Ἀντιδικομαριανιτῶν, & κατὰ Κολλυριδιανῶν. Serenus Massiliensis (de quo superiùs) apud Gregorium se simili defendebat excusatione. Se, videlicet, Imagines fregisse, ne adorarentur. Quòd adorari vetueris, omnino laudamus (ait Gregorius) quòd inconsiderato Zelo fregeris, omnino reprehendimus. Vt etiam reprehendebatur Epiphanius ab Ecclesię Presbyteris. aliud ideo velum misit, Excusans factum suum. Suæ pariter impietati prætexunt & hoc Gnostici. Burchardus Wormaciensis in tertio decretorum suorum libro, agens de Ecclesiis. cap. 35. ex nescio cuius Elibertani concilij Canone primo refert id, quod sequitur.

Placuit picturas in Ecclesia fieri non debere. Ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.

Eliberinum concilium (quod etiam Gratianus Elibertanum vocat) habitum paulò pòst Nicænum, continet vnum & octoginta Canones: In quorum nullo comperies id, quod à Burchardo citatur. Illorum tamen Patrum, quicúmque fuêre, decretum referas ad Signi, non ad Signati, adorationem. sicut ipsius etiam dicti cap. 35. verba demonstrant.

Illa citata Synodus septima valde prolixa est, nec non disputationum plena. quæ tamen peruulgatis duobus versiculis in summam tota breuiter colligi sic solet.

En. Deus est, quod Imago docet: Sed non Deus ipsa.
Hanc videas. Sed mente colas, quod cernis in illa.

Circunferuntur in doctorum nostrorum commentariis & alij duo non diuersi.

Effigiem Christi, quum transis, pronus honora,
Non tamen Effigiem, Sed quem designat, Adora.

Populus igitur à Parochis & Pastoribus suis, omni cum diligentia monendus est, Aliud esse, Picturam adorare: & aliud, Per picturę historiam, quid sit adorandum, cognoscere. Imaginum cultus, ac Sanctorum venerationis hic esto terminus, & finis: Ab Idololatria valde quàm remotus. Idololatres enim nullus habetur in archetypo. Tertullianus hoc astruit in fine lib. de Idololatria.

De nonnullis adhuc monitos volo vos, Auditores Christiani.
Icon. Recepit εἰκόνας in templis Ecclesia: Reiecit ἀγάλματα. Quum res
Agalma. ábsq; fictione repræsentatur, vbi nihil est adumbratū, nihil emétitū, nominatur Icon. Sed Agalma fit ad oblectamétū, quód oculos pascat. καὶ πᾶν ἐφ᾽ ᾧ τις ἀγάλλεται. vt ait Suidas. Omne id, ex quo quis exultat & deliciatur, eò quòd accuratè pictum fuerit. qualia Polycletus, Phidias, Appelles effingebāt: ἀγαλματοποιοὶ propterea vulgò nuncupati. Agalmata sunt inanes & Lasciuæ picturæ. De quibus accipe Sapientis Hebræi dictum. Sap. cap. 15. scribentis, Hominū malæ artis excogitatio est adumbratio picturæ, Labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, cuius aspectus dat insensato cōcupiscentiā, quum diligit imaginis mortuæ speciem. Certè, Hæc statui nō debent in Basilicis nostris. Nam, quum templum sit Domus orationis, in templo nihil pingi, nihil fingi oportet, quod orantis mentem ad Deum nō eleuet. Nec hominum frugalissimorum, pudicissimorum, moderatissimorū decet imagines vestibus impudicis, mollibus sericis, Phrygianis, amictu plúsquam regio, formari. Quas (induere non dico) sed in aliis nullis Christianis, ostentationis átq; nitoris gratiâ, videre tulissent ipsi viuētes. Hoc addisces è Basilio cap. 22. Asceticorum. Tales Imaginum lasciuias non in templis tantūmodo, sed in priuatis etiam domibus reprobauit Oecumenica sancta Synodus sexta, Excōmunicatione puniens contrauenientes. Canone suo centesimo primo. qué referre non pigebit. —— οἱ ὀφθαλμοί σου ὀρθὰ βλεπέτωσαν, καὶ πάσῃ φυλακῇ τήρει σὴν
Prouer. cap. 4. καρδίαν ἡ σοφία διακελεύεται. ῥᾳδίως γὰρ τὰ ἑαυτῶν ἐπὶ τὴν ψυχὴν αἱ τοῦ σώματος αἰσθήσεις εἰσκρίνουσιν. τὰς οὖν τὴν ὅρασιν καταγοητευούσας γραφὰς, εἴτε ἐν πίναξιν, εἴτε ἄλλως πῶς ἀνατιθεμένας, καὶ τὸν νοῦν διαφθειρούσας, καὶ κινούσας πρὸς τὰς τῶν αἰσχρῶν ἡδονῶν ὑπεκκαύσεις, οὐδαμῶς ἀπὸ τοῦ νῦν οἱῳδήποτε τρόπῳ προστάσσομεν ἐγχαράττεσθαι. εἰ δέ τις τοῦτο πράττειν ἐπιχειρήσοι, ἀφοριζέσθω. Id est, Oculi tui recta videant: & omni custodiâ serua cor tuum. Sapientia monet. Nam corporis sensus, ea quæ sua sunt, in animā leuiter ingredi faciunt. Igitur, Picturas voluptariâ quâdam, nec intellectā titillatione intuentem decipientes, siue in tabulis, siue alio quocúmque modo, suspensas & fixas, & animū corrumpentes, & in ardorem turpium voluptatū commouentes, in posterum nullo modo pingi, sculpi, incidi constituimus. Si quis hoc facere tentet, Ab Ecclesiæ cōmunione separetur. Obscœnum est, quod Plin. cap. 5. li. 36. recitat de statua Veneris in insula Gnido, quàm Praxiteles efformarat: sed quia facit ad sensum canonis, audire vos nō pudebit. Eius amore signi captum quendam ferunt in ædicula noctu delituisse, simulachróque cohæsisse: & cupiditatis indicem mansisse maculam.

Sa-

Sapiens ille videtur & hoc attigisse. dicto cap.15.

Infames igitur,& voluptuosæ picturæ nullo debent in Christianorum loco videri. qualibus tamen nunc (ô vitam nostram parum Christianam?) Principum, Priuatorúmque putant hortos & ædes ornari. Ne templis quidem nostris ab hac turpitudine liberis. Quódque detestabilius est, in ipsis figurandis Imaginibus Diuorum, Lasciuire non verentur Pictores: Vt in sacetrima θεοτόκῳ virgine pingenda, In lugente, vel pœnitente Magdalena, Sanctísque cæteris mulieribus, aut uirginibus efformandis. Et, quod omnibus est execrabilius blasphemiis, Ineffabile cœnæ Dominicæ mysterium graphide plerúmque sic redditur, vt ab Asotorum symposio (proh inexpiabile nefas?) distare non videatur. Impurus & audax Graphæus à Christianorum societate venit expellendus, œcumenico iubente concilio. Tum cœpit immunda Pictorum manus Ecclesias polluere, quum cœpit Ecclesia pro Episcopis Paulinis Aposcopos Regios habere. Si fortè quis ad rem pertinere putet, Plato de legib. dialogo.12. docens, quæ Diis offerenda sint, In suorum Deorum fanis alias noluit offerri Picturas, quàm quas singulas vno die pictor vnus depinxit.

Sed & Ζωωτά, siue Ζωδιωτά (id est, Tapetia, quæ nominat in Pseudolo Plautus Beluata, Scilicet, intextos animalium figuris amictus, depictósve parietes) in templis non probarim. Lubens hominis equo insidentis effigiem non aspicio, quæ primum nostris in aris occupet locum. Referam quóque vobis, quid illius Sextæ Synodi patres ea de re sanxerint, Anni præteriêre ferè nongenti: Prolixus est canon 83. in æditione Parisiensi. Zonaræ.82. Quem Latinè pontifex Romanus Adrianus primus, rescribens Tharasio patriarchæ Constantinopo. centum post annos à dicta Sexta synodo, breuius retulit. vt habes in Gratiani decretis Græcè est. — Ἔν τισι τῶν σεπτῶν εἰκόνων γραφαῖς, ἀμνὸς δακτύλῳ τοῦ προδρόμου δεικνύμενος ἐγχαράττεται· ὃς εἰς τύπον παρελήφθη τῆς χάριτος, τὸν ἀληθινὸν ἡμῖν διὰ νόμου προϋποφαίνων ἀμνὸν, Χριστὸν, τὸν θεὸν ἡμῶν. τοὺς οὖν παλαιοὺς τύπους, καὶ τὰς σκιὰς, ὡς τῆς ἀληθείας σύμβολά τε, καὶ προχαράγματα τῇ ἐκκλησίᾳ παραδεδομένους κατασπαζόμενοι, τὴν χάριν προτιμῶμεν· καὶ τὴν ἀλήθειαν, ὡς πλήρωμα νόμου, ταύτην ὑποδεξάμενοι. ὡσὰν οὖν τὸ τέλειον, κἂν ταῖς χρωματουργίαις ἐν ταῖς ἁπάντων ὄψεσιν ὑπογράφηται, τὸν τοῦ αἴροντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἀμνοῦ, Χριστοῦ, τοῦ θεοῦ ἡμῶν, κατὰ τὸν ἀνθρώπινον χαρακτῆρα· καὶ ἐν ταῖς εἰκόσιν ἀπὸ τοῦ νῦν, ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ ἀμνοῦ ἀναστηλοῦσθαι, ὁρίζομεν· δι' αὐτοῦ τὸ τῆς ταπεινώσεως τοῦ θεοῦ λόγου κατανοοῦντες, καὶ πρὸς μνήμην τῆς ἐν σαρκὶ πολιτείας, τοῦ τε πάθους αὐτοῦ, καὶ τοῦ σωτηρίου θανάτου χειραγωγούμενοι, καὶ τῆς ἐντεῦθεν γενομένης τῷ κόσμῳ ἀπολυτρώσεως. —

De cõsecr. Dist. 3. can. Sextam.

patriarcham ſanctiſsimum, dum refragaretur, & impiam rabidæ feræ cacodoxiam reprehenderet, ab Eccleſia deiecit, quam.15.rexerat annis: & Anaſtaſium quemdam, ſibi conſentientem, Patriarcham deſignauit. Aggreſſus & idem Romæ facere: cui præſidebat Gregorius ſecundus: quem, quia diſſentiebat impietati, per Exarchum Rauennatem, ſuóſque ſatellites alios de medio tollere fruſtra tentauit. Indomabilis & peruicax belua quum ειμαχῶν nõ deſineret, à Gregorio tertio, qui ſecundo ſucceſſerat, anathemati ſynodico demũ ſupponitur: Anaſtaſius tyrãni patriarcha deponitur: Ictóque tum primùm cum Francis fœdere, non amplius à Romanis Imperator agnoſcitur: nec eidem per Italiam vectigalia penduntur. Id accidit circiter annos Domini. 740. & 750. Regnabat in Gallia Pipinus breuis. Impio patri filius ſucceſsit impiiſsimus, Conſtantinus Copronymus. ſuo certè cognomine dignus: ducto, ſcilicet, à ſtercore. Nam, quum baptizaretur, Baptiſterium concacauit Hic, preter cætera, μετὰ τῆς πατρικῆς δυσσεβείας, nulli eorũ, qui Deo quomdã viuẽtes placuiſſent, ne Deiparæ quidem virgini, titulum Sancti voluit attribui: ſed execrandus ille ſimpliciter dici iubebat, Apoſtolus Petrus, aut Paulus, Martyr Theodorus aut Georgius. & ſic in cæteris. Doctrinâ, virtutéque præſtantem virum Io. Damaſcenum, qui ſæpiùs iſtos duos Theomachos per literas arguerat impietatis, à ſibi ſuffragantibus Epiſcopis anathemate notari, damnaríque procurauit. Hæc Zonaras. In vrbe ſuæ natiuitatis Damaſco tunc Damaſcenus agebat, ſub principe Saraceno. Ab infœlicibus iſtis duobus Imperatoribus Orientale cœpit Imperium labaſcere. Conſtantinopolis à Saracenis & Arabibus obſeſſa per triennium, & penè capta fuit.

Miſerâ Tyrannus vtérque, meritáque morte periit. Inteſtino igne exuſtus eſt filius. Tabe, ac dyſenteriâ conſumptus infœlix pater animam putidam cacauit. Hoc ideo vobis refero, Chriſtiani auditores, vt Iudiciorum Dei revereamur incomprehenſibilem abyſſum. Nam vidimus qui noſtri Tyrannos aliquot impietatis eiuſdem reos, hoc eſt, Eccleſiarũ noſtrarum ſpoliatores, Imaginum violatores & ablatores, Sacerdotum Chriſti perſequutores, igne, tabóque ſimili confectos, & abſumptos. Ita legimus Antiochum, templi Hieroſolymitani prophanatorem, átque direptorem periiſſe. 1. Macca. cap. 6. & 2. Macc. cap. 9. Sic & Herodes, qui Iacobum occidit, Petrum carcere vinxit, à vermibus demum corroſus interiit. acto. Apoſto. cap. 12. Itáque Mathathiæ de vno Antiocho vaticinum deprehenditur in omnibus Antiochi

chi mores imitantibus esse verum — Gloriæ finis eorum, Stercus, & Vermis. De rerum Ecclesiasticarum dominio tractans in Aristocratia nostra, tritum vulgi nostri sermone prouerbium dicebam, Crucifixo canis allatrans rabie dirâ morietur.

Zonaras idem recitat vnde rabidus ille tyrannus Leo conceperat eam suam furiosam, de Sanctorum delendis Imaginibus opinionem. Digna modò relatu mihi videtur historia. Quum Iuuenis adhuc in sua maneret Isauria (regio est Pisidiæ & Licaoniæ contermina, latrocinijs & barbariae gentis infamis) à Parentibus Conon vocitatus. βάναυσος, id est, ignobilis & sordidus artifex, impostores duo Iudæi, qui se per astra nosse res euenturas profitebantur, eidem prædicunt imperium. Quos velut irridens (nec enim fortuna sua tantam spem patiebatur) ipsis hoc ab eo petentibus promittit, Quicquid tunc ab Imperatore se flagitarent, nõ denegaturum. Tandem potitus Imperio salutatur ab eis, de promissis appellatur. Hos petere iubet. Non (inquiunt) aut diuitias, aut præfecturas ambimus. Hoc vnum solum postulamus, Vt Nazareni, Eiusque genitricis ἐκτυπώματα (id est, Imagines & effigies) vbique tollantur ac deleantur. Id annuit, átque præstitit. Authores Imaginum subuertendarum videmus, sanè magnos & nobiles. Duos (puta) Iudæos, ex Arabia profugos. Alterum βάναυσον. Quartus verò néque Iudæus, néque paganus, néque Christianus, Copronymus: ἀλλ' ἀσεβείας τῆς κυκεών. vt ait Zonaras. Impietatis colluuio.

L. 9. C. de feriis.

Imagines & memoriæ sanctorum Dei nonnisi ab immemoribus beneficiorum Dei tolluntur.

Nicephorus Callistus, Anastasio Imperante, sub annum Dõ. 500. videlicet, Annis ante nefandum illum Isaurum pluribus quàm ducentis, Imagines à Xenaia quodam scribit euersas fuisse. cap. 28. lib. 16. Euagrius scholasticus in historia sua, lib. 3. cap. 32. Xenæam nominat. Is erat, natione Persa, conditione Seruus: qui Dominum suum fugiens, Antiochiam venit: vbi, nec dum baptizatus, à Petro Cnapheo, hæretico damnatissimo, Presbyter est ordinatus: posteáque factus est Episcopus Hieropolitanus, non procul Antiochiâ. Tyrannus Anastasius, quum malè de Deo sentiret, consentientem sibi Cnapheum fecerat Archiepiscopum Antiochenum. Mihi rursus & hîc attende, qualibus Imaginum Dei cultus oppugnetur hostibus. certè non aliis, quàm vel hoc æuo nostro videlicet, Apostatis, & doctoribus fugitiuis, Barbaris, inhospitalibus, Sanguinariis prædatoribus populis, átque principibus.

Supereſt, vt iſtius Iconomachiæ machinam diſcutiamus, quâ Diuorum putant Imagines funditus euerti poſſe.

Diuinâ lege, Eáque primâ, iterum, tertióque repetitâ, vetatur: Non facias tibi Sculptile, nec ſimilitudinẽ omnium, quæ in cœlo ſunt deſuper: Et quæ in terra ſunt deorſum: Et quæ verſantur in aquis ſub terra. Non adorabis ea, & non coles. Exodi cap. 20. Deutero. cap. 4. & . 5, Rurſúmque Leuit. cap. 26. Non facietis vobis Idolum, & Sculptile: nec Titulos erigetis: nec inſignem Lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum. Breuiter, Idolorum nomine, cum ſtatuis Satanicis, Imagines Dei, Sanctorúmque Dei miniſtrorum vocant: omnéſque ſacræ ſcripturæ ſententias de Idolis, contra venerandas Imagines adducunt. Quæ Gnoſtici non dubitant à ſanctis olim patribus lecta quidem, relectáque fuiſſe: verùm non intellecta putant. Alioqui nobis obiicere tam trita, támque omnibus obuia, non auderent.

Acutos iſtos lubenter ipſe rogarem, Nunquid omnem pingendi, ſculpendi, fundendi, ſimilémve artem ſuſtulit illâ ſuâ lege Deus? Et non ſuſtuliſſe, néque prohibuiſſe, ſatis illi ſciunt. Picturámque tum vetitam fuiſſe non autumãt. Effigies enim ſuas æconicè pingi, paſsímque circunferri curant: quas ſui Diſcipuli, Diſcipulæque inuicem coëuntes, oſculis & ſalutationibus tantùm non adorant.

Itáque Zωgraphiam Deus non prohibuit: quum poſt Legem latam voluerit ex auro ſolido, & opere ſtatuario fieri duos Cherubim, id eſt, Duorum quaſi puerorum ſimilitudines (id enim vox Hebræa ſignificat) non in quouis tabernaculi loco, ſed ſuper ipſo Propitiatorio, vnde reſponſa reddebat, locandos. Exodi. 25. Poſt legem quóque delegit Beſeleel, & Ooliab, quibus omnem dedit ſapientiam, ſcientiam, & intelligentiam ad excogitandum & faciendum opus in auro, in argento, & ære, Sculpendíſque lapidibus, & opere carpentario: & quicquid fabrè adinueniri poteſt, dedit in corde eorum. Exodi. 31. 35. 36. Poſt Legem pariter Æneum ſerpentem fieri iuſsit, quem Moſes pro ſigno ſtatueret in ſublimi. Numer. 21. Accedat quòd Æneo mari (ſic ingens quoddam vas ad lotiones in templo vocarunt) Salomon fuſiles duodecim boues ſuppoſuit: & inſuper omnes ipſius templi parietes per circuitum ſculpſit variis cęlaturis, & torno: Et fecit in eis Cherubim (inſtar habebant adoleſcentulorũ. ſicuti dixi) & palmas, & pi-

picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes. 3. Reg. cap. 6. & 2. Paralip. cap. 4. Vides similitudines, & eorum, quæ sunt in terra, & eorum, quæ sunt in cœlo, fabrefactas, ipso etiam mandante Deo: sed non eo fine, quem Lex cōdemnat, Vt adoretis ea. ἵνα προσκυνήσητε αὐτοῖς, ἵνα δὲ μὴ λατρεύσητε. d. cap. 20. Non adorabis ea, Neque seruies eis.

Homines ab Hominibus adorati.

Sed & hîc adhuc est operæprecium scire, quòd in scriptura multæ legūtur & Animatarū, & Animâ carentium rerum adorationes, non coram Domino tamē factæ, quæ nō reprehenduntur. Areuma Iebusæus, quum vidisset Dauid ad se venientem, egressus adorauit regem prono vultu in terram. 2. Reg. cap. vlt. & 3. Reg. cap. 1. Bersabee adorauit Regem Dauid. & Adonias adorauit Regem Salomonē. Sic Abraham adorauit populum Hethæorū. Genes. 23. Iacob adorauit fratrē suum Esau. Genes. 33. Fratres Ioseph adorauerunt eum proni in terram. Gen. 42. & 43. Moses adorauit socerum suum Iethro Exod. cap. 18. In sacris tria passim comperies Hominum Homines adorantium exempla. quibus omnibus in locis vtuntur Septuaginta verbo προσκυνεῖν. quod vbique vertitur in Adorandi verbum. Recentiores Romanorum Imperatores (à Valentiniano, puta, secundo an. 380.) Monarchas & Reges duntaxat Adorari, Magistratus alios, & administratores Salutari dixerūt. quod Accursius obseruauit, in l. 1. de Silētiariis. lib. 12. C. Certè, προσκύνησις amplius aliquid habere videtur, quàm ἀσπασμός. Adoratio, quàm Salutatio. Nō solos tamen Reges atq; Principes adorari deprehendimus in. 2. Reg. cap. 18. χουσὶ προσεκύνησε τῷ Ἰωάβ. Chusi adorauit Ioab. & Danielis cap. 2. Nabuchodonosor προσεκύνησε τῷ Δανιήλ Res quoq; inanimatas adorari videmus, ad Hebr. cap. xi. Iacob moriens, quum filiis filij sui Ioseph benedixisset, Insuper & adorauit Fastigium virgæ ipsius Ioseph. προσεκύνησεν. Loquutio frequens. In qua non aliud est Adorare, quàm quod vulgò dicimus, Reuerentiam facere. Dum capitis nudatione, genuū flexione, ceruicis inclinatione, manus exosculatione (Iob. 31.) cuipiam deferimus honorem.

Vsu tamen Ecclesiæ longo factum fuit, Vt ad solam religionem, cultúmque diuinum referatur Adoratio. Nec homines iam dicuntur adorari, quantumuis demissè ad ipsos adeamus. Theodosius Iunior de cuius, & sororis eius Pulcheriæ pietate scribunt. Socrates cap. 22. lib. 7. & Sozomenus cap. 1. lib. 9.) pri-

L.2. de statuis & Imagi. C. mus Imperatorum Christianorum(quod equidem meminerim) latâ lege, anno. Do. 432. Statuas & Imagines suas, & se consequenter, vetuit adorari. Quum prius etiam thura Principum simulachris adolerentur. Sed hîc paululum subsistam.

προσκυνήσεις istas nulli hominum Tertullianus exhiberi voluit. Idololatriam vocauit in libro suo de Idololatria, Quicquid (ait) vltra humani honoris modum, ad instar diuinæ sublimitatis, extollitur, Idololatria est. Obsequium quidem & officium Regibus debemus, ex Apostoli præcepto: sed intra limites disciplinæ: quoúsque, videlicet, ab Idololatria separemur. Hæc Tertullianus. Trium deinde fratrum nobis exemplum proponit, Hominum Regi suo deditissimorum & obsequentissimorum (quippe, quos ille constituerat super opera regionis Babyloniæ) maluerunt ipsi tamen in ardentem fornacem mitti, quàm Nabuchodonosoris adorare statuam: quod fieri Rex ipse præsens iubebat. Daniel. cap. 3. Quin ipse Daniel in aulico Darij ministerio primus (regni námque rationibus præerat) in lacum leonum coniectus est, quòd pro Deo Darium rogare noluisset. Danie. 6. Hoc vtinam Christianis saltem potentatibus, ac rerum dominis persuasum foret: nec sese extollerent illi supra omne, quod dicitur Deus, & quod colitur. 2. Thessa. cap. 2. In templis ipsimet Deum non sic humiliter adorant, vt se salutari volunt, átque vident. Néque Salutatores etiam Deo tam reuerenter supplicant. ô pecus occisionis? ô pastores stultos, & Idola? quæ vocat Zacharias. cap. xi. Non Adoratores, sed Adula-
To.1. tores partium mundi vocat Augustinus eos, qui se tam demisse & abiectè prosternunt hominibus. De vera religione. cap. vlt.

Eo corporis habitu, quo supplicatur Deo, posse quóque citra reprehensionem Regi supplicari, non dubito, sed non eadem mente fieri debet. propterea non dicitur Adoratio. In omni siquidem Adoratione, in omni Salutatione spectatur adorantis mens & intentio. Quisquis adorat, Honorat. Non autem adorat omnis, qui honorat. Nam & fratres, secundum Apostolum, inuicem se honore præueniunt, Nec tamen inuicem ado-
To.6. rant, Hoc ab Augustino sumpsi. libro vnico contra sermonem Arianorum. cap. 23.

More gentilium, Quicquid supra nos est, quicquid seruat nos.

aut benefacit nobis, aut ad vitæ commoditatem aliquid attulit, is eſt Deus. A paſtore quodam propter ocium conceſſum, & ſuos ſibi ſeruatos greges, canitur, Námque erit ille mihi ſemper Deus. & quæ ſequuntur. Alius quidam dixit, Deus eſt Homini, Hominem iuuare. Qui ſic Regi ſupplicat, & eò cum ruſtico paſtore ſpem ſuam dirigit, is errat. & idololatra eſt. Et Rex eſt eius idolum. Dicam planè imperatorem Dominum, ſed more communi, ſed quando non cogor, vt Dominum, Dei vice, dicam. Sic idem Tertullianus in Apologetico. cap. 34. ſi modò liber ille diuiſus eſt in capita. Iam quod cœperamus.

Adoratio nobis eſt, quod σέβασμα, ſeu σέβας eſt Græcis. τιμὴ (quod ait Suidas) Honor eſt, ſed non ſimplex eſt Honor iſte: verùm, μετὰ ἐκπλήξεως. id eſt, cum timore, cum admiratione quadam: ſicuti veneramur eas res, in quibus numen aliquod, & diuinum quiddam credimus ineſſe, plenas miraculi σεβάσματα Lucas Euangeliſta ſic accepit Actor. cap. 17. Ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν. Contemplans cultus, quos Diis veſtris exhibetis. Antiquus interpres vertit in Simulachra veſtra. dicto iam cap. ad Theſſal. 2. melius tranſtulerat σέβασμα, Quod colitur. Ergo, nobis Adorare, σέβειν autem Græcis, eſt τὰ θεῖα σέβειν. hoc eſt, Diuina colere. Ad ſolam pertinet hoc religionem. Huiuſce autem cultus, & Adorationis modi duo diſtingui ſolent. —

Adoratio Latriæ ſoli Deo debita.

Adoratio quædam eſt, cui Seruitus illa ſumma connexa eſt, quæ λατρεία Græco vocabulo nuncupatur. quâ tantummodò ſeruitur Deo: De qua Matt. & Lucæ cap. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Auguſtinus Epiſt. 49. in quæſti. 3. & Epiſt. 66. Item libro. 15. contra Fauſtum Manichæum cap. 9. Et contra Sermonem Arianorum cap. 20. Et contra Maximum Arianorum Epiſcopum libr. 3. cap. 23. prædicta ſic interpretatur. Hæc Adoratio Latriæ plus quàm προσκύνησις eſt; quæ demiſſi capitis, & externo proni corporis geſtu fit. Inſuper enim conſiſtit in ea dilectione, de qua Matth. cap. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Conſiſtit & in Sacrificij oblatione. Sacrificium verò Chriſtianorum eſt Corpus Chriſti. vt ait Auguſtin. d. cap. 10. De ciuitate Dei. Martyres & Sanctos non ita colimus, nec adoramus. Vide ne feceris. Hoc ipſi prohibent. Se, noſtros, & omnium habentium teſtimonium Ieſu, conſeruos nominant: átque

To. 2. & 6.

Non Sanctis, at Soli Deo ſacrificamus.

quam multi, Veteres, & Noui.

Altera quædam est Adoratio pariter cum submissione, & humiliatione magna. quô se modô quandoq; homo submittit Homini, aliquid in alio venerans, & admirans, virtutem, potentiam, gloriam, vitæ sanctimoniam. Seruus hoc in Domino facit, Debilior in potentiore, Minor in maiore. Seruitus hîc inest etiam, verùm, qualem mortalis mortali, creatura creaturæ debet. Augustinus explicans Exodi.23.caput, in cuius fine dicitur, Non inhabitabunt gentes in terra tua, Ne fortè peccare te faciant, si seruieris Diis eorum. sic ait, Grçcus hîc δουλεύσῃς habet, non λατρεύσῃς. Vnde intelligitur, quia δουλεία debetur Deo, tanquam Domino. λατρεία verò non nisi Deo, tanquam Deo. Hçc ille, secundo Quæstionum super Exodum libro. cap.94. To.4.

Dulia Martyribus, & Sāctis est debita

Latria.

Sciamus, Auditores Christiani, quòd in Apostolicis omnibus literis, vbicúmque Latriâ legitur, aut verbum Latreuo, Summus ille Dei cultus intelligitur, qui soli summæ trinitati debetur, & à Piis exhibetur. Antiquus interpres λατρείαν conuertere solet in Obsequium. Io.cap.16. ἔρχεται ὥρα, ἵνα πᾶς ἀποκτείνας ὑμᾶς, δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ. Veniet hora, vt quisquis interficiet vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Ad Ro.12. Rationable obsequium vocauit τὴν λογικὴν λατρείαν. Non quoduis intelligas obsequium, vel officium veniens ab homine: Sed illud tantummodo, quod cum Dei timore, cum fiducia, cum nominis eius inuocatione, & confessione spiritualiter ab homine præstatur ipsi Deo. Sic idem λατρεύω transferre solet in Seruio, & Deseruio. Quodcúmque seruitium non accipias: illud solummodo, quod alicui, tanquam Deo, impenditur. Aliter enim Deo seruimus: & aliter hominibus. Id explacare volens interpres, vnum per duo reddidit, ad Rom. cap.1. ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα. Coluerunt & seruierunt creaturæ, potius quàm creatori. Nec aliâs semel. Vbi seruire non est simpliciter, quum quis alteri, velut amico, dominóve suo ministerium præbet: quod Græcis est δουλεύειν. Nec enim Paulus istud arguit: qui Leges Seruis dedit Ephes.6. δοῦλοι ὑπακούετε τοῖς κυρίοις. qui monuit, διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. ad Galat. cap.5. per charitaté seruite vobis inuicem. Hæc ea seruitus est, quæ nominatur ab Augustino, Dulia. quâ gloriosis Dei sanctis homines pij seruiunt: Ipsos, (nō tamen vt Deos) & orant, & adorant, & in auxilium suum vocant. can. Venerabiles imagines. de consecr. dist.3. qui de dicta septima synodo fuit exceptus.

Hugo, ſanè conuenienter, hîc laborat. Nam Diuus Gregorius, inter alia, ſcribit Sereno Maſſilienſi (ſuprà meminimus) Quòd imagines adorari vetueris, Laudamus. Septimæ verò Synodi Patres aiunt, Chriſtiani venerantur & adorant imagines. In omnibus eſt pietas, & recta fides. Quod Auguſtinum ſectatus Hugo ſic oſtendit: & ibidem, quæ contraria videntur, diſtinctione conciliat Inquiens. — Aliud eſt, Imagines adorare Latrîa. quod illic prohibetur. Aliud, Duliâ. quod hîc permittitur. Duæ ſunt ſiquidem ſpecies Adorationis, ſiue Seruitutis. videlicet. Latrîa., & Dulia, Latrîa eſt ſeruitus ſiue cultus ſoli Deo debitus. Dulia eſt. ſeruitus quæ debetur & creaturæ. Adoramus ergo Deum, in eum credendo, Super omnia diligendo, Illi ſacrificia offerendo, & ei reuerentiam prę omnibus exhibendo. Sed adoramus Imagines, ipſis reuerentiam duntaxat exhibendo. Non autem in eas credendo, vel ſuper omnia diligendo, vel Sacrificia impendendo. Hoc enim eſſet Idololatriam exercere. Ferrarienſis ita rem digerit. quem gloſſographus Brixienſis, & omnes è ſchola ſcriptores inſequuntur.

d. Can. Perlatū. d. Can. Venerabiles.

Itáque nobis Anthropolatria vetatur: Antropodulia minimè. Qualis non ipſis tantùm viuis inter nos hominibus, aut iam cum Chriſto ſanctis viuentibus exhibetur: ſed eorum quóque figuris & Imaginibus, ob immortalitatis memoriam per poſteros conſecratis. Quandoquidem ſingularis maiorum noſtrorum pietas átque religio, Martyrum Chriſti, Sanctorúmq; virorum memoriæ publicæ retinendæ cauſſâ, Non annales duntaxat, & hiſtorias deſcripſit, verumetiam proponendas eorum ſtatuas & Imagines putauit, quorum memorabilis & diuina virtus lucem attulerat Eccleſiæ. talibúſque monumentis defunctorum memoriam conſecrauit. Et inuiſibilia nobis per viſibilia demonſtrauit. Vt Secundino Seruo Dei incluſo Gregorius reſcribit in fine Epiſt. 53. lib. 7.

Non poteſt non eſſe verum, quod fuit ab ipſa veritate prædictum. Pſal. 111. In memoria æterna erit Iuſtus. hoc eſt, perpetuâ in ore hominum celebritate vigebit. ob proprias, ſcilicet, virtutes. Nec tantùm viuens erit in memoria, ſed etiam poſt mortem inter pios & electos encomium habebit. Atqui nulla rei maior poteſt haberi memoria, quàm dum nobis abſentis effigies & forma proponitur, oculíſque ſubijcitur: Quam vel honoramus, ſi quid honore dignum referat: vel horremus, ſi deforme aliquid & horridum

Non imaginē, Sed Imaginis repræſentatione veneramur.

ridum repræſentet: non ligni quidem, lapidíſue naturam, ſeu ſubſtantiam, ſed eam rem, cuius eſt ſimilis. Vt hominis improbi vel dæmonis imagine cōſpectâ, naturaliter oculos auertimus, & execramur: Ita venerabilis alicuius hominis imaginem naturaliter quóque veneramur: Non colores, vel tabulam, ſed exemplar ad quod illa facta eſt. Néque ligno caput aperimus, aut lapidi genu flectimus, ſed rei quam per lignum contemplamur. Atque ita per recordationem, venimus ad execrationem, aut venerationem crimen: deteſtantes, vel gloriam prædicantes eorum, quorum nomen, & appellationem gerunt Imagines. Non ſecus, átque ſi res eorundem geſtas, & verbis expreſſas legeremus, vel audiremus. Nam concioni, ſiue ſermoni de vita Sanctorum comparatur ipſorum pictura Sanctorum. Pictura, pariter vt Sermonis, ita Scripturæ vicem tenet. Vtriúſque nomen idem Græcum. γραφὴ, ſeu γραφικὴ. Tam quod eſt in pariete pictum, quàm quod eſt in codice ſcriptum, legi dicitur vtrúmque. Gregorius hoc habet in epiſtolis ſuprà citatis. Et Baſilius antea ſcripſerat initio ſermonis nunc allegati, de quadraginta Martyribus. Ἃ γὰρ ὁ λόγος τῆς ἱστορίας διὰ τῆς ἀκοῆς παρίστησι, ταῦτα γραφικὴ σιωπῶσα διὰ μιμήσεως δείκνυσι. id eſt, Quæ enim Hiſtoriæ ſermo per auditum repræſentat, Eadem, Pictura muta per imitationem demonſtrat. Audiens Chriſtum, Chriſti crucem, Mariam, Ioannem, Petrum nominari, non offendor (néque, puto, Gnoſticus) imò protinus memoria me ſubit eorum, cum tacita quadam nominatorum veneratione: ſed & caput ipſi demittimus, ac frequenter aperimus. Aliter non afficior ipſorum videns imagines, quàm ſi nomen audiam. Non queo ſatis admirari, quomodo ſint oculi Gnoſticorum delicatiores, quàm ſint aures. Scriptam Chriſti crucem aſſiduè legunt, ac ſe venerari fatentur. Et pictam videre non volunt, ſed abominantur. Cur hoc illi faciant, non intelligo: niſi quia libet eſſe gratis Hæreticos.

Honor igitur in recordationem Prototyporum decretus eſt Imaginibus. Ioſephus in fine libri. xi. Antiq. Iudai. ſcribit Alexandrum Macedonem, iam totius Aſiæ, Græciæ, Syriçque victorem, quum Hieroſolyma veniſſet, extrema Iudæis minitans, Iaddum (ſiue Ioada, vt Hieronymus appellat) ſummum Iudæorum Pontificem, obuiam ſibi procedentem, Thiarâ, cæteríſque Pontificiis inſignibus ornatum, viſum mox adoraſſe: Mirantibus autem ſuis, quum ipſe ab omnibus adoraretur, quid ita nunc hominem Iu-

dæum pronus adoraret, Se non adoraſſe Pontificē reſpondit: Sed ſe Deo, cuius ille Pontificatum gerebat, eum honorem exhibuiſſe. Qui quidem Deus, ſibi adhuc in Macedonia moranti, eo ipſo habitu, apparuerat. Sic & Nabuchodonoſor (de quo ſuperiùs) adorans Danielem, non hunc, ſed Danielis adoraſſe Deum, qui myſteria reuelauerat, exiſtimare licet. Mihi quóq; Iacob adorans Sceptrum filij ſui Ioſeph, in eo Chriſti crucem adoraſſe videtur. Ioſeph enim proditus à Fratribus, & factus in Ægypto vinctorum ſeruus, poſtea verò dominans omnibus, Chriſti planè figuram gerebat: cuius ῥάβδος atque Sceptrum fuit ipſa Crux. Ioſue pronus in terram cadens adorauit Angelum. Ioſ cap. 5. & Gedeon obtulit Angelo ſacrificium. Iudi. cap. 6 Hîc in Angelo Deus adorabatur, Deóque ſacrificabatur.

Hunc verò, qui præſtatur Imaginibus, & Sanctis honorem, ſeu voces Cultum, ſeu Adorationem, ſeu Venerationem, ſeu Salutationē, non laboro (Nec enim decet in nominibus eſſe moroſum) modò Latriam ſciamus excludi: quâ Deum ſolum Fide, Spe, Sūmâ dilectione colimus, & adoramus.

Imaginem autem colentes, intelligamus nos adorare argumentum in ea deſcriptum, non aliquid manufactum. Nec enim Fictum, Pictum, Sculptum quid adorari debet. Ea de cauſſâ, Rex Ezechias, quum ſuſtuliſſet excelſa, Statuas cōtriuiſſet, Lucos ſuccendiſſet, Æneum præterea ſerpentē, quem fecerat Moyſes, confregit: ſi quidem uſque ad illud tempus filij Iſraël adolebant ei incenſum. 4. Reg. cap. 18. Æneus ille Serpens, ſignum quidem ſalutis erat: ad quod qui conuertebatur, non per hoc, quod videbatur, ſanabatur: ſed per te omnium ſaluatorem. Sap. cap. 16. Magna igitur erant in culpa Iudęi, qui Dei virtutem attribebant æri. Summopere cauendum, Ne populus in adoratione Picturæ peccet: Ne Lapides & ligna colat, quod ad Chryſantum Spoletanum Epiſcopum ſcribit Gregorius Epiſt. 2. lib 7. Imagines enim tollere præſtaret, ipſius etiā Chriſti, quod Epiphanius apud Hieronymum ſcribens ad Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, ſe feciſſe fatetur in fi. Epiſt. Domino dilectiſſimo. To. 2. Is idem vehementer arguit Arabas nonnullos, à ſuperſtitioſis quibuſdam mulieribus deceptos, qui Sanctam ſemper virginem Mariam, ἀντὶ θεοῦ παρεισάγειν conabantur: In ipſius nomen ſacra celebrabant: hanc adorabant. Et ſubdit ἐν τιμῇ ἔστω Μαρία. ὁ δὲ πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα προσκυνείσθω. τὴν Μαρίαν μηδεὶς προσκυνείτω. οὐ προστάττεται τὸ μυστήριον

ἐν τιμῇ ἔστω ἡ μαρία. id est, In honore sit Maria. Pater autem, & Filius, & Spiritus sanctus adoretur. Mariam nemo sic adoret. Deo tribuitur, & destinatum est hoc mysterium. Maria verò non est Deus. Hæc ille κατὰ Ἀντιδικομαριανιτῶν, & κατὰ Κολλυριδιανῶν. Serenus Massiliensis (de quo superiùs) apud Gregorium se simili defendebat excusatione. Se, videlicet, Imagines fregisse, ne adorarentur. Quòd adorari vetueris, omnino laudamus (ait Gregorius) quòd inconsiderato Zelo fregeris, omnino reprehendimus. Vt etiam reprehendebatur Epiphanius ab Ecclesię Presbyteris. aliud ideo velum misit, Excusans factum suum. Suæ pariter impietati prætexunt & hoc Gnostici. Burchardus Wormaciensis in tertio decretorum suorum libro, agens de Ecclesiis. cap. 35. ex nescio cuius Elibertani concilij Canone primo refert id, quod sequitur.—

Placuit picturas in Ecclesia fieri non debere. Ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.

Eliberinum concilium (quod etiam Gratianus Elibertanum vocat) habitum paulò pòst Nicænum, continet vnum & octoginta Canones: In quorum nullo comperies id, quod à Burchardo citatur. Illorum tamen Patrum, quicúmque fuêre, decretum referas ad Signi, non ad Signati, adorationem. sicut ipsius etiam dicti cap. 35. verba demonstrant.

Illa citata Synodus septima valde prolixa est, nec non disputationum plena. quæ tamen peruulgaris duobus versiculis in summam tota breuiter colligi sic solet.—

En. Deus est, quod Imago docet: Sed non Deus ipsa.
Hanc videas. Sed mente colas, quod cernis in illa.

Circunferuntur in doctorum nostrorum commentariis & alij duo non diuersi.—

Effigiem Christi, quum transis, pronus honora,
Non tamen Effigiem, Sed quem designat, Adora.

Populus igitur à Parochis & Pastoribus suis, omni cum diligentia monendus est, Aliud esse, Picturam adorare: & aliud, Per picturę historiam, quid sit adorandum, cognoscere. Imaginum cultus, ac Sanctorum venerationis hic esto terminus, & finis: Ab Idololatria valde quàm remotus. Idololatres enim nullus haberur in archetypo. Tertullianus hoc astruit in fine lib. de Idololatria.

De nonnullis adhuc monitos volo vos, Auditores Christiani.
Icon. Recepit εἰκόνας in templis Ecclesia: Reiecit ἀγάλματα. Quum res
Agalma. ábsq; fictione repræsentatur, vbi nihil est adumbratũ, nihil emẽtitũ, nominatur Icon. Sed Agalma fit ad oblectamẽtũ, quod oculos pascat. ἐπὶ πᾶν ἐφ' ᾧ τις ἀγάλλεται. vt ait Suidas. Omne id, ex quo quis exultat & deliciatur, eò quòd accuratè pictum fuerit. qualia Polycletus, Phidias, Appelles effingebãt: ἀγαλματοποιοὶ propterea vulgò nuncupati. Agalmata sunt inanes & Lasciuæ picturæ. De quibus accipe Sapientis Hebræi dictum. Sap.cap.15. scribentis, Hominũ malæ artis excogitatio est adumbratio picturæ, Labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, cuius aspectus dat insensato cõcupiscentiã, quum diligit imaginis mortuæ speciem. Certè, Hæc statui nõ debent in Basilicis nostris. Nam, quum templum sit Domus orationis, in templo nihil pingi, nihil fingi oportet, quod orantis mentem ad Deum nõ eleuet. Nec hominum frugalissimorum, pudicissimorum, moderatissimorũ decet imagines vestibus impudicis, mollibus sericis, Phrygianis, amictu plúsquam regio, formari. Quas (induere non dico) sed in aliis nullis Christianis, ostentationis átq; nitoris gratiâ, videre tulissent ipsi viuẽtes. Hoc addisces è Basilio cap.22. Asceticorum. Tales Imaginum lasciuias non in templis tantũmodo, sed in priuatis etiam domibus reprobauit Oecumenica sancta Synodus sexta, Excõmunicatione puniens contrauenientes. Canone suo centesimo primo, quẽ referre non pigebit. —— οἱ ὀφθαλμοί σου ὀρθὰ βλεπέτωσαν, καὶ πάσῃ φυλακῇ τήρει σὴν
Prouer. cap.4. καρδίαν ἡ σοφία διακελεύεται. ῥᾳδίως γὰρ τὰ ἑαυτῶν ἐπὶ τὴν ψυχὴν αἱ τοῦ σώματος αἰσθήσεις εἰσκρίνουσιν. τὰς οὖν τὴν ὅρασιν καταγοητευούσας γραφὰς, εἴτε ἐν πίναξιν, εἴτε ἄλλως πῶς ἀνατιθεμένας, καὶ τὸν νοῦν διαφθειρούσας, καὶ κινούσας πρὸς τὰς τῶν αἰσχρῶν ἡδονῶν ὑπεκκαύσεις, οὐδαμῶς ἀπὸ τοῦ νῦν οἱῳδήποτε τρόπῳ προστάσσομεν ἐγχαράττεσθαι. εἰ δέ τις τοῦτο πράττειν ἐπιχειρήσοι, ἀφοριζέσθω. Id est, Oculi tui recta videant: & omni custodiâ serua cor tuum. Sapientia monet. Nam corporis sensus, ea quæ sua sunt, in animã leuiter ingredi faciunt. Igitur, Picturas voluptariâ quâdam, nec intellectâ titillatione intuentem decipientes, siue in tabulis, siue alio quocúmque modo, suspensas & fixas, & animũ corrumpentes, & in ardorem turpium voluptatũ commouentes, in posterum nullo modo pingi, sculpi, incidi constituimus. Si quis hoc facere tentet, Ab Ecclesiæ cõmunione separetur. Obscœnum est, quod Plin.cap.5.li.36. recitat de statua Veneris in insula Gnido, quàm Praxiteles efformarat: sed quia facit ad sensum canonis, audire vos nõ pudebit. Eius amore signi captum quendam ferunt in ædicula noctu delituisse, simulachróque cohæsisse: & cupiditatis indicem mansisse maculam.

Sa-

Sapiens ille videtur & hoc attigisse. dicto cap.15.

Infames igitur,& voluptuosæ picturæ nullo debent in Christianorum loco videri. qualibus tamen nunc (ô vitam nostram parum Christianam?) Principum, Priuatorúmque putant hortos & ædes ornari. Ne templis quidem nostris ab hac turpitudine liberis. Quódque detestabilius est, in ipsis figurandis Imaginibus Diuorum, Lasciuire non verentur Pictores: Vt in sacetrima θεοτόκῳ virgine pingenda, In lugente, vel pœnitente Magdalena, Sanctísque cæteris mulieribus, aut uirginibus efformandis. Et, quod omnibus est execrabilius blasphemiis, Ineffabile cœnæ Dominicæ mysterium graphide plerúmque sic redditur, vt ab Asotorum symposio (proh inexpiabile nefas?) distare non videatur. Impurus & audax Graphæus à Christianorum societate venit expellendus, œcumenico iubente concilio. Tum cœpit immunda Pictorum manus Ecclesias polluere, quum cœpit Ecclesia pro Episcopis Paulinis Aposcopos Regios habere. Si fortè quis ad rem pertinere putet, Plato de legib. dialogo.12. docens, quæ Diis offerenda sint, In suorum Deorum fanis alias noluit offerri Picturas, quàm quas singulas vno die pictor vnus depinxit.

Sed & Ζωωτὰ, siue Ζωδωτὰ (id est, Tapetia, quæ nominat in Pseudolo Plautus Beluata, Scilicet, intextos animalium figuris amictus, depictósve parietes) in templis non probatim. Lubens hominis equo insidentis effigiem non aspicio, quæ primum nostris in aris occupet locum. Referam quóque vobis, quid illius Sextæ Synodi patres ea de re sanxerint, Anni præteriêre ferè nongenti: Prolixus est canon 83. in æditione Parisiensi. Zonaræ.82. Quem Latinè pontifex Romanus Adrianus primus, rescribens Tharasio patriarchæ Constantinopo. centum post annos à dicta Sexta synodo, breuius retulit. vt habes in Gratiani decretis Græcè est.—εντισι τῶν σεπτῶν εἰκόνων γραφαῖς, ἀμνὸς δακτύλῳ τοῦ προδρόμου δεικνύμενος ἐγχαράττεται· ὃς εἰς τύπον παρελήφθη τῆς χάριτος, τὸν ἀληθινὸν ἡμῖν διὰ νόμου προϋποφαίνων ἀμνὸν, χριστὸν, τὸν θεὸν ἡμῶν. τοὺς οὖν παλαιοὺς τύπους, καὶ τὰς σκιὰς, ὡς τῆς ἀληθείας σύμβολά τε, καὶ προχαράγματα τῇ ἐκκλησίᾳ παραδεδομένους κατασπαζόμενοι, τὴν χάριν προτιμῶμεν· καὶ τὴν ἀλήθειαν, ὡς πλήρωμα νόμου, ταύτην ὑποδεξάμενοι. ὡσανοῦν τὸ τέλειον, κἂν ταῖς χρωματουργίαις ἐν ταῖς ἁπάντων ὄψεσιν ὑπογράφηται, τὸν τοῦ αἴροντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἀμνοῦ, χριστοῦ, τοῦ θεοῦ ἡμῶν, κατὰ τὸν ἀνθρώπινον χαρακτῆρα· καὶ ἐν ταῖς εἰκόσιν ἀπὸ τοῦ νῦν, ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ ἀμνοῦ ἀναστηλοῦσθαι, ὁρίζομεν· δι' αὐτοῦ τὸ τῆς ταπεινώσεως τοῦ θεοῦ λόγου κατανοοῦντες, καὶ πρὸς μνήμην τῆς ἐν σαρκὶ πολιτείας, τοῦ τε πάθους αὐτοῦ, καὶ τοῦ σωτηρίου θανάτου χειραγωγούμενοι, καὶ τῆς ἐντεῦθεν γενομένης τῷ κόσμῳ ἀπολυτρώσεως.— De cõsecr. Dist. 3. can. Sextam.

id est, Inter Imaginum venerãdarum picturas, Agnus digito præcursoris ostensus, insculpitur: qui figuram gratię præcessit, Verum nobis præmonstrans agnum, Christum, Deum nostrum. Typos igitur antiquos, & vmbras (quæ, tãquam præsignationes, & symbola veritatis, Ecclesiæ tradita fuêre) derelinquẽtes, Gratiam plus honoramus: Et veritatem, sicuti Legis consummationem, recipimus. Vt perfectum quid igitur, & iam completum, Coloribus & picturis in oculis omnium deformetur, ac delinietur illius agni tollentis peccatum mundi, Christi, Dei nostri, figura iuxta humanã formam. Próque vetere illo agno, deinceps in ipsis Imaginibus, decernimus, vt erigatur. Per hoc intelligimus humilitatem verbi Dei: Manúque ducimur in memoriam suæ in carne cõuersationis, ipsiúsque passionis, Salutiferæque mortis, Et præterea factæ mundo redemptionis.

Hæc ducentorum viginti septem patrum Synodus decreuit. Qui, quum Mosis agni typici figuram non tulerint, Equites & equos cataphractos, altaribus nostris superimpositos, & nescio quid inconcinnius, nullâ certè ratione ferre modò possent.

Ad Synodi periodum iam properemus. Satis enim mihi videor sanctas non obliuiscendorum sanctorum similitudines, átque tabellas iis ostendisse, qui spectare velint. Ille, qui nos ad imaginem & similitudinem suam formauit, per indicibilem Philanthropiam suam donet, Vt Imaginibus suis omnibus (suorum quóque suæ sunt) eaum perpetuò præstemus honorem, quem citra sui nominis blasphemiam præstari se velle signis frequentibus, & admirabilibus declarauit. Amen.



ΑΥ̃ΤΑ δὲ γράφομεν, οὐκ ἐκκόπτοντες τοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ κατὰ τὰς γραφὰς ἀσκήσεις βουλομένους· ἀλλὰ τοὺς λαμβάνοντας τὴν ὑπόθεσιν τῆς ἀσκήσεως εἰς ὑπερηφανίαν, κατὰ τῶν † ἀφελέστερον βιούντων ἐπαιρομένους τε, καὶ παρὰ τὰς γραφάς, καὶ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας, εἰσάγοντας. † ἁπλούστερον. in Zonara.



Æc autem ſcribimus. Nõ quidem ſeparantes & abſcindentes à nobis eos, qui in Eccleſia Dei, ſecundum Scripturas, operã pietati dare volunt, & in religione meditari: Sed eos [damnamus] *qui per ſuperbiam ſibi religionis aſſumunt ſpeciem: ſeque extollunt contra ſimplicius viuentes: præterque ſcripturas, & Eccleſiaſticos Canonas introducunt Nouitates.*

Synodi concluſio, cum quadam Decretorum anacephalæoſi: quam Zonaras pro canone vigeſimo numerat. Non habet eum canonẽ, quem nos ex Hilariano codice ſuprà numerauimus Decimum Patres hîc ſingulatim calumnioſos Euſtathianiſtarum diluunt obiectiones. Hanc per cola declarabimus.

Humanis multis concupiſcentiis hîc frena laxari videbantur: Dum carnium permittitur eſus, Ieiunia continua vetantur, Vxores cum viris ſuis habitare iubentur Et alia, quæ diuerſa videri poterant à nonnullis Apoſtolorum mandatis Coloſſ. 4. Mortificate membra veſtra terreſtria— Fraternitatem diligite— Et ſimilia. quæ tamen Patres hîc oſtendunt abs ſe non fuiſſe contempta. Proteſtantur in primis, & aiunt.—

Ideo prædicta non ſtatuimus, quòd Opera bona, Ieiunium, Continentiam, Virginitatẽ, cæteráque negligamus. néque quòd, Pium, verùmque religionis exercitium damnemus (vt aſtruunt) ſed quia, Fictum, fucatúmque reprobamus. dum ſumma religio-

nis in cibis átque vestibus, & aliis externis quibusdam rebus collocatur: & si qui fortè non vtantur, minus pij putantur: & ab vtétibus contemnuntur. Hôc modô laudamus ac veneramur instituta Benedicti, Dominici, Francisci, Brunonis, átque similium domino Iesu dilectorum virorum. Sed si quis salutis viam praecluderet ea non profitentibus, insanissimae foret haereseos damnandus. quemadmodum damnantur hîc Eustathianistae. Tu enim quis es, qui iudicas Fratrem tuum? Quare spernis fratrem tuum? Non est ista Christianorum, sed Pharisaeorum religio, quae prae se despicit alios, tamquam peccatores. Omnis enim religionis verae fundamentum est Animi modestia, cum vitae simplicitate cõiuncta. Propterea, Frater, Noli altum sapere: sed time. Ex hac autem singulari patrum protestatione veniunt obseruanda quaedá, scitu certè necessaria. Primum.—

Lu.18. Ro.11. & 12.

De principibus hoc existimandum venit—Ipsos per sua quęcúmque rescripta nolle iuris communis dispositionem tollere: si non ita se velle dicant. Hoc licet ex praesenti Patrum decisione cognoscere. dum se scripserunt, ἄσκησιν non improbare, quae Scripturis & Canonibus non improbatur. Exempla sunt in iure perquàm trita. Secundum—

L.vlt. C. Si cõtra ius. L.Si quã do.C. de inoffi. testa. cap. 57. de elect. in antiq.

Ea tantùm vera est religio, quam diuina Scriptura, & Ecclesia catholica definit: non quam suâ quis opinione nouam fingit. Hoc ipsum est, quod Deus per Mosen praecepit Israelitis—Non facietis singuli, quod sibi rectum videtur: sed quod Deus facere pręcepit. Deutero. cap. 12. Suos quóque Christus admonuit.—Si qui vobis dixerint—Ecce, Hîc est Christus. alius verò clamitet—Ecce, illic est. alium locum, speciem, cultum demonstrans, Nolite ire: Néque sectemini. Lucae. 17. quasi nos moneret, Ea tantùm credite, quae de Christo Dei prophetae vobis, & vestri Maiores annunciarunt. Ore circumfertur omnium Augustini verbum, quod propius huc respiciat.—Euangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoueret authoritas. cap. 5. libri contra epistolam Manichaei, quam, Fundamenti vocant. Idem Vincentio scribens contra Donatistas. Epist. 48, Similiter in Cresconium grammaticum Donatistam lib. 4. grauissimè reprehendit illud, quod inter Haereticorum Praefectos & Episcopos iactabatur, prouerbium, dicebant illi—Quod volumus, Sãctum est. Néque tantùm, quod volumus: sed etiam, Quando volumus: & quamdiu volumus. Dicere conueniebat—Quod à Scripturis, & Canonibus

Extra Catholicam Ecclesiam nulla est religio.

To.6. To.2. & To.7.

bus Ecclesiasticis sanctum est, Hoc sancitum est. vt hoc in loco dicitur. Superstitio quóque Romana voluit (quod iam superiùs proponebamus) id habendum non esse Sacrum, quod sibi quis priuatim Sacrum constituit: sed id solum, quod ritè per Pontifices publicè consecratum fuit. Vnde cautum pontificio iure legimus; Illum voti reum non esse, qui se Religioni per Apostolicam sedem non approbatæ deuouit.

L. 6. de rerũ diuisi. Cap. vnico. de voto. in 6.

Suspectius nihil est in religione, quàm Nouitas.

Præterea, diligenter hîc annotandũ venit, Anathemate damnari omnem Morum, Legum, omnium deníque rerum non necessariam innouationem. καινισμὸς hîc appellatur. aliubi, καινοπραγία. longeuæ consuetudini, seu vetustati opposita. Sic & Apostolus καινοφωνίας vitari præcipit. Id est, Vocum, Verborúmque nouitates. 1. ad Timoth. cap. vlt.

Vnum vobis & alterum referam, de quamplurimis, exemplũ, quo rhetoricationes istas (putate, καινοφωνίας, seu καινολογίας) In sacris attrectandis, vti stibia vel cerussas in facie pudicæ mulieris, iuxta Pauli mandata, summè displicuisse patribus ostendam.

Tatianus quidã rhetor post gloriosum præceptoris sui Iustini martyrium, circiter annum Do. 190. regnãte Commodo, defecit ab Ecclesia. damnatus inter alia, quòd Euangeliorum, Paulíque phrasi contemptâ, παραφράζειν non dubitarit, ornatiore stilo cuncta inuertens. Author Eusebius.

Hist. lib. 4 cap. 16. & 28.

Spyridon Trimythuntis, in Cypro ciuitatis Episcopus Triphyllium pariter Episcopum — λόγιμον ἄνδρα multi nominis & existimationis virum non tulit concionantem, quum verba Ioannis immutasset, innuens quod Euangelista non satis propriè loquutus fuisset, dicens. Ἆρον σου τὸν κράβατον. Tolle tuum Grabatum. Itáque Triphyllius dixisset, — Ἆρον σου τὸν σκίμποδα. Tolle tuũ Scimpoda. Non tu Triphylli (Spyridon dixit) illo præstantior es, qui Grabatum scripsit, cuius tu verbis erubescis vti. móxque suâ cathedrâ surgens concionẽ dereliquit. Author Sozomenus. σκίμπους (vt hoc obiter explicẽ) τοῦ κράβατος. sed σκίμπους (non κράβατος) est vox Attica, propriè significãs humiles & viles lectulos, quibus debiles & σκάμβοι decumbentes mendici circunferuntur. χαλαιγράβατος. ait Suidas.

Skimpus. Grabatum.

In primo histo. suæ libr. cap. 11.

Scilicet, Hi sanctitate, similiter & antiquitate venerandi Patres tulissent nescio quos modò Iouas & Genios, quibus iam Sa-

cra noſtra prophanè corrumpuntur? Ac non pugnis & calcibus expuliſſent à ſuo cœtu dicentem — Adeſte, Cantemus Iouam: Reſonemus numen ſalutare nobis: interpellemus eum celebrando,& cantionibus reſonando. Etenim, Deus magnus eſt Ioua,& Rex omnium maximus Deorum. Micant per orbem eius fulgura: quô viſô, terra concutitur. Ab Homero ſic lego ſuum neſcio quem celebrari Iouem. Non aliâ prece Iouem ſuum puto Flamines Diales inuocaſſe, quum ſingulis idibus eidem bouem mactabant. Ἴοβις enim παρὰ Ἰταλοῖς ὁ Ζεύς· ait Suidas. Apud Italos Deus dicitur Iouis. Cuius quidem nomen átque laudes vno cantari non poſſunt ore, cum laudibus Chriſti.

Can. Quum multa. 86. diſt.

Cur iſtum, quæſo, Gnoſticorum Iouam nobis inuidêre Septuaginta? Cur Hieronymus occultauit? Niſi fortè tantum virum neſciiſſe dicas, quod iſti ſciunt. Quia neſcio quos Genios legimus Homericorum deorũ miniſtros, átque nuncios, ideo dicemus — Miſſus eſt Genius ad Mariam. Quid? Num tibi ſacrilega videtur, & impia Kænophonia, dum ſupercœleſtem Dominici pànis hoſtiam vocat panis cruſtulum? etiam ſi ſacroſanctum dicant: Quid ſupereſt, quàm quòd cum Poëta dicant. Orbem Fatalis Cruſti? Quid hoc eſt, ſi non eſt in Chriſti religionem verbis apertiſsimis inducere velle Paganiſmum. quaſi Profeſsio noſtra (quibus alia nulla caret) ſibi quóque pecularia vocabula, longiſsimo tam multorum ſeculorum vſu corroborata, conſenſúque populorum probata non haberet. Anathema Bonatibus iſtis καινοπράγοις. καινοφώνοις, καινοποιοῖς, καινουργοῖς, καινολόγοις. & quicúmque demum ſint.

Hugo Ferrarienſis hinc ſumit argumentum Contra eos, qui Nouitates inducunt, vt remoueantur antiqua ſtatuta. citat vltimum cano. Diſtinct. 11. Sabinenſis Cardinalis & hoc profert contra Nouellos quoſdam religioſos (vt ait) qui, relictis ſuorum Sanctorum patrum ſtatutis, nouas inſtitutiones introducunt, tam in habitu, quàm in cibo, quàm in rigore diſciplinæ: vt vix iam portent habitum proprium religionis ſuæ, licet glorientur in nomine. Hæc ille. Igitur, Ne prætextu quidem religionis aliquid eſt innouãdum. ſicut hîc prouidenter decreuêre Patres, Quos alij poſt annos plus mille ſequuti. pari quóque prouidentiâ vetuerunt, in concilio Lateranenſi, ſub Innocentio tertio, 1215. Et in Lugdunẽſi, ſub Gregorio Decimo. 1273. Ne quis ordinem nouũ, Nouámve religionem adinueniat: aut Habitum nouæ religionis aſſumat.

Cap. vlt. de relig. domib. in antiq. & eodẽ. Tit. in 6. ff. de cõſtit. princip. cap. 9. de cõſuetu.

Quod huc attineat, Vlpiani Verbum celebratur aſſerentis — In

In rebus nouis constituendis euidens debet esse vtilitas: vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est. Baldus inde colligit quòd, Omnis nouitas præsumitur esse mala. Nouitates enim magnam solent hominibus iniicere cupiditatem, pariúntque discordias, & omnia turbant. vt verè dixit Honorius tertius. Quale de nouatoribus istis exoptem fieri iudicium (peruetus illud) pridem satis ostendi in oratiuncula de iuris Canonici laudibus. hîc ante annos decem habita, & etiam tunc ædita.

Sed fortè rogabis me. Noua ne sunt omnia tibi suspecta? Num tibi videntur omnia reiicienda? Certè sunt in religione. Scilicet. Ex eo tempore, quo Vetera transierunt, & facta sunt omnia noua. 2. Corinth. 5. Si quis aliud quid euangelizet: nec fuerit sequutus doctrinam Domini nostri Iesu Christi, Sit Anathema & Maranatha. In aliis autem rebus tibi post Oratorum sapientissimum respõdebo-- Nouitates, si spem afferunt, vt tanquàm in herbis nõ fallacibus fructus appareat, non sunt illæ quidem repudiandæ: Vetustas tamen suo loco conseruanda est. Maxima est enim vis vetustatis & consuetudinis. Itáque, Nouatores viderint. Ne (quod Iustinianus cauit) Nouitatis additio sit Vetustatis interemptio. Sequitur.— 24. q. 3. Can. Quum ergo. Cicero in Lælio. Anth. Vt Impe. no. præpo. instr. Colla. 5.

Ἡμεῖς τὴν ἀγροῦν καὶ παρθενίαν μετὰ ταπεινοφροσύνης θαυμάζομεν. Id est.—

Nos autem & Virginitatem cum Humilitate miramur.

Pertinet hoc ad decimum Synodi canonem, quo virgines prohibentur efferre sese, vel extollere supra coniugatos. Inde calumniabantur, quòd, Virginitas non esset excellẽtior coniugio. Imo, Nulli comparabilis virtus est, Virginitas: aliis omnibus eò mirabilior, quò difficilior. quod in eo can. x. dicebatur. Si tamen Virginitas omnis boni fundamento nitatur. quod est, Humilitas, Præcipua conseruatrix, & quædam virtutũ omnium custos. quod ad Cælantiam scribens Hieronymus affirmat. quâ Deus tantùm placatur: Et Bernardus homiliâ primâ De laudibus Virginis matris ait. Laudabilis quidem virtus est, Virginitas: sed magis necessaria Humilitas. Potest humilitas placere, quæ Virginitatẽ deplorat amissam. Sine humilitate autem (audeo dicere) Nec virginitas Mariæ placuisset. Hæc Bernardus. Vbíque superbam vides improbari Virginitatem. deinde prosequuntur.

Humilitas sola est propter quam Deo placet Virginitas. Can. Quicúm que. 26. q. 6. De pœnit. dist. 2. can. 1. To. 1.

Καὶ ἐγκράτειαν μετὰ σεμνότητος καὶ θεοσεβείας γινομένην, ἀποδεχόμεθα. Id est.—

Et Continentiam cum Pudicitia átque Pietate coniunctam probamus.

Hoc respicit canonem nouum. respicit etiam canonem decimum, de quo in præcedente colo. Virginitas est valde laudabilis, modò sit humilis. Continentia quóque: sed ea tantùm, quæ pia & modesta est, absque superbia. sine contemptu coniugij. quod est incontinentiæ remedium. Continentia (inquam) probatur, quæ solo castitatis amore, non molestiarum metu, non sexus odio seruatur. quod in dicto can. 9. Misogyniam, & Misanthropiam nominabamus.

Continentia mandata est, & iniuncta Clericis.

Lumbi. Renes. Vmbilicus.

Lu. 12.

Ad Eustoch. de custo. virgi. Ezech. cap. 16.

In Nahũ cap. 2. Ad ephes. cap. 6.

Can. Qui sanctus. de pœnit. dist. 1.

Hic autem definitur à Baisio Continentia. videlicet, Abrenũciatio voluptatum post corruptionem sexus. qualis est viduarum, veréque cœlibum vita. declarabamus in vigesimæ octauæ distinctionis initio. Subdit idem, quòd, Continentia est propria virtus Clericorum: quibus fuit nominatim mandatum. κατὰ Λουκᾶν. Sint lumbi vestri præcincti. Renum verò, Lumborum, Vmbilicíque nomine significari Genitalia, & coitum, & omnia opera, quæ pertinent ad mulieris & viri commixtionem, Hieronymus non vno nobis asseruit loco. Tenere lumbos suos, & Accingere lumbos aut renes suos ille dicitur, qui nequaquàm reddit vxori debitum, nec seruit libidini: sed imitatur ingenitũ Deum, generationis negociis non ministrans. Hæc ille. dicens aliubi.— Qui Sanctus est Sacerdos, & comedit in Pascha domini, accingatur Baltheo castitatis, & audiat cum Apostolis, Sint lumbi vestri præcincti. Lubens ista protulerim, quo Sacerdotes perpetuæ fuisse, cõtrà quàm Gnostici prædicent, addictos continentiæ vos intelligatis. Octo distinctionibus integris, à vigesima sexta ad Trigesimam quintã Gratianus hac de re disputat. quod in Speculo declarare conamur.— Postea subiungunt.—

Καὶ ἀναχώρησιν τῶν ἐγκοσμίων πραγμάτων μετὰ ταπεινοφροσύνης ἀποδεχόμεθα. Id est.

Et A negociis mundanis recessum cum Humilitate, commendamus.

Pa-

Patres in Synodo prohibuerant, Ne quis ob religionem desereret familiarium, domesticarúmque rerum solicitudinem & curam.can.3.can.15.&.16. Calumniabantur Eustathij sectatores. Ergo, mundi nos implicari vultis negociis. Haud quaquàm. sed hortamur ac monemus, vt his vos explicetis: dummodò secularia negligantur, animo de se nihil altũ sentiente, vel ocium ignauum non quærente, & sine proximi iniuria, vel incommodo vllo. Nec enim continuò melior est, quisquis ἀκτήμων est. Illud Euangelicum. Lu.14. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus. ad Romanas De cessione bonorũ, leges referri nolim: sed nec licet. Ære aliquis obrutus alieno, se deuouet instituto Monachico, non propterea suis censetur, absolutus esse debitis. Imò, Nec ordinandus, nec recipiendus est. De oblig. ad ratio. in antiq. declarabamus in Apost.can.80. Quemadmodum, Si post abligurita bona sua Decoctor creditores frustretur, ac cedat bonis: aut etiam paupertate pressus id faciat, Hominem Lex ideo non liberat. ff. & C. de cess. bono. cap.3. de soluti. in antiq. Quod autem pertineat ad hanc spontaneam renuntiationem bonorum — Diuus Augustinus in epist.89. fine, Se sua omnia reliquisse testatur. Et hanc ipse Viam perfectionis appellat, De qua Dominus loquutus est, Matt.19. Ad quam ingrediendam, pro suis ille viribus alios exhortabatur. Et in nomine Domini, Habeo cõsortes (ait) quibus hoc, per meum ministerium, persuasum est. Sic tamen, vt præcipuè sana doctrina teneatur: Nec eos, qui ista non faciunt, vanâ cõtumaciâ iudicemus, dicẽtes nihil prodesse, quòd pudicè, quanuis coniugaliter, viuunt: quòd Domos suas & familias Christianè regunt. Et alia, quæ sequuntur ibi, proposito cõuenientia. Geminianus hìc duo nobis astruit, authoritate canonis. 1. quòd — Qui seculi renuntiat rebus, & suis facultatibus, Hic vitam mutare, profiterique religionem censetur: Etsi certo nulli sit addictus ordini. 2. Habitus religionis assumptio non prodest, Si propter humiliandam macerandámque vitam facta non est. Ergo fieri Monachum, vel Presbyterum, vt ociosè viuas, Non est verè Monachari, vel Presbyterari. Iam sæpè monui. De membro sequenti. —

De spontanea bonorum renunciatione.

To.2. Can.No lo.12.q.1

Καὶ γάμον συνοίκησιν σεμνὴν τιμῶμεν. *Id est:*

Et Castum nuptiarum consortium nos honoramus.

Can.4. statuerant, ob Vxorem legitimè ductam non esse ido-

neum quempiam postea delectum Presbyterum, contemnendū. quod Eustathius faciebat. Coniugatos etiam nolebant à mutua cohabitatione secedere. can.1. & .14. quod Eustathius volebat. Non propterea nos intemperanter libidinari permittebant, vt Eustathianistæ calumniosi blaterabant. Sed illa statuebant, propterea quòd Nuptias honorabiles ducebant: si modò foret immaculatus & impollutus thorus. id est, Si nec ex parte Mariti, nec ex parte Vxoris interueniat adulteriū.. Sic honestas nuptias Hugo putat esse. Deinde protestantur. — *Honestæ nuptiæ, quæ.*

ΚΑὶ πλοῦτον μετὰ δικαιοσύνης καὶ εὐποιΐας, οὐκ ἐξουθενοῦμεν. *Id est:*

Et Diuitias cum Iustitia & Beneficentia non contemnimus.

Luc.18. Eustathius, & sui, non magis facile credebant esse, Camelum per foramen acus transire, quàm Diuites intrare in regnum cœlorum posse. Putabant impossibile penitùs vtrúmque. Cuius erroris meminit Isidorus apud Gratianum scribens Eustathium dixisse quòd — Nullus fidelis, qui non renuntiaret omnibus quæ possideret, Spem vllam ad Deum haberet. Eustathio longè priùs, Hæresis ista fuit eorum, qui se, statim ferè post Apostolos, cognominarunt Apostolicos. apud quos obseruabatur, vt nihil omnino possiderent, extremâ paupertate gloriantes. Quibus & alios non dissimiles hæreticos coniungit Epiphanius, qui vocabantur σακκοφόροι. Sacciferi. Legas Epistolam, quam scripsit Acatio & Paulo, statim Panarij sui principio. & quæ libro secundo Tomi primi refert de Apostolicis. Eandem fuisse Manichæorum, Pelagianorúmque opinionem testatur Augustinus in ea iam dicta Epistola 89. Hilarij percunctationibus respondens in quæst. 4. Superiùs Ebionitas, & miseros alios Pauperes descripsimus in can.2. & .18. Bis in Aristocratia nostra, quum de Diuitiis Ecclesiasticis ageremus, hanc hæresim refutabamus. Et pleniùs in Apostolico canone.40. Dixisse nunc satis erit — Euangelio Christi néque Diuitias, néque Diuites improbari. Foret hóc, nationem filiorum Dei reprobare. id est, Pleró sque pietate, vitæque integritate excellentes viros peccati condemnare, quòd opibus ac diuitiis pariter excelluerint. Id autem nefas est. Psal.72.

Can. prima annotatio. §. Tertia Gangr. Dist.16.

Diuitiæ non reddunt possessores suos ingratos Deo.

Abra-

Abraham siquidem valde Diues erat in possessione auri & argenti: cui Vernæ plus quàm trecenti fuerunt: qui penè solo familiæ comitatu quatuor superbos victoriâ reges expugnare valuit. Isaac à Domino locupletatus, & magnus vehementer effectus est: habuitque possessiones ouium, & armentorum, & familiæ plurimùm, Tam potens extitit Iacob, vt obuius potentissimo regionis illius tyranno Esau fratri suo sibi infesto stuporem incusserit: Et Chananæis etiam timori fuerit: & Amorrheis, omnium, quos Iudæi postea vicerunt, fortissimis, vrbe Sichimitarum per suos deletâ, Agrum in gladio & arcu suo (id est, vi & iure belli) abstulerit: quem testamento reliquit Ioseph filio suo. Vides hîc opulentissimos atque ditissimos homines: quorum tamen nomine Deus in terra nominari voluit, & ab hominibus vocari, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. De filiis Esau postea Iob inter omnes Orientales maximus regnauit: his tamen nihil obstantibus diuitiis, dixit Deus, In terra se non habere seruum, qui Iob similis esset. Istos, & omnes æui sui reges, regni gloriâ, splendore vitæ, rerum copia, Dauid excelluit, Homo tamen secundum cor Domini factus fuisse dicitur. Et alios legimus viros quamplurimos in amplissimis facultatibus, & patrimoniis quàm sanctissimè vixisse.

Gen. ca. 13. 14. 26. 32. 34. 48.

Iob. 1.

1. Reg. 8

Nec Euangelium Christi caret suis Diuitibus. Zachæus, in cuius domum Christus inuocatus diuertit, diues erat: Abrahæ filius nuncupatus. Ioseph Iesu discipulus erat, & ipse quóque diues ab Arimathia. De domo Cæsaris quidam Romæ cum Paulo familiariter versabantur, quos & Sanctos appellat. Hos ego nunquam crediderim mendicantes & egentes fuisse. Néque suis Ephesij, Galatæ, Corinthij, Romani, reliquæ gentes à Paulo subactæ, renuntiarunt opibus, inopes hàc illàc cum pallio & pera vagantes. Imò religione, pariter & rerum multarum possessione claros fuisse, vitámque Apostolicam vixisse non dubito. Nec enim dixit Christus — Impossibile est Diuites intrare in regnum cœlorum, sed difficile. Vbi verò Difficile ponitur, non Impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur. Hæc Hierony. Euangelistam declarans. Ne dixerimus ergo peccatores in seculo solos obtinuisse diuitias. Quæ si fortè nobis à Deo contigerint, Hunc audiamus admonentem — Diuitiæ si affluant, Nolite cor apponere. & in incerto diuitiarum sperare nolite: sed in eo solo, qui largitor est earum. Diuitias non vituperemus, nec obesse religioni putemus. Illa planè falsa est nescio quorum Philosophorum sententia

Luc. 19. Mat. 27. Ad Philip. 4.

Psal. 61. 1. Tim. 6

In cap.5. Hiere.& aliubi ſæpe.

dicentium apud Hieronymum — Omnis diues, aut iniquus eſt, aut iniqui hæres. Prædictis, & innumeris aliis conſtat hæc falſitas exemplis.

Quæ tamen omnia ſunt ad Canonem noſtrum referenda. puta, Quando quis cum Iuſtitia & Beneficentia Diues eſt. Patres hîc dicere volunt, quòd- Tum demum bonæ ſunt Diuitiæ, quādo nullo proximi malo, ſed ipſius indigentis bono, poſſidentur. Aliena cum iactura locupletari, & iniuſtum eſt, & contra naturam dicitur eſſe: certè, non minus eſt inhumanum, minúſve iniuſtum, quum potes, miſeris opem non ferre. Diuitiatum námque finis in homine Chriſtiano eſt ἐλεημοσύνη, καὶ εὐποιΐα. id eſt, Miſericordia, & Beneficentia. Beneficentiæ & Communicationis (εὐποιΐας, καὶ κοινωνίας) ne obliuiſcamini. Talibus enim Deus hoſtiis promeretur. Hebr.cap.vlt. Redemptio animæ viri, ſunt Diuitiæ ſuæ. Prouerb.13. Suæ autem cuiúſque noſtrum, ſiue propriæ Diuitiæ ſunt, quas nos Chriſti veritas docuit: qui præcepit, Vt faciamus nobis amicos de iniquo Mammona, qui nos recipiant in æterna tabernacula. Lu.16. Nam, tum demum Diuitiæ noſtræ ſunt, quum donantur Pauperibus. Altera quóque ſequitur circa veſtes proteſtatio, pertinens ad.12. can. ſuperiùs. —

Regula iur.206. ff. &.48. in.6.

Diuitiarū poſſidendarū finis inter Chriſtianos.

Καὶ λιτότητα, καὶ εὐτέλειαν ἀμφιασμάτων, διὰ ἐπιμέλειαν μόνον τοῦ σώματος ἀπερίεργον, ἐπαινοῦμεν. τὰς δὲ ἐκλύτους, καὶ τεθρυμμένας ἐν τῇ ἐσθῆτι προόδους, οὐκ ἀποδεχόμεθα.

Et Simplicitatem, mediocritatémque veſtium, dūntaxat ob corporis curam non exquiſitam, laudamus. Superbas autem veſtibus effractis ac detritis, proceſſiones in publicum, non probamus, néque recipimus.

De Verbis nonnihil prius. Res poſtea dicetur. Gratianus hanc Synodi noſtræ Periodum integram: tranſcripſit in Dioriſmum ſuum. 41. can. Parſimoniam, qualem vetus interpres è Græco tranſtulerat. Ibidem monui verſionem mihi non per omnia placere. Dixi de vocibus λιτότης, & εὐτέλεια. Quas duas, non ad victū, ſed ad veſtitum tenuem, vilémque retulimus. ἀπερίεργον vertimus

in — Non exquiſitum. quaſi diceres, inconcinnum, nec operoſum veſtimentum. quod hîc neſcio quare vertãt Infucatum. Niſi dicere velint, Nõ tinctum, vel infectum coloribus. quod tamen non eſt vetitum geſtare.

Quæ poſtea ſequuntur ſenſui canonis affinia mihi ſatis non videntur: quô ſuperbia humilibus in veſtibus prohibetur: Lauta & ſplendida veſtis non interdicitur. —

Τὰς δὲ ἐκλύτους, καὶ τεθρυμμένας ἐν τῇ ἐσθῆτι πρόοδους οὐκ ἀποδεχόμεθα. Et ſic interpretantur —

Diſſolutos, & fractos in veſtibus inceſſus.

Et aiunt hîc luxum veſtium reprehendi. Licet enim Patres in Chriſtianis Bîſos, id eſt, Serica non improbent: In his tamen laſciuiam planè reprobant. Vt communis, ita certè vera eſt hæc ſententia. Nihilominus prædicto canoni duodecimo magis altera quædam mihi videtur eſſe conſona. Damnantur illic Euſtathiani, qui Palliis, id eſt, humilibus & abiectis indumentis, abſolutam perfectámque religionem tribuebant: quibus qui non induebantur, ab ipſorũ conſortio, tãquam parum Chriſtiani, reijciebantur. Et gloriabãtur iſti, quòd eſſent Palliis induti. Patres hanc de paupere veſte ſuperbiam nominatim cõdemnant, Nihil nunc de veſtium pompa ſtatuentes: quę ſemper etiam vetita fuit Chriſtianis: vt nouo decreto non fuerit opus. Arbitror itáque non malè poſſe legi — ἐκλύτους, καὶ τετριμμένας ἐν τῇ ἐσθῆτι πρόοδους. In publicũ progreſſiones, malè concinnatis, & detritis veſtibus. Inde popularẽ, ſcilicet, aurã captando. quaſi mundi pompis & ornamentis omnibus abrenunciauerimus, quum tamen eâ re ſuperbiamus · & aliis nos meliores exiſtimemus. Hoc Synodus improbat. Nã Leo ſic agninâ ſpecie facilè tegeretur. & lupus ouillâ pelle conderetur. Et eſt hîc, ſi non fallor, Enallage quædam loquutionis. vt, ἐκλύτους, καὶ τετριμμένας ἐν τῇ ἐσθῆτι πρόοδους, dictum fuerit pro — ἐκλύτους, καὶ τετριμμένας τὰς ἐσθῆτας ἐν ταῖς προόδοις. quomodo vertimus. Ad rem —

De veſtimẽtis Chriſtianorũ

Sanctis olim patribus cura magna ſemper fuit de veſtimentis & indumentis Chriſtianorum. Nam veſtitus & corporis cultus mutare, monſtraréque ſolet hominis ingenium. Sæpéque mores ex habitu nouo noui ducuntur. Notus eſt Eutrapelus neſcio quis Horatianus, artifex hominum corrumpendorum calidiſſimus.

Is (ait Poëta) —— *Cuicúmque nocere volebat*
Vestimenta dabat preciosa. Beatus enim iam
Epist.18. *Cum pulchris tunicis sumet noua consilia, & spes.*
Dormiet in lucem. Scorto postponet honestum
Officium —— Et alia quæ sequuntur ad Lollium. In primo e-
stolarum libro.

Multum quidẽ momenti (quod superius dicebamus) vestes affe
runt ad hominis formam, seu dignitatẽ: sed precio vestium respõ-
dere debet animi quóque precium. Dominus hac de caussa Phari
Matt. 23 sæos increpabat: qui palliorũ suorum fimbrias dilatabant, magna
frontalia, latáq; brachialia gerebãt, quibus inscripta Dei manda-
ta circunferebant. Hoc genus indumenti, splendidi sanè, valdéq;
venerandi, Christus nõ arguebat: id enim Lex præceperat. Deut.
cap.6. Ligabis ea in manu tua: Et erũt immota inter oculos tuos.
Quasi videtur & Euangelista Ioannes vsus. Nam factus Sacerdos
Ephesi τὸ πέταλον gestasse refertur apud Euseb. cap.24. lib.5. Histo.
Petalon erat aurea quædam lamina instar folij, fronti Pontificis Petalon.
imminens: in qua sculptum erat, ἁγίασμα κυρίῳ. Sanctum Domino.
Exod. 28. Nõ igitur Christus hoc improbabat vestimentum, quo
se postea eius Discipuli ornarunt. Verùm, quia Pharisæi, tanquàm
personati histriones, hoc agebant, vt ab hominibus spectarentur,
& opinionem sanctimoniæ sibi conciliarent, ideo reprehendun-
tur. Illa námque Dei mandata, non tantùm vestibus, sed animis
inscribi, & vitâ pariter exprimi oportebat. Sic etiam Patres hîc,
Néque speciosas vestes magnifaciunt (Bîros puta) Néque viles *Opera virtu-*
paruipendunt (Pallia, scilicet, Philosophica) Sed neutris efferri *tum non sunt*
quempiam volunt. Augustinus istud apertioribus átque disertio- *facienda pro-*
To.4. ribus verbis expressit in lib.2. de sermone Domini in monte. Ex- *pter humanã*
ponens illud in Euangelio Matthæi - Quũ ieiunatis, Nolite fieri *gloriam.*
sicut hypocritę tristes. ca.6. Huc ea quadamtenus transcribere nõ
pigebit —— In hoc autem cap. (sicut ait) aduertendum est, Nõ in
solo rerum corporearũ nitore, átque pompa, sed etiam in ipsis sor-
dibus luctuosis esse posse iactantiam: Et eò periculosiorẽ, quò sub
nomine sanctitatis decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis,
átque vestitu, vel cæterarũ rerum nitore præfulget, facilè conuin-
citur rebus ipsis, Pomparum seculi esse sectator: Nec quempiam
fallit dolosâ imagine sanctitatis. Qui autẽ in professione Christi-
anitatis, inusitato squallore ac sordibus intentos in se oculos ho-
minum facit (quum id voluntate faciat, non necessitate patiatur)
cæteris eius operibus potest conijci, Vtrum hoc, cõtemptu super-
flui cultus, an ambitione aliqua faciat. quia & sub ouina pelle ca-
uen-

uendos lupos Dominus præcepit. Ex fructibus (inquit) eorum cognoſcetis eos. Inibi ſequuntur & alia, quæ Platonis meminiſſe faciunt: cuius purpureum, lautúmque ſtragulum quum Diogenes nudis (vt incedebat) & lutulentis pedibus calcaret, Dicerétque, Platonis faſtum calco. Calcas quidem (reiecit ille) ſed alio faſtu. Rurſus is ipſe Diogenes, quum plueret aliquando, tectum ſubire noluit: ſed ſub Dio perſtans, totúſque pluuiâ perfuſus & madens in publico durauit. Quúmque circunſtantes hominem miſerarentur — Hunc (ait Plato, qui ridens hoc uidebat) ſi miſerari vultis, abite. Ne aſpiciatis, & cauebit: Immenſam notans in hoc Philoſopho gloriæ cupiditatem, qui ſordibus & inopiâ non minus ſuperbiebat, quàm cæteri lautitiis & copiâ ſolent. Author Laërtius in Diogene. Sicut igitur pallio, perâ, dolio ſuo Diogenes non aliud, quàm plebeculæ de ſe rumuſculos caprabat, & inanem virtutis opinionem: Sic inter Chriſtianos pleríque ſanctitatis inde venabantur exiſtimationem, quòd vilibus & malis veſtibus induti forent, & quòd nihil ſuum poſſiderent: ſed anguſtiâ rerum contineri ſalutem nonnullis perſuadebant: vitæ autem genus aliud quodcúmque damnabant. Propterea damnantur hic Anathemate.

Tria quæ iam ſequuntur, Orationis loca, ſeu Templa noſtra concernunt: & ſtatuta reſpiciunt In can. 5. 6. & . 20. ſuperius.

Καὶ τοὺς οἴκους τοῦ θεοῦ τιμῶμεν. καὶ τὰς συνόδους, τὰς ἐν αὐτοῖς, ὡς ἁγίας, καὶ ἐπωφελεῖς, ἀποδεχόμεθα. οὐ συγκλείοντες τὴν εὐσέβειαν ἐν τοῖς οἴκοις, ἀλλὰ πάντα τόπον τὸν ἐπὶ ὀνόματι τοῦ θεοῦ οἰκοδομηθέντα τιμῶντες. καὶ τὴν ἐν αὐτῇ τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ σύνοδον κοινὴν, εἰς ὠφέλειαν τοῦ κοινοῦ, ἀποδεχόμεθα.

Et domos Dei nos honore celebramus. Et in ipſis, qui fiunt, conuentus, tanquàm ſanctos & vtiles, approbamus: In nullis ædibus religionem claudentes, Sed omnem locum venerantes, qui Dei nomini fuerit ædifi-

catus. Et, in ipsa Ecclesia Dei, ad vtilitatem publicam, Synodum publicè factam recipimus.

Διογένης παντὶ τόπῳ ἐχρῆτο εἰς πάντα.

Eustathius, atque sui, de Cynico Diogene, præter Pallij, Paupertatísque iactantiam superius damnatam, referebant & illud, quòd, Ad omnia vterentur omni loco, Prandentes, Dormientes, Voluptuantes, Loquentes, Orantes, Concionantes, Id huius quóque seculi Gnostici renouatunt, eadē æstimatione ducentes Templa nostra, quā Tabernas, átque stabula: similiáque, suarum præcationum, & fornicationum loca. Patres è contrario statuunt Ecclesias, id est, Dei, Sanctorúmque Basilicas omni semper honore prosequendas: Et solemnes in ipsis cōgregationes, festósque dies, atque celebritates commendant: Occultas & clancularias extra Ecclesiam coitiones anathemate damnant: Eos tantūmodo cœtus & conuentus decernunt Ecclesiasticos habendos esse, qui publicâ fiunt authoritate, simul & vtilitate. Deinde respondent Hæreticis calumniātibus, A Catholicis anteponi Templum Templo. quasi Deus (aiebant) vno magis delectaretur, quàm alio: Vel coli potiùs vno in loco vellet, quàm in alio. Dicebamus in. d. can. 5. quòd ille sibi noluit à Iudæis aliubi sacrificari, Séq; adorari, quàm Hierosolymis. In alia regione positi, volentes orare, vel adorare, tum se contra Hierusalem vertebant, & genua flectebant. Dan. cap. 6. Nunc autem, Romæ, quàm Eugubij, Lutetiæ, quàm Vallis Girardi, sacratius templum non est. Ædes, quas pietas Christianorum ritè Deo consecrauit, & dedicauit, æquali sunt omnes apud catholicos in veneratione. Templū quidem templo maius, & ornatius est non rarò: sed honoratius ideo non est, magisve sacrum. Diuitiæ nec addūt, nec adimunt quicquàm sacris nostris. In Ioue tragœdo Lucianus Deos gentium naso suspendēs (vt omnia solebat) ex materia, vel insigni arte, quâ quisq; pictus, sculptus, conflatus extiterat, ipsos æstimabat in concilio quodam Iouis. Et ipso tum Ioue mandante, primas sedes aureis, secundas argenteis, deinceps Eburneis, æreis, lapideis, ligneis assignauit. Res planè ridicula, dignáque Lucianicâ sannâ. Christiani nō confidunt istis operibus hominum, μὴ προσκυνοῦντες τοῖς γλυπτοῖς. sed sui tantummodo Christi, qualibuscúmque pingēdis Iconibus, honorē, & gloriam quærunt. Isthæc est præsentium canonum summa.

Gnostici templa cōtemnūt. Catholici venerantur & colunt.

Patres adhuc opinionem suam declarant in sensu canonum. 7. 8 & 11. pariter. 12. Quos Hæretici calumniabantur.

Καὶ τὰς καθ' ὑπερβολὴν εὐποιΐας τῶν ἀδελφῶν τὰς κατὰ τὰς παραδόσεις διὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς τοὺς πτωχοὺς γινομένας, μακαρίζομεν.

Et exuperantia, maximáque fratrum beneficia, quæ secundum traditiones Ecclesiæ conferuntur in pauperes, bona beatáque censemus, plurimúmque celebramus.

Matth. Christus adolescenti cuidam, qui se mandata seruasse respon-
19. Mar. derat omnia, subiecit—Adhuc vnum tibi deest. Si vis perfectus
10. Luc. esse, Vade. Quæcùmque habes, vende. Et da pauperibus. Et veni,
18. Sequere me. Verba captans, mentem capere nolens Eustathius, *Quid sit omnia vendere, & dare pauperibus.*
docebat hinc Diuites habere spem nullam debere peruenièdi in regnum cœlorum, nisi, diuenditis possessionibus suis omnibus, inde collectam pecuniam pauperibus erogarent. Nec alios, nisi sic nudatos, in Apotacticum suum sodalitium recipiebat. Illos verò Pauperes duntaxat appellabat, qui se sequebantur: quibus aliorum sic à se deceptorum spolia diuidebat ex arbitrio. Drepatæ Gnostici hanc Eustathianam diuisionem nõ nesciunt. Quum verò Patres id modis omnibus improbarent: Et illud (Euangelicæ quidem perfectionis consilium) non tam de facultatibus inconsideratè relinquendis, quàm de prauis erga Diuitias affectibus syncerè deponendis, intelligi vellent: Ipsos calumniabatur Eustathius: & patribus exprobrabat, quòd in pauperes effusas diuitum largitiones damnarent, aut impedirent. Imò summè commendabant (vt hîc apparet) si modò fiant ex Ecclesiæ consuetudine: quæ neminem spoliat inuitum suis bonis, tamquam sit hoc ad æternã salutem consequendam necessarium. Cœlestis enim regni porta
Lu. 16. nõ est clausa Diuitibus. Nam qui beati sunt futuri, recumbent in eius sinu (scilicet, Abrahæ) qui vixit, ac mortuus est ditissimus. Opulentos ergo non reiicit, sed Opulentiæ cupidos. Abdicatio proprij, nõ solâ rerum corporalium dimissione, sed animo magis *Abdicatio proprij.*
L. 3. §. in ad dimittendum prompto, paratóque expenditur. Animo si qui-
amitten- dem possessio vel amittitur, vel retinetur. vt est in lege quadam
da. &. l. Romana. Quisquis appetit, amat, & cupit Diuitias, quãuis egens
seq. ff. de & mendicus, attamen Diues est. Hunc difficile non minus est,
acqui. vel amit. intrare in regnum Dei, quàm transire Camelum per foramen
poss. acus.

Hic autem quum dicitur Eleemosynā faciendam κατὰ τὰς παραδόσεις τῆς ἐκκλησίας. secundum traditiones Ecclesiæ. Id est, prout hactenus Ecclesia vsa est, & vtendum docuit: Inde venit obseruādum quod, Sensu moréque Maiorum, non arbitratu nec imaginatione cuiusquam, sunt exponendæ scripturæ. Quod in humanis vulgò circunfertur legibus, in diuinis pariter est accipiendū. Interpres optima legum est Consuetudo. Id explicabimus in can. Relatum est nobis. Inferius. 37. dist.

Quænam sint opera bona per Hyperbolen, id est, Opera supererogationis.

Sed & hic locus alterius rei memoriam mihi refricat, dum, τὰς καθ' ὑπερβολὴν εὐποιίας nominat, Opera bona per Hyperbolen, Nō est hîc Hyperbole, nescio quæ figura Rhetorum, quando veritatem excedunt, & transgrediuntur, aliquid per exaggerationē dicendo. veluti, Niue candidius, Ventis leuius. &c. Non abest hoc procul à mendacio. Sed hyperbole nunc est eminētia præ cæteris, & excellentia facti cuiuspiam. Est quædā rei redundantia. sicut in Apostolo dicitur— ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ. Hyperbole virtutis Dei. vertit interpres, Sublimitas virtutis Dei. 2. Corinth. cap. 4. Et in eiusdem cap. 12. ἡ ὑπερβολὴ ἀποκαλύψεων. Magnitudo reuelationū. Hoc est, Abundantia & excellentia cœlestium quarundam patefactionum. Solent in eodem vertere, καθ' ὑπερβολὴν, Supra modū. vt, καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλός. καθ' ὑπερβολὴν ἐβαρήθημεν. καθ' ὑπερβολὴν κατεργάζεται. καθ' ὑπερβολὴν ἐδίωκον τὴν ἐκκλησίαν. nec aliubi semel. Itáq;, Dara beneficia secundum Hyperbolen, interpretare, Maiorem in modum grandia, siue immensa beneficia. vt quando quis omnia sua donat. Néque malè veteres hunc locum transferunt, Bona opera, quæ supra vires in fratres Pauperes exercentur. quod Hugo declarat exemplo, Si quis necessaria sibi subtrahat, & pauperibus eroget. Hoc opus dubio procul est Hyperbolicum. Qui sibi necessaria seruat, & pauperibus alia præstat, is nihil καθ' ὑπερβολὴν, Id est, excellens & supra vires agit. Inde subiungit Hugo, De consilio quis erogat necessaria sibi: de Præcepto, cætera. Nam tenemur indigentibus subuenire, sed non vltra, quàm possumus. Schola Theologorum, meo iudicio, quàm appositissimè vocat id genus Hyperbolicorum bonorum, Opera supererogationis. vt sunt assidua, vel solitis austeriora Ieiunia, Perpetua continentia, Paupertas spontanea, quando quis omnia sua reliquit. & similia, non ex mandato Quæ tametsi iussa non sint, attamē mercede suâ nō carent, valde sunt accepta Deo, gaudenti, quòd fines mandati trāsilierimus. quanquam non sic in lege Romana. Bartholomæus Brixiēsis in glossula quadam Nobis hîc illum misericordem & beni-

Ro. cap. 7. 2. Comodum rinth. 1. & 4. ad Gala. cap. 1.

Can. Nō satis. 86. dist.

gnum Samaritanum proponit Stabulario pollicentē, Quodcúmcúmque (supererogaueris,) (προσδαπανήσῃς) reddam tibi. Lucæ. 10.

Post hæc, Patres synodum suam sequenti periodo claudunt.

Καὶ πάντα συνελόντες εἰπεῖν, τὰ παραδοθέντα ὑπὸ τῶν θείων γραφῶν, καὶ τῶν ἀποστολικῶν παραδόσεων, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ γίνεσθαι εὐχόμεθα.

Et vt semel omnia dicamus. Quæcúmque per Scripturas diuinas, & Apostolicas traditiones constituta sunt, In Ecclesia fieri vehementer optamus, & etiam precamur.

§. Cōstat autē ius. Instit. de iure natura. &c. Quemadmodum Romani suæ ciuitatis ius constare dixerūt. Ex scripto, Et ex non scripto: Sic etiam Patres ius Christianæ ciuitatis diuiserunt in ἔγγραφον. in Scriptum. & in ἄγραφον. Non scriptum. quæ iuris ecclesiastici diuisio probatur hîc. & in can. Ecclesiasticarum. sequentibúsque can. 11. dist. *Ecclesia regitur Iure duplici, Scripto et Nō scripto.*

Ius Scriptum est quod per Diuinas scripturas docet ea, quæ fidelibus ad salutem sunt ordinata. Puta. Per legem, Psalmos, Prophetas, per Euangelium Iesu Christi, per Apostolicas epistolas, Per sancta patrum concilia, Per sacros Ecclesiæ canonas. Ad quod quidem Scriptum ius refero, quod Apostolus scribit Romanis — Quæcúmque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus. cap. 15.

Ius autem non scriptum est quod vsus Ecclesiæ catholicæ lōgæuus, & mos Patrum diutinus comprobauit. Ab ipsis Apostolis, & Patribus Apostolicis hoc, veluti per manus ab initio traditum, venit ad posteros, ábsque vlla publica scriptura, vel aliquo communi concilio. *Quæ per Traditiones in Ecclesiis obseruantur, Autoritatē scriptæ legis habent.*

Ius istud Ecclesia græca παραδόσεις nominauit. & Latina, Traditiones. Quales Apostolorum discipulus, & auditor Clemens Octoginta quinque Canonas in libellum collegit, à suis magistris Ecclesias primas instituentibus viuâ tunc voce perceptos. Magnus per omnia Basilius de Paradosibus istis obseruandis in multis suis Homiliis multa coaceruauit, & præsertim cap. 27. libri

de Sancto Spiritu ad Amphilochium. Similiter & Hieronymus aduersus Luciferianos. Etiam si scripturæ non subesset authoritas, totius tamen (ait) orbis aliquam in rem consensus instar præcepti obtineret: Non differt hoc ab eo iure, quod vel Gentium, vel Naturæ vocamus. Tertullianus annis vtróque penè prior trecentis non pauciora proposuerat. vti, Signum crucis in omnibus actibus Christianorum frequentissimum: Baptismalis aquæ & olei consecrationem. Versus orientem, quum volunt orare Christiani, conuersionem. Ieiunia certa: Cibos delectos: Cilicia: Vigilias: & alia, quæ solâ traditione defenduntur: in libello, De corona militis. Innumera obseruantur per Scripturas nobis non iniuncta, sed introducta duntaxat per assiduam & longam Maiorum cõsuetudinem. Cuius quidem consuetudinis authoritatem, viresque magnas in Ecclesia Dei semper fuisse, ad ea confirmanda, quæ sacris literis non exprimuntur, Apostolus satis ostendit, aliud non respondens contentiosis quibusdam Corinthiis, de mulieribus non tondendis, quàm — Nos talem consuetudinem nõ habemus, néque Ecclesia Dei. Gnosticis omnia modò nouantibus, & quibus nihil consuetum placet, à Paulo docti sic etiam respondeamus. & fugiant confusi. 1. Corinth. 11.

Quomodo Priscorũ traditionibus vtatur Ecclesia.

Paternis profectò traditionibus istis, non minus, quàm Scripturæ legibus Ecclesiastica Hierarchia nostra continetur. Hominũ tamen superstitiosorum inuenta (Prò blasphemiam?) Dæmoniorum doctrinas, impudens & impia Gnosticorum maledicentia vocat. Omnes pij contrà vociferantur, ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos vsque tales deuenisse, processisseque traditiones à Spiritu sancto contestantur. Non quòd in eis constituerint vnquam, vel constituant spem salutis: vt in superuacaneis quibusdam suis Deuterωsibus olim Iudæi: propter quas etiam Dei mandata faciebant irrita. Matth. 15. Traditiones amplectimur, quia promoueant obseruantes ipsas ad pietatem: quia fraternam communionem firment: & ad finem societatis & vnionis Ecclesiasticæ tendant: ac Legem persæpe declarent. vt paulò superius vidimus de Eleemosyna. Legem vocat Apostolus Pædagogum ad Christum. cap. 3. ad Gala. Quid ni quóque Ritus, & Cæremonias, & Ecclesiæ consuetudines antiquas appellemus etiam Pædagogos nostros, morum custodes, & vitæ Magistras? quibus certè remotis, átque sublatis, Ecclesiæ tranquillitas, Rerúmque publicarum omnium status & honestas, vt vnà turbetur, & confundatur, necesse est.

De quibus Hieronymus ad Algasiã quæst. 10. To. 3. & aliubi.

Hy-

Hyperphronites Gnosticus adamat nescio quam speciosam & ociosam fidem, seculis retroactis nunquam visam: propter quam lasciuientes & vagi pædagogos omnes reiiciunt, Ipsimet sibi duces & magistri, sibi religionis arbitri (sic enim de talibus loquitur Hilarius) immemores sui, diuinorum negligentes & emendatores præceptorum: quum tamen Religionis opus in solo sit Obedientiæ officio. Non ludant isti (quæso vos) nobiscum. Nihil natis ex Ancilla, cum Liberæ (videlicet, Ecclesię catholicæ) filiis debet esse cōmune. — Ait Apostolus idem. Propterea, Vos eius admoneo verbis, Auditores Christiani, & Fratres in Christo mihi Charissimi. —

STATE, ET TENETE TRADITIONES, QVAS DIDICISTIS, SIVE PER SERMONEM, SIVE PER SCRIPTVRAM. DOCTRINISQVE VARIIS, ET PEREGRINIS NOLITE ABDVCI. —

Quod exequi nos omnes, & aduersantia cauere contingat in Christo Iesu Domino nostro. Cui, simul, & eius æterno Patri, viuificantíque Spiritui, sit honor, adoratio, laus, & gloria, Nunc, semper, & in secula seculorum. Amen.

IOANNES QVINTINVS HÆDVVS, HOSPITALIS MILITIÆ FRATER ET SODALIS, ECCLESIÆ CHRISTI VIROS, ET MORES ISTOS ANTIQVOS A CHRISTO SVPPLICITER EFFLAGITAT.





QVINTINVS ECCLESIASTICÆ POLITIÆ studiosis lectoribus.

SI fortè aliquis, tituli ductus authoritate pariter & antiquitate, sumpserit hosce commentariolos in manus, videbit, his legendis, quem perpetuum morem teneamus in aliis Patrum decretis apud Gratianum prælegendis. E Schedis enim nostris transcribẽdos, vt erant, quotidiéque rudè dicebam, nec aliter, ipse curaui: quum me quidam super editione familiariter, néque semel, interpellassent. Quibus acquieui: sed non priùs, quàm venerandorum mihi collegarum, ius ordinariè mecum Lutetiæ Parisiorum profitentium, Doctorum sanè iuris vtriúsque doctrina clarissimorum, censura publicandos approbasset. Quod insigni tam celebris eruditionis, raræque literaturæ virorum collegio fuit ratum, non poterit æqualibus (vti spero, vehementer & opto) non esse gratum.

Qua in commentatione nostra scio nimisquam multa reconditiora desiderari: quæ longius petita facerent ad illustriorem Canonum præsentium sensum. Fateor. Sed abstrusioribus literis, hominéque longè peritiore, qui longius illa quærere potuisset, opus etiamnum fuisset. Hic nihil est elaboratum: pro viribus tamen in eo (quicquid est) fuit a me laboratum. Præterea, Canonibus Apostolicis (quorum, quis Domino sic videtur, æditionem meditor) omnia fermè conueniunt, quæ decreta Gangris extiterunt, illic à me propositâ, propediem (si deus annuerit) euulganda nos huc transponere noluimus. Hoc itáque sit alterius támquam πλήρωμα quoddam.

Synodus Gangrensis è Græco bis in Latinum versa fuit. Illam nunc, & illam versionem Gratianus allegat. Vtrámque videto Conciliorum tomo primo. Duabus his inuicem collatis accessit hæc tertia nostra. Cui græca simul adscripsimus ex Hilariano quodam veterum Conciliorum codice græco: qui fuit hîc impressus. An. Do. 1540. Hôc titulo —

Κανόνες τῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν ἁγίων συνόδων.

Can. Vt Veterũ. 9. dist. *Id autem fecimus, quia (quod in canone dicitur) Nouorum librorum veritas Græci sermonis normam desiderat. Quæ me causa mouit etiam Latinis tam sæpè Græca permiscere. Nomine solo, solâve sententiâ Scriptoris alicu-*

ius

ius græci minimè contentus, eius quoque verba profero, simul etiā transfero: ne dubio teste nostra me velle reddere certa quis existimet, aut parum fideli translatione deceptū. Certè, qui facta de Græcis Latina solummodo profert, & non ipsa Græca simul: aut nimium simplex, aut arrogans est nimium: qui de re nō nota, cuius author nō extat, vni sibi fidem velit haberi. Nostro nunc æuo maximè: dum scripturas, alius manu, alius interuertit sensu. Origenem, Basilium, Chrysostomum, vel alios equidem citare latinè versos tantummodò nollem: qui fidem mihi tutam non faciunt, nisi Græca similiter etiam prostent, & proferantur, vnde plena possit haberi probatio dictorū.

Nec ignotos vllos produco, nondum visos, non auditos, in Bibliothecis, vt in quibusdam Bibliotaphus, hactenus conditos authores. Res ista suspitionis est plenissima. Leges enim Testibus, non Testimoniis, credi volunt. Quis non se libros manu tantùm scriptos, publicis haud excusos typis, hominum manu nequaquam tritos iactitare possit habere? Mare profluit hinc Annotationum, Correctionum, Castigationum, Dispunctionum, deníque Nouorum intellectuum: quod vtinam prophanis & humanis tantùm, non etiam diuinis, exundasset in rebus. Concors nostra pacis & vnionis religio multò pacatissima & coniunctissima foret: in tam diuersas modò propter istius generis annotatores dilacerata partes. Vnum mihi si Ioannem Monachum Zonaram demas (& si bene iam notum scriptorem) non inuenies, quem cierim, nisi publico charagmate iamdudum signatum. scilicet Librariorum prælis exaratum. Néque tamdiu Zonaras, cum cæteris longè magis necessariis, lateret, si non Aposcopi principum occuparēt Episcoporum Paulinorum locum.

Dicam tibi prætereà, Quid in illis citandis vtilitatis ipse capiam, captémque cæteris. Quum tam diuersos authores, Linguá, Gente, Patriā, Tempore distantes omnes in medium turmatim profero: & vnà conspirātes vndiquáque similia sensisse, dixisse, scripsisse video (quod nunquam Gnosticis, καὶ τοῖς ἔξω φιλοσόφοις contigit) illum tunc adoro sanctum pacis & concordiæ Spiritum, quo diuinitus afflati sua sic inuicem concordantia monimenta posteris reliquerunt. Et illam veneror insuper Ecclesiam (cuius illi maxima pars fuère) quæ totum sparsa per orbem nuncupatur ideo Catholica. Non vnius ista loci, vel oppidi, néque paucorum fugitiuorum est: sed Asiæ totius, Aphricæ, Europæ, qua - Sol - cúmque respicit, Ecclesia. Quæ quia vera est, angulos non quærit, in occulto nihil agit: in ea furtiuum nihil est. Clanculùm quicquam non gerit. Omnibus exposita patet. Omnibus est præfecta, Viam, quæ ducit in cælum, sola demonstrans.

Hanc vnam Magistram, ducem, principem, quasique signiferam sequi, me profiteor. Sub huius vnius vexillis viuentem morientem me militare velle protestor. Huius militiam nunquam deserturum me, nunc, & in dies singulos, renouato sacramento, quo me iamdudum rogauit illa & obligauit, iterúmque iterúmque polliceor. Nec aliud ore, manu, cordé ve sentire, confiteri, gereré ve volo, quàm quod illa me credere docuerit, agere mandarit, diceréque praeceperit. Quod si fortasse quid à me contumeliosius dictum videatur in superbos infoelicis aeui nostri Gnosticos, hoc mihi nemo putet adscribendum. Sic enim, longéque durius, in Manichaeos, Arianos, Donatistas, & alios istorum patriarchas, Hieronymus & Augustinus agunt. è quibus haec pauca promimus in eos.

Itáque, Lector Christiane, Nihil hîc meum leges. Hîc loquor nihil, quod proprium sit. Ecclesiasticorum scriptorum, sanctorúmque Patrum verba tibi, velut ex pacto, fidelissimè refero. Locum, ceu digito, monstro, quem dubius adire possis: & inde plura tibi decerpere: quae tuam simpliciter ac firmiter Ecclesiam sanctam catholicam credentis fidem, salutémque promouere queant. Is, qui sanguine suo illam sibi acquisiuit, hoc nobis omnibus per suam gratiam concedat, Nósque ne Superbi calumnientur, perpetuò conseruet.

OBSCVRIORA QVÆDAM *vocabula prælegenti mihi ſupradictos Canones occurrerunt, quæ fuerunt ad intelligentiam rerum nobis explicanda. quorum ſequitur Index.*

Errata quædam ſub prælo non animaduerſa ſic corrigito.

Pag. 9. lin. 5. exercituum. 19. 8. conuenire. 26. 5. cacoëthe. ibid. 13. κισ-δονας. 32. 17. Antigrapho patet. 38. 36. fictitios. 39. 34. Paulo. 53. 6. colligatas. & in eius margine *gallinas. ſimplicium*. 68. 16. aliis. 83. 7. dictante. ibid. 25. ſuper ollas carnium. 26. donet, vt de cibis hominis. 136. 26. ſiue. & in marg. diſt. 2. 141. in marg. nulli. 21. Ἐκκλησία. 143. 31. quiſque. 149. 8. fuerat. 152. 4. quodlibet. 154. 15. Nē qua mulier. 164. 5. caſſā. 168. 18. Hîc die. 170. 3. Lentigines. 184. 23. Paulóve. & in marg. *ſimiles*. 193. 25. ſuarum. 203. 16. in ſacris trita. 206. 26. *ἀσώτων*. 207. 19. Rationabile. 27. explicare. 215. 18. Calumnioſas. 217. 1. ſancitum eſt, Hoc ſanctum eſt. 220. 5. nonum.



